A
151



23845

A. 151

Wolf.

Specimen notarum ad Eberard. Ottonis
librum de tutela viarum. 1733. 8°.
C Bibl. Baumanni (1850) Nr. 7047

XVIII

Pr. c. a. Wauer. gr.
Cum c. not.

Bücher-Antiquariat
LUDWIG AUER
...

EVERARDI OTTONIS,

JCti & Anteceſſoris,

DE

TUTELA VIARUM *PUBLICARUM*

LIBER SINGULARIS;

CUJUS

Pars I. eſt de Diis Vialibus, II. de Magiſtratibus Viocuris, & III. de Legibus ad viarum ſecuritatem pertinentibus.

J. F. W. —13—

TRAJECTI ad RHENUM,
Apud A. HOFMANS ET J. S. BOSCH.

MDCCXXXI.

Wolf.

PRÆFATIO.

Introite, *ſultis, nam & hic Dii ſunt!* Heraclitus olim, ad furnum caleſcens, hoſpitibus adventantibus dixiſſe fertur: idem & mihi in limine hujus opuſculi uſurpare liceat, ſi qui forte impiam illam viatorum pietatem oculis animisque ſubjicere non dedignabuntur. Titulum a voce latiore *Tutelæ* ſumſi, quæ non modo viarum munitionem, ſed Deos etiam viales, & Magiſtratus viocuros, ac Leges, itinerum ſecuritatem præſtantes, ambitu ſuo comprehendit. Deos ſane Deasque, a certis, quas terra vel mari habebant, tutelis nomen hoc tuliſſe, memorata toties apud Ovidium, Petronium, & in Marmoribus priſcis *Tutela proræ, hortorum, loci & navigii* evincit abunde. Horatius

quoque Auguſtum, curatorem viarum maximum, *tutelam Italiæ* præſentem vocavit, deque alia ITALIÆ TUTELA, ad pulcherrimum Nervæ nummum, erudite Triſtanus. Celſus autem noſter, proprio ſignificatu, legati *ad tutelam viæ Aureliæ* meminit; ſicut Clodius, ex reditu legato Reip. Campanorum, VIAE TUTELAM præſtitiſſe dicitur, in lapide Gudii. Verum de libri inſcriptione ſatis: nunc ejus quoque occaſionem paucis accipe. Quum totus olim juvenilibus annis eſſem in conquirendis, quæ ad Ædilium Curulium munia pertinerent, omnino Viri præclari, Nicolai Bergierii opus, *de publicis & militaribus Imperii Romani viis*, una cum eruditis Cl. ejus interpretis Henninii notis, in decimo Theſauri Antiquitatum Romanarum tomo, mihi perluſtrandum cenſui. Admirabar vaſtum ingenium, & uberem rerum copiam, quibus Syndicus ille Remenſis inſtructus ſtupendæ hoc, & pæne incredibilis magnitudinis Romanæ argumentum tam diligenter pertractavit, ut omnibus poſt ſe metam poſuiſſe videatur. Sed cum inter legendum animadverterem, inſtituti

ſtituti ejus rationem non tuliſſe, ut de Diis vialibus, aut de Legibus, viatorum gratia latis tractaret, adhæc ſpicilegium quoddam de Magiſtratibus viocuris, ab illo relictum, memoriæ meæ obverſaretur, tentare cœpi, num opis aliquid & adjumenti, communibus Muſarum ſacris hac parte adferre poſſem. Calcar addebat, quod, præter ea, quæ ſummus Scaliger, ex locuplete ſua penu, ad Catalecta depromſit, de Diis vialibus pauca tantum, eaque ſparſim literis tradita reperirem: quæ vero magnus Reineſius, ad cl. I. n. 140 ſe alibi de eodem argumento dixiſſe ſcribit, ex manuſcripto ejus, inter ſchedas, exciderint omnia. Sic ergo Halæ Magdeburgicae A. cIↃ IↃcc xiv. in lucem publicam tripartiti hujus libelli pars prior, *de Diis vialibus*, prodiit: alteram vero & tertiam partem ratio muneris tunc mandati pertexere non ſinebat: id quod ſubjecta Epiſtola dedicatoria monſtrat, quam omittere religio fuit, etſi Vir ille Maximus, inter Cœlites nunc beatus, cultus noſtri inania non cernat. Vel ſola autem illa pars prior, ci-

tra ſpem, judiciis Eruditorum non modo benigne excepta eſt, ſed doctiſſimos quoque viros, ſic uti non vano augurio prædixeram, ſtimulavit, ut in hac priſcæ Theologiæ parte mecum deſudare non inglorium ſibi eſſe putarint. Quadriennio enim interjecto Vir Cl. Gottlib. Sigefridus Bayer, eruditam Regiomonti diſſertationem edidit, *de Diis vialibus Græcorum*; nec minore apparatu Rev. Chriſtianus Weiſius *Nùmina* Hebræorum, Chaldæorum aliorumque *vialia*, binis diſſertationibus expoſuit Lipſiæ A. MDCCXXIV. Ab his Duumviris ſubinde, dum varia, ut fieri ſolet, in hac editione corrigo, expungo vel ſuppleo, adjutum me eſſe profiteor: plura autem ab iis ſumere potuiſſet Nob. Blanchardus, qui vulgaria tantum, *de religione peregrinantium*, Gallico ſermone delibavit, tom. 11. Hiſt. Acad. reg. De utilitate porro hujus operulæ ſi quæratur, rara quidem temporum felicitate, Ethnicorum Numina vana & ſtercorea eſſe didicimus; attamen his quoque vinea Domini ſtercoratur, & varia Juris Romani, veterumque Auctorum capi-

capita illuſtrantur. Quod ſi autem vitio creati Cenſores finium regundorum mecum experiantur, fictosque hos viarum tutores nil ad Edictum Prætoris facere, ſed Juvenes ad magna natos a litterarum ſtudio ſic deterreri, nullo veri colore criminentur; eos quidem judicio ſuo facile relinquam, ſatis certus, veterum me Jurisconſultorum, inprimis autem Labeonis exemplo, operam hanc ſuſcepiſſe: is enim, auctore Servio, *libros de Diis, quibus origo animalis eſt, conſcripſit. Hi autem ſunt Dii Penates & Viales.* Quinimo ſi prima forte pars pedem alieno in choro ponit, atque extra viam ambulat, altera certe, & magis tertia ab eo crimine me abſolvent. Magna pars, ajebat Plinius, ſtudiorum amœnitates quærimus; nec video, quid vetet, tetrica Jurisprudentiæ ſtudia cum jucundioribus his diſtingui, modo antiquum ſervetur, Prodeſſe quibus poſſis, nocere nemini. Nunquam vero reverentiæ, quam viris præſtantibus debeo, nec modeſtiæ, quæ mitiorum Muſarum alumnos decet, ſum oblitus; ideoque ſicubi in biviis & triviis a vera via

cum Diis meis vialibus aberravero, Lector honeſtus viciſſim cogitabit, illos homines fuiſſe, & a me nihil humani alienum eſſe.

Trajecti ad Rhenum
MDCCXXXI.

Dedicatio primæ parti olim præmiſſa.

VIRO

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO,

D. MARQUARDO LUDOVICO DE PRINZEN,

POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS SUPREMO AULÆ MARESCALLO, ET MINISTRO STATUS INTIMO, ORDINIS REGII AQUILÆ NIGRÆ EQUITI, CONSISTORII PRÆSIDI, RERUM ECCLESIASTICARUM ET FEUDALIUM DIRECTORI, ETC. ETC. ETC.

PERENNEM FELICITATEM!

Vanos ac commentitios Gentium Deos ſat longis commentariis expoſuerunt Viri celeberrimi; Deorum autem Vialium tam parca ab iis ſit mentio, ut ipſa vetuſtate oppreſſi pæneque oblitterati videantur. Facturum itaque me operæ pretium exiſtimavi, ſi hos, in triviis & compitis olim celebra-

tos, ex monumentis veterum in lucem revocarem, aut ſaltem, tentata eorum illuſtratione, alios accenderem, qui feliciore ingenio nobiliſſimam hanc priſcæ Theologiæ partem eſſent interpretaturi. Jacent quidem reconditæ hujusmodi & abſtruſioris eruditionis ſtudia, quique rebus agundis ſeſe accingere jactant, parum ad gloriam, parum ad rem familiarem ea conferre clamitabunt: at mihi ſufficit ſummorum omni memoria Juriſconſultorum exemplum, qui cum humanis divina, antiqua cum recentibus felici ſemper connubio junxerunt; & ſine ipſis Diis hiſce, nonnulla Sacræ Scripturæ Jurisque civilis capita vix recte intelligi aut explicari poſſe videbantur. Quicquid eſt, Vir Excellentiſſime, ego hanc Opuſculi, De Tutela viarum publicarum *partem primam, Illuſtriſſimo Nomini Tuo conſecrare auſus ſum, non ſingulari tantum illa indulgentia, qua me æternum Tibi devinxiſti, ſed & dignitatis, virtutum & perſonæ, quam ſuſtines, ratione permotus. Inter tot enim purpuratos Regis Proceres Sacrorum cum maxime curam geris, ut ne violentur, aut corrumpantur, praviſque ethnicorum ſuperſtitionibus corrumpantur; has autem in viis paſſim regnare oſtendi. Adhæc raro, ſi ad alias aulas reſpicimus, exemplo litte-*

rarum ſtudia foves inprimis, ac iis deditos homines liberalitate ſublevas, ut re & nomine togatæ militiæ Principem *Te prædicent omnes, atque ego de Te dixerim ſæpius, quod de Titinio Capitone Plinius junior:* Vir eſt optimus, & inter præcipua ſæculi ornamenta numerandus: colit ſtudia, ſtudioſos amat, fovet, provehit, multorumque, qui aliqua componunt, portus, ſinus, præmium, exemplum; ipſarum denique litterarum jam ſeneſcentium reductor ac reformator. *Non alienum forte ab hoc loco erat,* Illuſtriſſime Mæcenas, *in laudes Tuas excurrere, ſed ingenii mei paupertas id tentaſſe veretur, & ſeris annalibus, ſi ulla virtutis & poſteritatis memoria, illarum cura erit relicta. Alii in Te prudentiam, alii comitatem, purioris religionis cuſtodiam alii, & morum integritatem, & maxima in Rempublicam merita Tua mirabuntur. Hoc unicum patere, ut in præſens dicam, Dei munere fugientibus Muſis Te datum eſſe ſtatorem, qui viris eruditione claris Regias Academias ita inſtruis, ornas & auges, ut optimo jure bonarum artium officinæ & litteraria Europæ totius emporia dici queant. Neque vero aliorum id exemplo facis, qui litteris quidem & litteratis, ſed aliena fiducia, favent: tanta enim Tua in*

omni

omni litterarum genere eſt præſtantia, tanta bonarum artium peritia, ut jam de doctis præcipuum Tuum judicium exiſtimetur. Me quidem, licet in his nullus mihi locus, dignum eſſe voluiſti, cui Juris docendi provincia in Academia Duiſburgenſi mandaretur. Non habeo dicere, quam acriter hæc me benevolentia ad majorem in ſtudiis juris Romani & Germanici recolendis alacritatem impellat; & pro tanto beneficio niſi in vita mea omnibus modis hanc animi grati voluntatem teſter, impius ſim & hominis appellatione indignus. Fuit hæc antiquorum ratio, ut ſtatuas iis, qui de ſe bene meriti eſſent, ponerent, cauſſamque in baſi ſubſcriberent BENE MERENTIBUS. *Quod ſi etiam Deorum Vialium hoc libro deſcriptis ſtatuis & columnis immortale Nomen Tuum adſcribi ſinas, meæ in Te obſervantiæ ac pietatis ſponſores erunt, donec gravioris argumenti opus, Teque ut ſpero dignius, in lucem prodibit. Faxit modo Deus, ut diu ſalvus & incolumis ſuperſtes ſis Regi, Eccleſiæ & Scholis: ſic enim domi militiæque bene erit, Religio florebit, Muſis ſuus conſtabit honos, eorumque cultores Te Mæcenatem prolixum & benevolum venerabuntur. Dabam in Academia Fridericiana a. d.* XXI. *Kalend. Auguſti* MDCCXIV.

NO-

NOTITIA CAPITUM

PARS I.

DE

Diis Vialibus.

Cap. I. *de Religione & Superſtitione veterum peregrinantium.* pag. 1
II. *de Statuis, Aris & Templis Deorum vialium.* 22
III. *de Diis vialibus Ægyptiorum, Judæorum & Syrorum.* 44
IV. *de Diis vialibus Chaldæorum, Arabum & Perſarum.* 63
V. *de Diis vialibus Germanorum, Gallorum, Britannorum, Hiſpanorum, Indorum, Turcarum & Ruſſorum.* 73
VI. *de Jove, Græcorum & Romanorum ſummo viarum præſide.* 97
VII. *de Apolline, Baccho & Jano.* 112
VIII. *de Diana, Hecate, Venere & Iſide.* 127
IX. *de Mercurio.* 152
X. *de Hercule.* 178
XI. *de Laribus vialibus & Geniis viarum.* 204
XII. *de Silvano, Priapo, Fortuna, Bivia, Quadrivia &c.* 233
XIII. *de Neptuno, Dioſcuris & ceteris Diis marinis* 254
XIV. *de Fatis Deorum vialium.* 293

PARS II.

DE

Magiſtratibus Viocuris.

Cap. I. *de Regia cura viarum publicarum.* 314
II. *de Cenſoribus primis præfectis viarum Romanarum.* 325

III *de*

Cap. III. *de Ædilibus Curulibus & Municipalibus, viarum Urbanarum Curatoribus.* 341
IV. *de magnifica viarum ſtructura, ſecundum legem viariam Gracchi, Tribuni.* 353
V. *de Quatuorviris, Duumviris & Curatoribus viarum.* 371
VI. *de Auguſto, tutore viarum maximo.* 384
VII. *de Præſidum cura viarum in provinciis.* 401

PARS III.

DE

Legibus, ad viarum ſecuritatem pertinentibus.

Cap. I. *de Edicto viario Ædilium Curulium.* 414
II. *de occaſione & neceſſitate hujus Edicti.* 427
III. *de ſententia Edicti* 442
IV. *de ſanctione Edicti, ejuſque æquitate.* 454
V. *de Edicto Prætoris, de Dejectis, effuſis & periculoſe poſitis.* 471
VI. *de Edictis Prætorum adverſus Nautas, caupones & ſtabularios.* 493
VII. *de Edicto Prætoris adverſus Publicanos.* 507
VIII. *de Interdictis Prætorum viariis, & de via reficienda.* 521
IX. *de Pœnis Raptorum, Latronum & Piratarum.* 533
X. *de Cæde viatorum expianda, & de Damno Spoliatis reſarciendo.* 548
XI. *de variis Legibus viariis.* 560

EVERARDI OTTONIS,

DE

TUTELA

VIARUM PUBLICARUM,

PARS I.

DE

DIIS VIALIBUS.

CAPUT I.

De religione et superstitione veterum peregrinantium.

Unum Gentilibus fuit Numen, cujus varii miniſtri, quos inter Dii viales. Proficiſcentes religioſi invocabant Deos; nuncupabant vota; in itinere adorabant; reverſi Diis agebant grates, & vota ſolvebant. Apuleji lectio vindicata. Superſtitioſi vero, conſultis Mathematicis, auſpicia & omina captabant; die-

 bus

bus atris & Saturni proficiſci non audebant; in viis aqua ſe luſtrabant; adorabant fluvios; abeuntes & revertentes terram oſculabantur.

VEre Apoſtolus, in epiſtola ad urbium principem, nationes, ait, ex operibus naturæ ad notitiam Numinis perveniſſe; ſed ingrato eas animo, veritatem in injuſtitia detinentes, æterni Dei gloriam transſcripſiſſe rebus interitui obnoxiis. Nulla enim gens uſquam adeo extra leges moreſque fuit projecta, ut non Deos eſſe crederet; quin etiam ſapientioribus pleriſque ratione magiſtra patebat, unum eſſe rerum principium, ſummum Deûm hominumque rectorem & patrem, cujus nutu & conſilio univerſum hoc gubernetur. At vero cum miſelli hi rerum viſibilium argumenta ſectabantur, veram veri Numinis formam rimari non poterant; ſed ex diverſis ejus operibus Deos ſibi fingebant inferiores, quibus ſua cuique procuratio, & cæleſtium & terreſtrium, eſſet commiſſa, quorumque cultus in ſupremum illum omnium parentem redundaret. Eleganter Plinius lib. II. cap. 7. *Fragilis & laborioſa mortalitas in partes iſta digeſſit, infirmitatis ſuæ memor; ut portionibus quiſque coleret, quo*

ma-

maxime indigeret. Itaque nomina alia aliis gentibus, & numina in iiſdem innumerabilia reperimus. Sicut ergo, in vita communi, alia à piſtore, alia à fabro, alia ab aliis utenſilia petuntur: ita neceſſaria olim erat cognitio, quam quiſque Deus vim & poteſtatem haberet, ut cujuſque rei cauſa is invocaretur, qui eam facultatem ſortitus eſſet, ne, quod mimi ſolebant, à Libero optaretur aqua, vel à Lymphis vinum, ut ex Varrone tradit Auguſtin. de civ. Dei lib. IV. c. 22. Addo Arnobium lib. II. adv. gent. pag. 89. *Dii certe certas apud vos habent tutelas, licentias, poteſtates, neque eorum ab aliquo id, quod ejus non ſit poteſtatis ac licentiæ poſtulatis: aliud Neptunum creditis, aliud poſſe Junonem, Fortunam, Mercurium, Vulcanum; rerum eſſe ſingulos certarum & ſingularum datores.*

Græci in primis & Romani, quemadmodum majorem, quam ceteri, in homines præ ſe tulerunt humanitatem, ſic & Deorum numero ſtudioque religionis omnes populos alios ſuperarunt. Parum eſt, quod illa apud Virgilium ſacerdos *Tercentum tonat ore Deos;* Heſiodus triginta millia in terris numerat, & Auguſtinus trecenta millia Idolorum fuiſſe teſtatur. Unus vero Jupiter Deorum ipſis erat Optimus,

propter beneficia, & Maximus, propter vim; θεὸς ὕψιστος, & *Exuperantiſſimus*, uti in nummis & inſcriptionibus, apud Sponium & Gruterum vocatur: reliqui autem Dii erant Θεȣ̃ παῖδες, & συνάρχοντες θεῷ, auctore Maximo Tyrio. Optime Tertullianus in Apolog. cap. 24. *Nonne conceditis, de æſtimatione communi, aliquem eſſe ſublimiorem & potentiorem, velut principem mundi, perfectæ potentiæ & majeſtatis? Nam & ſic plerique diſponunt divinitatem, ut imperium ſummæ dominationis eſſe penes unum, officia ejus penes multos velint; ut Plato Jovem magnum in cœlo comitatum exercitu deſcribit. deorum & dæmonum. Itaque oportere & Procurantes, & Præfectos, & Præſides pariter ſuſpici.* Adeo autem πολυθεία erant infatuati, ut cuivis negotio, etiam rebus leviculis & minimis, ſuum aſſignarent numen; geniculis culmorum Nodotum, ſpinis Spinienſem, cubili Cubam, cunis Cuninam; &, uni cuſtodiendæ januæ, tres, foribus Forculum, cardini Cardam, & limini Limentinum. Tertullianus de corona cap. XIII. *At enim Chriſtianus nec januam ſuam laureis infamabit, ſi norit, quantos deos, etiam oſtiis, diabolus affinxerit: Janum a Janua, Limentinum a limine, Forculum & Cardam a foribus & cardinibus, & apud Græcos,*

cos, *Thyreum Apollinem*, *&* *Antelios dæmonas.*

Nullam igitur admirationem habet, ſi, quæ majoris momenti ſunt, viis & compitis, peculiares præfecerunt Deos, quorum munus eſſet, itinera ignota & interrupta errantibus aperire, ac per vias præcipites, feriſque obſeſſas, per ſyrtes, per ſaxa, per hoſtes, itum & reditum à periculo præſtare tutum. Videbant enim alios vehiculo lapſos, properantem ſpiritum excuſſiſſe, ut ait Petron. c. 115. alios vehiculo everſos via Hoſtienſi, apud Gruter. pag. 752. n. 2. alios in latrones & piratas incidiſſe, cum vitæ & bonorum diſpendio, apud Spon. Miſcell. pag. 202. denique quo plura a diei fervore, vel a cœcitate noctis, a ventis & tempeſtatibus, viatori & nautæ pericula imminebant, eo magis Diis Tutelaribus & Averruncis opus eſſe videbatur, qui ea depellerent: nam & ipſe Deus vivus & æternus angelos ſuos illis præmittere dicitur, quorum iter ſecundat, Geneſ. XXIV. vſ. 7. & Malach. III. vſ. 1. Deorum vialium non una fuit conditio; ſed præcipui eorum ſunt Apollo, Diana, & Mercurius; qui ideo Græcis θεοὶ ὅδιοι, ἐνόδιοι, ἡγεμόνιοι, ἀγυιεῖς, εὐόδιοι & σωτῆρες, quod in viis verſarentur & iter ſalvum præſtarent; Latinis *Dii viales*, *viaci*, *compitales*, *ſemitales*, *comites* & *reduces* dicti.

dicti. Item Neptunus, Caſtor, Pollux & Iſis, qui θεοὶ διαπόντιοι, in Gloſſis; ἀρωγοναῦται δαίμονες, in Epigr. veteri; θαλάττιοι & ἐνθαλάττιοι apud Pollucem *lib.* I. *c.* I. *n.* 23. Latinis vero *Dii marini*, *Lares permarini* & *Dii littorales* appellantur. In illis fiduciam collocabant iter per regiones facturi: horum auxilium implorabant, navibus proficiſcentes, & quemadmodum omnibus rebus incipiendis gerendiſque Deos adhibebant, ſic & ſine illorum ope, auxilio & tutela, ne pedem ſe promovere poſſe, pro certo habebant. Neminem ſane apud Græcos adeo vecordem fuiſſe, ut quicquam magni aut parvi ſuſciperet, priuſquam Deorum conſilium imploraſſet, indicat Plato in Timæo; nec aliter Romae, niſi a diis immortalibus, rerum agendarum primordia capta fuerunt, quod nihil rite, nihilque providenter homines, ſine deorum ope, conſilio, honore auſpicari crederentur, ait Plin. init. Paneg. & ex Cicerone, Livio aliiſque confirmat Alciat. lib. IX. Parerg. c. 6. Juvabit hoc illuſtribus quibuſdam exemplis eorum, qui pro ſalute itus Deos Deaſque invocarunt, hic illuſtraſſe.

Et ecce tibi e Graecis Homerum, ubique veterum Heroum pietati teſtimonium perhibentem. Agamemnon Iliad. VIII. vſ. 238. felix ſibi iter a Jove poſcit, quod nul-

lam

lam aram, honori ejus dicatam, nave praeterierat, quin adipem boum & femora combuſſerit. Achilles Iliad IX. vſ. 357. ut ἐυπλοίην, ſive proſperam navigationem obtineret, Jovi & omnibus Diis ſacra facit. Rurſus Ajax Iliad. XIII. vſ. 818. Hectorem monet, ſupplicandum Jovi patri & aliis immortalibus, ut equi velociores accipitribus eum ad urbem ferrent. Neſtor denique cuſtos Argivorum, inter ceteros, alta voce vota facientes, manus porrigens in cœlum ſtellatum, ita precatur Iliad XV. vſ. 372.

Ζεῦ πάτερ, εἴποτέ τις τοι ἐν Ἄργεϊ περ πολυπύρῳ,
Ἢ βοὸς, ἢ ὄϊος κατὰ πίονα μηρία καίων,
Εὔχετο νοστῆσαι, σὺ δ'ὑπέσχεο καὶ κατένευσας,
Τῶν μνῆσαι.

Jupiter pater, ſi unquam aliquis tibi in Argo, tritici ferace,
Vel bovis, vel ovis pinguia femora comburens,
Precatus eſt, ut rediret, tu autem promiſiſti & annuiſti,
Horum memento.

Similiter Orpheus Argonaut. vſ. 347. Deos, qui Oceano & arenoſis ripis imperant, implorat omnes, ut vivi redeant ad domos ſuas ſinguli, & vſ. 449.

Ἄκρης ἐκ σκοπιῆς, ὁ γέρων ἀνὰ χεῖρας ἀείρων
Φιλλυρίδης ἠρᾶτο, θεοὺς δ'ἐπεκέκλετο πάντας
Νόστον μὲν μινύαισιν ἰδὲ κλέος ἐσθλὸν ἀρέσθαι.

dicti. Item Neptunus, Caſtor, Pollux & Iſis, qui θεοὶ διαπόντιοι, in Gloſſis; ἀρωγοναυται δαίμονες, in Epigr. veteri; θαλάττιοι & ἐνθαλάττιοι apud Pollucem *lib.* I. *c.* I. *n.* 23. Latinis vero *Dii marini*, *Lares permarini* & *Dii littorales* appellantur. In illis fiduciam collocabant iter per regiones facturi: horum auxilium implorabant, navibus proficiſcentes, & quemadmodum omnibus rebus incipiendis gerendiſque Deos adhibebant, ſic & ſine illorum ope, auxilio & tutela, ne pedem ſe promovere poſſe, pro certo habebant. Neminem ſane apud Græcos adeo vecordem fuiſſe, ut quicquam magni aut parvi ſuſciperet, priuſquam Deorum conſilium imploraſſet, indicat Plato in Timæo; nec aliter Romae, niſi a diis immortalibus, rerum agendarum primordia capta fuerunt, quod nihil rite, nihilque providenter homines, ſine deorum ope, conſilio, honore auſpicari crederentur, ait Plin. init. Paneg. & ex Cicerone, Livio aliiſque confirmat Alciat. lib. IX. Parerg. c. 6. Juvabit hoc illuſtribus quibuſdam exemplis eorum, qui pro ſalute itus Deos Deaſque invocarunt, hic illuſtraſſe.

Et ecce tibi e Graecis Homerum, ubique veterum Heroum pietati teſtimonium perhibentem. Agamemnon Iliad. VIII. vſ. 238. felix ſibi iter a Jove poſcit, quod nullam

lam aram, honori ejus dicatam, nave praeterierat, quin adipem boum & femora combuſſerit. Achilles Iliad IX. vſ. 357. ut ἐυπλοίην, ſive proſperam navigationem obtineret, Jovi & omnibus Diis ſacra facit. Rurſus Ajax Iliad. XIII. vſ. 818. Hectorem monet, ſupplicandum Jovi patri & aliis immortalibus, ut equi velociores accipitribus eum ad urbem ferrent. Neſtor denique cuſtos Argivorum, inter ceteros, alta voce vota facientes, manus porrigens in cœlum ſtellatum, ita precatur Iliad XV. vſ. 372.

Ζεῦ πάτερ, εἴποτέ τις τοι ἐν Ἄργεΐ περ πολυπύρῳ,
Ἢ βοὸς, ἢ ὄϊος κατὰ πίονα μηρία καίων,
Εὔχετο νοστῆσαι, σὺ δ' ὑπέσχεο καὶ κατένευσας,
Τῶν μνῆσαι.

Jupiter pater, ſi unquam aliquis tibi in
Argo, tritici ferace,
Vel bovis, vel ovis pinguia femora comburens,
Precatus eſt, ut rediret, tu autem promiſiſti & annuiſti,
Horum memento.

Similiter Orpheus Argonaut. vſ. 347. Deos, qui Oceano & arenoſis ripis imperant, implorat omnes, ut vivi redeant ad domos ſuas ſinguli, & vſ. 449.

Ἄκρης ἐκ σκοπιῆς, ὁ γέρων ἀνὰ χεῖρας ἀείρων
Φιλλυρίδης ἠρᾶτο, θεοὺς δ' ἐπεκέκλετο πάντας
Νοστὸν μὲν μινύαισιν ἰδὲ κλέος ἐσθλὸν ἀρέσαι.

Alta ex ſpecula ſenex in altum manus tendens
Phillyrides precatus eſt. Deoſque invocavit omnes,
Ut reditum Minyæ & Magnam gloriam referant.

Eadem religione Tlepolemus Apollinis auricomi oraculum conſuluit, quorſum navium claſſem verteret; μαντέυσατο δ' ἐς Θεὸν ἐλθών, ait Pindarus Od. VII. vſ. 56. Rhodios item, quotieſcunque a littore longius prodibant claſſes, ſolitos fuiſſe prius Phorbantis adventui ſacrificare, ſcribit Hyginus lib. II. fab. 14. ut talis eventus inopinatæ virtutis ſuis accidat civibus, qualis inſcium Phorbanta caſus futuræ laudis ad ſidera gloriæ pertulit. His addamus Arrianum in Epictetum lib. III. cap. 21. Ἀλλ' ἀπολιπόμενος μὲν οὐδεὶς ἀνάγεται μὴ θύσας τοῖς θεοῖς, καὶ παρακαλέσας αὐτοὺς βοηθοὺς οὐδὲ σπείρουσιν ἄλλως οἱ ἄνθρωποι, εἰ μὴ τὴν Δήμητραν ἐπικαλεσάμενοι. Τηλικούτου δ' ἔργου ἁψάμενός τις, ἄνευ θεῶν ἀσφαλῶς ἅψεται; καὶ οἱ τούτῳ προσιόντες εὐτυχῶς προσελεύσονται. *At nemo è portu ſolvit, niſi ſacra Diis fecerit, eorumque opem implorarit: neque aliter ſerunt agricolæ, niſi Cerere invocata. Tantam autem rem qui neglecto Numine aggreditur, num tuto aggreditur? Num qui illum adeunt, feliciter adibunt?*

Latinorum plura habeo teſtimonia; ſed ſuffi-

ſufficient ſelectiora. Primum feret Livius lib. XXVII. cap. 45. *Deos omnes Deasque precabantur, ut illis fauſtum iter, felixque pugna, matura ex hoſtibus victoria eſſet.* & lib. XXIX. cap. 27. Scipio in Africam trajecturus: *Divi Divæque*, inquit, *qui maria terrasque colitis, vos precor quæſoque; uti quæ in meo imperio geſta ſunt, geruntur, poſtque gerentur, ea mihi, populo plebique Romanæ, ſociis nominique Latino, qui populi Romani, quique meam ſectam, imperium, auſpiciumque terra, mari, amnibuſque ſequuntur, bene verruncent: eaque vos omnia bene juvetis: bonis auctibus auxitis: ſalvos incolumeſque victis perduellibus victores, ſpoliis decoratos, præda onuſtos triumphanteſque, mecum domos reduces ſiſtatis.* Plinius lib. XXVIII. cap. 2. *Cæſarem Dictatorem poſt unum ancipitem vehiculi caſum* (vid. Sueton. Julio cap. 37.) *ferunt ſemper, ut primum conſediſſet, id quod pleroſque nunc facere ſcimus, carmine ter repetito, ſecuritatem itinerum aucupari ſolitum.* Apud Tacitum Nero, in provincias Orientis iturus: *ſuper ea profectione adiit Capitolium, illic veneratus deos*, lib. XV. Annal. cap. 36. Petronius Satyr. cap. 117. *His ita ordinatis, quæ bene feliciterque evenirent, precati Deos, viam ingredimur.*

Diis etiam, qui peregre proficiſcebantur, vota faciebant. Anacharſis, quum per Helleſpontum navigans tenuiſſet Cyzicum, vovit Matri deorum, ſi ſalvus ſoſpeſque domum revertiſſet, ſacrificaturum ſe eodem ritu, quo Cyzicenos ſacrificantes vidiſſet & pervigilium inſtituturum, quod etiam in Scythiam redux ſolvit, auctore Herodoto lib. IV. c. 76. Romanorum Conſules, Prætores & Præſides, cum in provinciam proficiſcebantur, vota pro itu nuncupabant, multiſque præſentibus in tabulas referebant, ſignabant & aliquando Deorum genibus affigebant, auctore Feſto, in *nuncupata*. Virgilius l. V. v. 235. Cloanthum manibus ad cœlum tenſis ita refert Deos in vota vocaſſe:

Dî quibus imperium eſt pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum
Conſtituam ante aras voti reus, extaque ſalſos
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

Plautus Amphitr. Actus III. ſc. 2

Jube vero vaſa pura adornari mihi,
Ut quæ apud legionem, vota vovi, ſi domum
Rediſſem ſalvus, ea ego exſolvam omnia.

Ti-

Tibullus lib. III. Eleg. 3. vſ. 27.

At ſi pro dulci reditu quæcunque voventur,
Audiat averſa non meus aure Deus.

Maxime vero ſolennia vota pro incolumitate Principum peregre euntium, in quibus quaſi publica ſalus, ſuſcipiebantur. Sueton. Tiberio c. 38. *Vota pro itu & reditu ſuo ſuſcipi paſſus.* & in Calig. c. 14. *Cum paucos poſt dies in proximas Campaniæ inſulas trajeciſſet, vota pro reditu ſuſcepta ſunt.*

Nec tantum antequam ſe in viam darent, ſed & in ipſa via viatores, oblato quopiam loco ſancto, veniam poſtulare, preces fundere & paullisper adſidere ſolitos, indicat locus inſignis L. Apuleji lib. I. Floridorum; *Ut ferme religioſis viantium moris eſt, cum aliquis lucus, aut aliquis locus ſanctus in via oblatus eſt, veniam poſtulare, donum apponere, paullisper aſſidere: ita mihi, ingreſſo ſanctiſſimam iſtam civitatem, quanquam oppido feſtino, præfanda venia, & habenda oratio, & inhibenda properatio eſt.* Antiquiores editiones: *votum poſtulare, portum apponere, paullisper adſidere.* Rutgers. lib. V. Var. lect. c. 5. inverſis vocibus legit: *votum apponere, portum poſtulare;* ſed portus nil ad viam terreſtrem; nec *fortum* probo, pro ferto,

libi

libi genere, uti Sellius conjiciebat Obſ. c. 14. quia ſic priora ſunt conſtituenda, ut poſtremis reſpondeant. Ovidius lib. 1. Triſt. Eleg. XI. vſ. 21.

Ipſe gubernator tollens ad ſidera palmas,
Expoſcit votis, immemor artis, opem.

Horat. lib. III. Ode 29. vſ. 57.

Non eſt meum, ſi mugiat Africis
Malus procellis, ad miſeras preces
Decurrere, & votis paciſci,
Ne Cypriæ Tyriæque merces
Addant avaro divitias mari.

Reduces vero, pro periculis in itinere repulſis, & moleſtiis peregrinationis feliciter exantlatis, Diis agebant grates. Sic Agamemnon domum reverſus, apud Æſchylum Agamemn. vſ. 819.

Πρῶτον μὲν Ἄργος, καὶ θεοὺς ἐγχωρίους
Δίκη προσειπεῖν τοὺς ἐμοὶ μεταιτίους
Νόστου

Primo quidem Argos, Deoſque loci præſides
Fas erit alloqui, qui mihi reditus cauſæ ſunt.

Ita Soſia, Thebas incolumis reverſus, apud Plautum Amphitr. Act. 1 ſc. 1.

- - - numero mihi in mentem fuit.
Dîs advenientem gratias pro meritis agere, atque alloqui.

Et Mneſilochus, Epheſo adveniens in Piræeum,

eum, Bacchid. II. ſc. 3.

Deos atque amicos iit ſalutatum ad forum.

Solvebant denique vota thure, vino & cæſis hoſtiis. Heroës apud Homerum Odyſſ. III. vſ. 4.

Οἱ δὲ πύλον, Νηλῆος ἐϋκτιμένον πτολίεθρον,
Ἷξον· τοὶ δ' ἐπὶ θινὶ θαλάσσης ἱερὰ ῥέζον,
Ταύρους παμμέλανας Ἐνοσίχθονι κυανοχαίτῃ.

Illi autem in Pylum, Nelei bene ædificatum oppidum,
Venerunt, illique in littore maris ſacra faciebant,
Tauris nigerrimis Neptuno cærulea cæſarie.

Idem innumeri lapides, aræ & tabellæ teſtantur, apud Gruterum, in quibus vota PRO SALVTE. ITV. ET. REDITV, pag. 8. n. 2. PRO. FELICI. ITV. AC. REDITV, 1014. n. 6. PRO FELICI EX VRBE REDITV, 115. n. 6. HERCVLI. QVOD. PROFICISCENTES. EXPEDITIONIBVS. SACRIS. VOVERANT. REGRESSI. LIBENTES. VOTVM. SOLVERVNT, p. 46. 10. NEPTVNO. VOTVM. IN. SICVLO. FRETO. SVSCEPTUM. SOLVIT, 62. n. 6. OB. FELICEM. IN. PATRIAM. REDITVM. TOT. SVPERATIS. NAVFRAGII. PERICVLIS. 1016. n. 3. Inprimis ſi Princeps ſalvus

vus ex voto rediiſſet, victor & triumphator, adventum ejus, publica celebratione, togati pariter ac ſagati proſequebantur; inde ADVENTUI AVG. cum ara, in nummis Trajani & Hadriani; & PRO REDITV. IMP. apud Grut. p. 22. n. 3. 63. n. 9. & 1068. n. 2. Catullus carm. IV. Phaſelum, quo e Ponto ad larem ſuum revectus, Dioſcuris dedicans, pro ſecunda navigatione.

Nec ulla vota littoralibus diis
Sibi eſſe facta, cum veniret à mare
Noviſſimo, hunc ad uſque limpidnm lacum.

Virgilius I. Georg. verſ. 436.

Votaque ſervati ſolvent in littore nautæ,
Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.

Philocomaſium, ex adverſa tempeſtate ſervata, apud Plautum Mil. glor. II. ſc. 5.

Inde ignem in aram, ut Epheſiæ Dianæ laudes lautas
Grateſque agam, eique ut Arabico fumificem odore amœne:
Quæ me in locis Neptuniis, templiſque turbulentis
Servavit, ſævis fluctibus ubi ſum afflictata multum.

Ovid. Heroid. ep. I. vſ. 25.

Argolici rediere duces: altaria fumant.

Po-

Ponitur ad patrios barbara præda Deos.
Grata ferunt Nymphæ pro ſalvis dona maritis:
Illi victa ſuis Troïa fata canunt.

Juvenalis *Sat. XII. vſ.* 10. ob reditum Catulli:

Si res ampla domi ſimiliſque affecti-bus eſſet,
Pinguior Hiſpulla traheretur taurus, & ipſa
Mole piger, nec finitima nutritus in herba,
Læta ſed oſtendens Clitumni paſcua ſanguis
Iret, & à grandi cervix ferienda mi-niſtro,
Ob reditum trepidantis adhuc horrenda-que paſſi
Nuper, & incolumem ſeſe mirantis amici.

Multa id genus alia in Propempticis Poëtarum occurrunt, quæ ſciens prætermitto, ne et meo et Lectoris otio abuti videar.

Potius, ne ut emanſor a ſignis abſim longius, ad alterum capitis hujus membrum pergo, quod eſt de ſuperſtitione hominum prave religioſorum, qui viam eſſent ingreſſuri. Hi vero iter non ſuſcipiebant, niſi auſpiciis captis Mathematicos conſuluiſſent, aut

aut geneſi ab illis facta cognoviſſent, iter fauſtum ſibi fore ac felix. Philoſtratus de vita Apollonii lib. II. c. 39. Ὑπολαβὼν οὖν ὁ Ἀπολλώνιος, ἐφ' ἱεροῖς οὖν ἔφη, ποιεῖσθε καὶ ταύτας ὥσπερ τὰς ἐξόδους τε καὶ τὰς στρατείας. *Reſpondens autem Apollonius auſpicatone, inquit, hæc quoque facitis, ſicut itinera & militares expeditiones?* Apulej. lib. II. Metam. *Corinthi nunc apud nos paſſim Chaldæus quidam hoſpes miris tamen civitatem reſponſis turbulentat, & arcana fatorum ſtipitibus emerendis edicit in vulgum: qui dies copulam nuptialem adfirmet; qui fundamenta mœnium perpetuet; qui negotiatori commodus; qui viatori celebris, qui navigiis opportunus: mihi denique proventum hujus peregrinationis inquirenti multa reſpondit, & oppido mira & ſatis varia.* Juvenal. Sat. VI. vſ. 577.

Ad primum lapidem vectari cum placet, hora
Sumitur ex libro

Vulgus etiam, credens principiis omina ineſſe, muſtelæ occurſum ſcævum habebat, nec pergere audebat, niſi tribus lapidibus, ante ſe miſſis, ut Theophraſtus ridet in charact. eth. c. 16. Aliis pedum offenſiones, & abruptiones corrigiæ, & ſternutamenta ſiniſtri ominis erant, uti, præter Ciceronem lib. II. de Divinat. c. 40. Valer. Maximum lib. I. c. 4. & Plinium lib. II. c. 7. docet

docet Ovid. lib. I. Amor. Eleg. 12. vſ. 3.

Omina ſunt aliquid; modo cum diſcedere vellet,
Ad limen digitos reſtitit icta Nape.
Miſſa foras iterum limen tranſire memento
Cautius, atque alte ſobria ferre pedem.

Multa etiam obſervatio de cœlo, nubium atrarum & fulgurum. Hinc cum Eutychus dixiſſet apud Plaut. Merc. Act. V. ſc. 2. vſ. 37.

Recipe te ad terram, Charine, huc, nonne ex adverſo vides?
Nubis ater imberque inſtat; adſpice nunc ad ſiniſtram:
Cœlum ut ſplendore eſt plenum, ex adverſo vides?

Charinus, quaſi religatus, & a ſuſcepto itinere prohibitus, addit:

Religionem illic objecit: recipiam me illuc.

Dierum diſcrimen ut navigantes attendant, peritiæ ratio jubet: alios enim præ aliis tempeſtatibus plenos & metuendos eſſe, Vegetius oſtendit, lib. V. de re mil. c. 10. ſed Auguſtus eos in profectionibus ſuis obſervavit, ominis cauſa. Sueton. lib. II. c. 92. *Obſervabat & dies quoſdam, ne aut poſtridie nundinas quoquam proficiſceretur: aut Nonis quicquam rei ſeriæ inchoaret: nihil in hoc quidem aliud devitans, ut ad Tiberium ſcribit, quam* δυσφημίαν *ominis.* Caſaubonus

 in

in notis addit Ambroſium, qui ad illa Pauli verba ad Galatas cap. IV. ἡμέρας παρατηρεῖσθαι καὶ μῆνας, καὶ καιροὺς, καὶ ἐνιαυτοὺς: *Dies*, inquit, *obſervant, qui dicunt, ut puta, Craſtino proficiſcendum non eſt: poſt craſtinum enim non debet aliquid incboari.* Maxime autem vetabat ſuperſtitio, ſabbatho iter facere. Ovid. lib. I. Art. amat. vſ. 415.

Quaque die redeunt rebus minus apta gerendis
Culta Palæſtino ſeptima feſta Syro.

& Remed. amor. vſ. 219.

Nec pluvias vites, nec te peregrina morentur
Sabbatha, nec damnis Allia nota ſuis.

Romani enim, non minus ac Athenienſes, a ſuis ad aliena ſacra facile exorbitantes, *feſti diei Sabbatha, Judaico more, & diem Saturni otio & victui decernebant*, ut ait Tertullian. lib. I. ad Nat. c. 13. & in Apolog. c. 16. Revera autem Judaici moris originem & ſcopum non intelligebant, ut ex Tacito lib. V. Hiſt. c. 4. et Juvenale Sat. V. vſ. 106. apparet: neque omni prorſus itinere Hebræis interdictum, ſed longiore, et poſtremis temporibus certum ſpatium bis mille cubitorum fuit conſtitutum, quod emetiri die Sabbathi liceret, de quo Interpretes ad Act. I. vſ. 12. Pleraque itinerariæ ſuperſtitionis capita, velut uno faſce, complexus eſt Tibullus lib. I. Eleg. 3. vſ. 9.

Delia

Delia non uſquam, quæ me quam mitteret urbe,
Dicitur ante omnes conſuluiſſe Deos.
Illa ſacras pueri ſortes ter ſuſtulit; illi
Rettulit e trinis omina certa puer.

et mox de ſe ipſo vſ. 17.

Aut ego ſum cauſatus aves, aut omina dira:
Saturni aut ſacram me tenuiſſe diem.
O quoties ingreſſus iter mihi triſtia dixi
Offenſum in porta ſigna dediſſe pedem.

His addamus, quod ſuperſtitioſi aqua luſtrali, quæ in templis, et ad fores ædium privatarum, etiam in viis præſto erat, ſeſe, purificandi et expiandi cauſa, ſi forte mortuarii aliquid aut immundi tetigiſſent, adſpergebant. Theophraſt. Char. d. c. 16. Ἐπὶ ταῖς τριόδοις ἀπελθὼν κατὰ κεφαλῆς λȣ́σασθαι. *In compitis, antequam inde diſcedat, aqua in caput adſperſa ſe luſtrat.* Vid. Numer. cap. XIX. vſ. 8. Ovidius lib. VI. Faſt. vſ. 639. Plin. lib. XV. c. 30. et Mag. lib. IV. Miſcell. c. 10. Ad anilem præterea ſuperſtitionem pertinet, quod fluvium tranſituri eum adorabant manuſque lavabant. Heſiod. Op. et dier. vſ. 737.

Μηδέ ποτ' ἀενάων ποταμῶν καλλίῤῥοον ὕδωρ
Ποσσὶ περᾷν, πρίν γ' εὔξῃ ἰδὼν ἐς καλὰ ῥέεθρα,
Χεῖρας νιψάμενος πολυηράτῳ ὕδατι λευκῷ,

Nec unquam perennium fluviorum limpidam
aquam
Pedibus tranſito, priusquam oraveris, ad-
ſpiciens pulcra flumina,
Manus lotus amœna aqua limpida.

Militares copiæ ſacrificantes, id θύειν τὰ διαβατήρια vocabant: ſic Alexander M. Hydaſpem fluvium, ut et Aceſinem et Indum, in ſuæ navigationis initio, invocavit, referente Arriano lib. VI. idemque Iſtro ſacrificavit, ὅτι οὐκ ἄπορος αὐτῷ ἐγένετο, *quod ſe haud difficilem in tranſitu præbuiſſet*, auctore eodem lib. I. Romani Petroniam amnem, in Tiberim defluentem, inauſpicato tranſire nefas ducentes, *peremne auſpicari* eos dicebant, qui omnem aquam, ex ſacro ortam, auſpicato tranſibant, auctore Feſto, in *Peremne* et *Petronia*. Jam olim Æneas, Italiam ſalutaturus, apud Virgil. lib. VII. Æneid. vſ. 176.

- - - Geniumque loci primamque Deorum
Tellurem, Nymphasque, & adhuc ignota
precatur
Flumina.

Silius lib. VI. vſ. 171.

- - - Nymphas Numenque precamur
Gurgitis ignoti.

Denique peregre abeuntes oſcula dabant, non modo cariſſimis propinquis, ſed et domui ac terræ patriæ, Genio ejus hoc ritu

tu valedicentes. Ovidius lib. XIII. Metam, vſ. 420.

- - - dant oſcula terræ
Troades, & patriæ fumantia ara relinquunt.

Valer. Flaccus lib. IV. Argon. vſ. 373.

Ultima tum patriæ cedens dedit oſcula ripæ.

Rutilius Itiner. lib. I. vſ. 43.

Crebra relinquendis inſigimus oſcula portis.

In aliam mox terram appulſi ſimiliter, oſculo terræ infixo, τοὺς ἐπιχωρίους θεοὺς venerabantur; ut Ulyſſes in Phæaciam adveniens, κύσε δὲ ζείδωρον ἄρουραν, *oſculatus eſt terram*, apud Homer. Odyſſ. V. vſ. 463. Ovidius lib. III. Metam. vſ. 24.

Cadmus agit grates peregrinæque oſcula terræ
Figit: & ignotos montes agroſque ſalutat.

Iidem ad lares ſuos tandem reverſi patriam et domum ſalutant; apud Homerum Odyſſ. XIII. vſ. 345.

Χαίρων ἧ γαίῃ· κύσε δὲ ζείδωρον ἄρουραν,
Gaudens ſua terra: oſculatus autem eſt almam tellurem.

Seneca Agamemn. vſ. 782.

Tandem revertor ad patrios lares,
O cara ſalve terra!

Hoc ritu antiquo Carolus V. Imperator, in portum Lauredunum appulſus: *Ubi terram tetigit, proſtratus oſculum fixit, & Salve, inquit, mihi optatiſſima mater*, auctore Thuano lib. XVII. Hiſtor.

CAPUT II.

De statuis, aris et templis deorum vialium.

In honorem Deorum Vialium ſtatuæ & aræ collocatæ, in plateis, pontibus & portis; quæ vel ideo divini juris recte dicuntur, in l.1. D. & . §.10. Inſt. de rer. diviſ. Lucretius illuſtratus. In compitis templa. L. 10. C. Th. de pagan. explicata. Luci prope vias. Lapides viales in biviis. Deorum marinorum aræ & ſtatuæ in litoribus & inſulis. Termini cur rudes, coronati, & uncti. Lux Moſi Geneſ. XXVIII. vſ. 18. Apulejo & aliis. Columnæ Deorum vialium an à columna nubis divina, an ab obeliſcis Ægyptiorum, an vero a columnis milliaribus petitæ? Earum uſus & cultus antiquiſſimus, ex Levit. XXVI. vſ. 1.

Vidimus Gentiles alios ſuo modo vere religioſos, alios autem perquam timidos, metu divini numinis uſque ad ſuperſtitionem; his vero tertium genus addendum eſt, qui Deorum providentiam negantes, aut ignorantes, preces, vota et gratiarum actiones, tanquam inania Philoſophorum, negligebant. Horum igitur in memoriam ut una cum

cum religioſis revocaretur, a Diis Vialibus iter fortunatum concedi, vulgo in plateis, in portis, pontibus, littoribus, biviis, triviis et viarum divortiis erexerunt ſtatuas, aras, ædiculas, templa, lucos, lapides et columnas, tanto numero, ut non ab re Petronius dixerit: *utique noſtra regio tam præſentibus plena eſt numinibus, ut facilius poſſis Deum, quam hominem invenire.* Athenienſes non modo in templis, ſed et in vicis, ad januas ædium, Mercurii ſtatuas, quas Hermas vocabant, poſitas habebant ac dedicatas, quæ nomen ex domino ædium accipiebant. Nepos Alcibiade cap. III. *Priusquam claſſis exiret, accidit, ut una nocte omnes Hermæ, qui in oppido erant Athenis, dejicerentur, præter unum, qui ante januam Andocidis erat, Andocidiſque Hermes vocabatur.* Suidas in Ἑρμῶν. Ἑρμαῖ ἦσαν ἐν τῇ Ἀθηναίων πόλει λίθινοι ἐν προθύροις καὶ ἐν ἱεροῖς. *Hermæ erant Athenis lapidei in veſtibulis ædium atque templis.* In honorem Apollinis Agyiei, præ foribus ibidem conſtituebantur aræ, myrrha fragrantes; quod ex Sophocle docet Scholiaſtes Ariſtophanis in Veſpis vſ. 870. et ex eo Suidas in Ἀγυιαί. Εἰ ἐν δ' ἂν οἱ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς λεγόμενοι Ἀγυιεῖς, οἱ πρὸ τῶν οἰκιῶν βωμοί. *Erant vero apud Atticos aræ ante ædes poſitæ, dictæ Compitalitiæ, ſive Agyieis.* Euſtathius eas ἀγυιάτιδας θεραπαίνας dictas putat;

tat; quæ tamen Stephanus earum propylæa interpretatur. Triviæ quoque ſimulacrum Ἑκάταιον, id eſt, ἱερὸν Ἑκάτης, vel Ἑκάτης ἄγαλμα ante fores collocabatur, ut Ariſtophanes auctor eſt in Veſpis vſ. 798.

Κἂν τοῖσι προθύροις ἀνοικοδομήσει πᾶς ἀνὴρ
Αὑτῷ δικαστηρίδιον μικρὸν πάνυ,
Ὥσπερ Ἑκάταιον πανταχοῦ πρὸ τῶν θυρῶν.

Et unus ante quiſque cauſidicum fores
Strueret tribunal admodum parvum, velut
Hecatæum ubique delubrum ad fores ſolent.

Similiter urbium portæ quaſi ſedes erant et templa deorum vialium, quæ vel ob hanc cauſam recte *quodammodo divini iuris* fuiſſe dicuntur, a Cajo et Juſtiniano in *l.* 1. *D.* & §. 10. *Inſt. de rer. div.* Apud Harpocrationem, ex Demoſthenis oratione adverſus Euergum et Mneſibulum, laudatur: Ἑρμῆς ὁ πρὸς τῇ πυλίδι. *Mercurius, qui ad portulam,* et Philochorus lib. V. Atthidis tradidit: ὡς οἱ ἐννέα ἄρχοντες ταῖς φυλαῖς ἀνέθεσαν Ἑρμῆν παρὰ τὸν πυλῶνα τὸν Ἀττικόν. *Novem Archontes dedicaſſe tribubus Mercurium, qui ad portam Atticam.* Pauſanias in Meſſenicis, ſive lib. IV. pag. 143. Ἰόντι δὲ τὴν ἀπ' Ἀρκαδίας ἐς Μεγάλην πόλιν, ἔστιν ἐν ταῖς πύλαις Ἑρμῆς τέχνης τῆς Ἀττικῆς. Ἀθηναίων γὰρ τὸ σχῆμα τὸ τετράγωνόν ἐστιν ἐπὶ ταῖς Ἑρμαῖς, καὶ παρὰ τούτων μεμαθήκασιν οἱ ἄλλοι. *Quâ ad Arcadiæ urbem Megalopolin egreſſus patet, in ipſa porta Mercurii ſignum, Attici operis. Athe-*

Athenienſes enim quadrangula ſigura Hermas fecere; & eam ab illis alii Græciæ populi acceptam formam in Mercurii ſigillis uſurparunt. In Italia quoque Anagniæ *Hermam ante portam ictam*, Livius ſcribit lib. XXVII. c. 4. ſi Rubenii et Gronovii lectionem ſequamur. Nec trunci tantum Mercurii, manibus pedibuſque carentes, ſed & alii, Apollinis vel Herculis figura, προπύλαιοι ad portas ſtatui ſolebant. Hinc portæ *Joviæ*, *Herculaneæ* et *Minervæ* crebro memorantur, et ἱερὰς πύλας vocavit Theophraſtus char. c. 14. Varro lib. IV. de L. L. *nam neque quas Ambracia ante portas ſtatuit, duas viriles ſpecies æneas Dii magni.* Has petaſati tranſeuntes religioſa obſervatione ſalutabant; et quemadmodum apud Plautum *limen ſuperius & inferum* quadam religione *ſalutatur*, & apud Maronem amplexi tenent poſtes, atque *oſcula figunt;* ita longius aliquod iter adornantes, dextris deorum oſcula figebant. Egregie hoc docuit Lucretius lib. 1. verſ. 316.

Strataque jam vulgi pedibus detrita viarum
Saxea conſpicimus, tum portas propter abena
Signa manus dextras oſtendunt attenuari
Sæpe ſalutantum tactu, præterque meantum.

Neſcio qui in mentem venerit Alciato, ut lib. VIII. Parerg. c. 10. hunc locum referret

ret ad patronos, qui, cum copiam ſui facere non poſſent, pro valvis ſtatuam ſuam æneam poſuerint, quam clientes venerarentur; quum ſatis pateat, Lucretium loqui de ſignis Deorum vialium & tutelarium, quorum manum dextram, qui exirent ex urbe, & qui ingrederentur, oſculari ſolebant. Receptior quidem habitus adorantium fuit, ut eminus ſtantes manum ſignis porrigerent, eamque ad os ſuum relatam ſuaviarentur; neque tamen Thomas Crech deſperare debebat, an ullus veteris ſcriptoris locus, ad id demonſtrandum, quod ait Lucretius, adferri poſſit: omnino enim nonnulli ſimplicius mentum, genua vel dextram deorum ore ſuo attingebant. Cicero IV. in Verr. c. 43. apud Agrigentinos ait fuiſſe ſimulacrum Herculis, *cujus rictum ac mentum paullo attritius, quod in precibus & gratulationibus non ſolum id venerari, verum etiam oſculari ſolebant.* Crebris etiam unctionibus & votis, cera affixis, ſimulacra detrita eſſe, indicat Philoſtratus Heroic. c. 2. ubi de Proteſilai ſtatua, Navarchi habitu à navigantibus culta, ait: περιτείψας δὲ αὐτὸ ὁ χρόνος, καὶ νὴ Δί οἱ ἀλείφοντές τε, καὶ οἱ ἐπισφραγιζόμενοι τὰς εὐχὰς, ἐξηλλάχασι τοῦ εἴδους. *Atterendo eam & tempus, & illi, ita me amet Jupiter, qui inungere ſolent, aut vota cera affigunt, ſpeciem immutarunt ejuſdem.*

Via-

Viatoribus extra urbem delatis in pontibus, compitis & quadriviis iidem occurebant Hermæ, tum ædiculæ patentes, & templa Diis Vialibus ſacrata, in quibus rem divinam facere, thura dapeſque libare poſſent. Ammianus Marcellinus XXXI. 1. *Quales*, ait, *in commarginandis pontibus effigiati ſtipites dolantur incomte in hominum figuras.* Erant enim valde informes, ſecuri & aſcia ſimplici, nullo artificio politi, ut ille Priapus paſtoris Deus apud Virgilium in Culice:

Illi falce Deus colitur, non arte politus.

Nec non apud Lucanum lib. III. Pharſ. vſ. 412.

- - - *Simulacraque mœſta deorum*
Arte carent, cæſisque exſtant informia truncis.

De templis deorum, ad vias exſtructis, auctorem habeo Athenæum lib. XV. c. 9. De ædiculis ſive ſacellis vetus Scholiaſtes Perſii Sat. IV. ad voces *pertuſa compita* notat: *Compita ſunt loca in quadriviis, quaſi turres, ubi ſacrificia, finita agricultura, ruſtici celebrabant. Merito pertuſa, quia per omnes quatuor partes pateant, vel vetuſta: vel compita non ſolum ſunt in urbe loca, ſed etiam viæ publicæ ac diverticula aliquorum confinium, ubi ædiculæ conſecrantur patentes.* Junius etiam Phi-

lar-

ISTITUTO DI DIRITTO ROM.

in notis addit Ambroſium, qui ad illa Pauli verba ad Galatas cap. IV. ἡμέρας παρατηρεῖσθαι καὶ μῆνας, καὶ καιροὺς, καὶ ἐνιαυτούς: *Dies*, inquit, *obſervant, qui dicunt, ut puta, Craſtino proficiſcendum non eſt: poſt craſtinum enim non debet aliquid incboari.* Maxime autem vetabat ſuperſtitio, ſabbatho iter facere. Ovid. lib. I. Art. amat. vſ. 415.

Quaque die redeunt rebus minus apta gerendis
Culta Palæſtino ſeptima feſta Syro.

& Remed. amor. vſ. 219.

Nec pluvias vites, nec te peregrina morentur
Sabbatha, nec damnis Allia nota ſuis.

Romani enim, non minus ac Athenienſes, a ſuis ad aliena ſacra facile exorbitantes, *feſti diei Sabbatha, Judaico more, & diem Saturni otio & victui decernebant*, ut ait Tertullian. lib. I. ad Nat. c. 13. & in Apolog. c. 16. Revera autem Judaici moris originem & ſcopum non intelligebant, ut ex Tacito lib. V. Hiſt. c. 4. et Juvenale Sat. V. vſ. 106. apparet: neque omni prorſus itinere Hebræis interdictum, ſed longiore, et poſtremis temporibus certum ſpatium bis mille cubitorum fuit conſtitutum, quod emetiri die Sabbathi liceret, de quo Interpretes ad Act. I. vſ. 12. Pleraque itinerariæ ſuperſtitionis capita, velut uno faſce, complexus eſt Tibullus lib. I. Eleg. 3. vſ. 9.

Delia

Delia non uſquam, quæ me quam mitteret urbe,
Dicitur ante omnes conſuluiſſe Deos.
Illa ſacras pueri ſortes ter ſuſtulit; illi
Rettulit e trinis omina certa puer.

et mox de ſe ipſo vſ. 17.

Aut ego ſum cauſatus aves, aut omina dira:
Saturni aut ſacram me tenuiſſe diem.
O quoties ingreſſus iter mihi triſtia dixi
Offenſum in porta ſigna dediſſe pedem.

His addamus, quod ſuperſtitioſi aqua luſtrali, quæ in templis, et ad fores ædium privatarum, etiam in viis præſto erat, ſeſe, purificandi et expiandi cauſa, ſi forte mortuarii aliquid aut immundi tetigiſſent, adſpergebant. Theophraſt. Char. d. c. 16. Ἐπὶ ταῖς τριόδοις ἀπελθὼν κατὰ κεφαλῆς λούσασθαι. *In compitis, antequam inde diſcedat, aqua in caput adſperſa ſe luſtrat.* Vid. Numer. cap. XIX. vſ. 8. Ovidius lib. VI. Faſt. vſ. 639. Plin. lib. XV. c. 30. et Mag. lib. IV. Miſcell. c. 10. Ad anilem præterea ſuperſtitionem pertinet, quod fluvium tranſituri eum adorabant manuſque lavabant. Heſiod. Op. et dier. vſ. 737.

Μηδέ ποτ' ἀενάων ποταμῶν καλλίρροον ὕδωρ
Ποσσὶ περᾶν, πρίν γ' εὔξῃ ἰδὼν ἐς καλὰ ῥέεθρα,
Χεῖρας νιψάμενος πολυηράτῳ ὕδατι λευκῷ,

Nec unquam perennium fluviorum limpidam aquam
Pedibus tranſito, priusquam oraveris, adſpiciens pulcra flumina,
Manus lotus amœna aqua limpida.

Militares copiæ ſacrificantes, id θύειν τὰ διαβατήρια vocabant: ſic Alexander M. Hydaſpem fluvium, ut et Aceſinem et Indum, in ſuæ navigationis initio, invocavit, referente Arriano lib. VI. idemque Iſtro ſacrificavit, ὅτι οὐκ ἄπορος αὐτῷ ἐγένετο, *quod ſe haud difficilem in tranſitu præbuiſſet*, auctore eodem lib. I. Romani Petroniam amnem, in Tiberim defluentem, inauſpicato tranſire nefas ducentes, *peremne auſpicari* eos dicebant, qui omnem aquam, ex ſacro ortam, auſpicato tranſibant, auctore Feſto, in *Peremne* et *Petronia*. Jam olim Æneas, Italiam ſalutaturus, apud Virgil. lib. VII. Æneid. vſ. 176.

- - - Geniumque loci primamque Deorum
Tellurem, Nymphasque, & adhuc ignota precatur
Flumina.

Silius lib. VI. vſ. 171.

- - - Nymphas Numenque precamur
Gurgitis ignoti.

Denique peregre abeuntes oſcula dabant, non modo cariſſimis propinquis, ſed et domui ac terræ patriæ, Genio ejus hoc ritu

tu valedicentes. Ovidius lib. XIII. Metam, vſ. 420.

--- dant oſcula terræ
Troades, & patriæ fumantia ara relinquunt.

Valer. Flaccus lib. IV. Argon. vſ. 373.

Ultima tum patriæ cedens dedit oſcula ripæ.

Rutilius Itiner. lib. I. vſ. 43.

Crebra relinquendis infigimus oſcula portis.

In aliam mox terram appulſi ſimiliter, oſculo terræ infixo, τȣ̀ς ἐπιχωρίȣς θεȣ̀ς venerabantur; ut Ulyſſes in Phæaciam adveniens, κύσε δ᾽ ζείδωρον ἄρȣραν, *oſculatus eſt terram*, apud Homer. Odyſſ. V. vſ. 463. Ovidius lib. III. Metam. vſ. 24.

Cadmus agit grates peregrinæque oſcula terræ
Figit: & ignotos montes agroſque ſalutat.

Iidem ad lares ſuos tandem reverſi patriam et domum ſalutant; apud Homerum Odyſſ. XIII. vſ. 345.

Χαίρων ἧ γαίῃ· κύσε δ᾽ ζείδωρον ἄρȣραν,
Gaudens ſua terra: oſculatus autem eſt almam tellurem.

Seneca Agamemn. vſ. 782.

Tandem revertor ad patrios lares,
O cara ſalve terra!

Hoc ritu antiquo Carolus V. Imperator, in portum Lauredunum appulſus: *Ubi terram tetigit, proſtratus oſculum fixit, & Salve, inquit, mihi optatiſſima mater*, auctore Thuano lib. XVII. Hiſtor.

CAPUT II.

DE STATUIS, ARIS ET TEMPLIS DEORUM VIALIUM.

In honorem Deorum Vialium ſtatuæ & aræ collocatæ, in plateis, pontibus & portis; quæ vel ideo divini juris recte dicuntur, in l.1. D. &. §.10. Inſt. de rer. diviſ. Lucretius illuſtratus. In compitis templa. L. 10. C. Th. de pagan. explicata. Luci prope vias. Lapides viales in biviis. Deorum marinorum aræ & ſtatuæ in litoribus & inſulis. Termini cur rudes, coronati, & uncti. Lux Moſi Geneſ. XXVIII. vſ. 18. Apulejo & aliis. Columnæ Deorum vialium an à columna nubis divina, an ab obeliſcis Ægyptiorum, an vero a columnis milliaribus petitæ? Earum uſus & cultus antiquiſſimus, ex Levit. XXVI. vſ. 1.

Vidimus Gentiles alios ſuo modo vere religioſos, alios autem perquam timidos, metu divini numinis uſque ad ſuperſtitionem; his vero tertium genus addendum eſt, qui Deorum providentiam negantes, aut ignorantes, preces, vota et gratiarum actiones, tanquam inania Philoſophorum, negligebant. Horum igitur in memoriam ut una cum

cum religioſis revocaretur, a Diis Vialibus iter fortunatum concedi, vulgo in plateis, in portis, pontibus, littoribus, biviis, triviis et viarum divortiis erexerunt ſtatuas, aras, ædiculas, templa, lucos, lapides et columnas, tanto numero, ut non ab re Petronius dixerit: *utique noſtra regio tam præſentibus plena eſt numinibus, ut facilius poſſis Deum, quam hominem invenire.* Athenienſes non modo in templis, ſed et in vicis, ad januas ædium, Mercurii ſtatuas, quas Hermas vocabant, poſitas habebant ac dedicatas, quæ nomen ex domino ædium accipiebant. Nepos Alcibiade cap. III. *Priusquam claſſis exiret, accidit, ut una nocte omnes Hermæ, qui in oppido erant Athenis, dejicerentur, præter unum, qui ante januam Andocidis erat, Andocidiſque Hermes vocabatur.* Suidas in Ἑρμῶν. Ἑρμαῖ ἦσαν ἐν τῇ Ἀθηναίων πόλει λίθινοι ἐν προθύροις καὶ ἐν ἱεροῖς. *Hermæ erant Athenis lapidei in veſtibulis ædium atque templis.* In honorem Apollinis Agyiei, præ foribus ibidem conſtituebantur aræ, myrrha fragrantes; quod ex Sophocle docet Scholiaſtes Ariſtophanis in Veſpis vſ. 870. et ex eo Suidas in Ἀγυιαὶ. Εἶεν δ᾽ ἂν οἱ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς λεγόμενοι Ἀγυιεῖς, οἱ πρὸ τῶν οἰκιῶν βωμοί. *Erant vero apud Atticos aræ ante ædes poſitæ, dictæ Compitalitiæ, ſive Agyieis.* Euſtathius eas ἀγυιάτιδας θεραπαίνας dictas putat;

tat; quæ tamen Stephanus earum propylæa interpretatur. Triviæ quoque ſimulacrum Ἑκάταιον, id eſt, ἱερὸν Ἑκάτης, vel Ἑκάτης ἄγαλμα ante fores collocabatur, ut Ariſtophanes auctor eſt in Veſpis vſ. 798.

Κἂν τοῖ προθύροις ἀνοικοδομήσῃ πᾶς ἀνὴρ
Αὐτῷ δικαστηρίδιον μικρὸν πάνυ,
Ὥσπερ Ἑκάταιον πανταχοῦ πρὸ τῶν θυρῶν.

Et unus ante quiſque cauſidicum fores
Strueret tribunal admodum parvum, velut
Hecatæum ubique delubrum ad fores ſolent.

Similiter urbium portæ quaſi ſedes erant et templa deorum vialium, quæ vel ob hanc cauſam recte *quodammodo divini juris* fuiſſe dicuntur, a Cajo et Juſtiniano in *l.* 1. *D.* & §. 10. *Inſt. de rer. div.* Apud Harpocrationem, ex Demoſthenis oratione adverſus Euergum et Mneſibulum, laudatur: Ἑρμῆς ὁ πρὸς τῇ πυλίδι. *Mercurius, qui ad portulam,* et Philochorus lib. V. Atthidis tradidit: ὡς οἱ ἐννέα ἄρχοντες ταῖς φυλαῖς ἀνέθεσαν Ἑρμῆν παρὰ τὸν πυλῶνα τὸν Ἀττικόν *Novem Archontes dedicaſſe tribubus Mercurium, qui ad portam Atticam.* Pauſanias in Meſſenicis, ſive lib. IV. pag. 143. Ἰόντι δὲ τὴν ἀπ' Ἀρκαδίας ἐς Μεγάλην πόλιν, ἔστιν ἐν ταῖς πύλαις Ἑρμῆς τέχνης τῆς Ἀττικῆς. Ἀθηναίων γὰρ τὸ σχῆμα τὸ τετράγωνόν ἐστιν ἐπὶ ταῖς Ἑρμαῖς, καὶ παρὰ τούτων μεμαθήκασιν οἱ ἄλλοι. *Quâ ad Arcadiæ urbem Megalopolin egreſſus patet, in ipſa porta Mercurii ſignum, Attici operis.*

Athe-

Athenienſes enim quadrangula figura Hermas ſecere; & eam ab illis alii Græciæ populi acceptam formam in Mercurii ſigillis uſurparunt. In Italia quoque Anagniæ *Hermam ante portam ictam*, Livius ſcribit lib. XXVII. c. 4. ſi Rubenii et Gronovii lectionem ſequamur. Nec trunci tantum Mercurii, manibus pedibuſque carentes, ſed & alii, Apollinis vel Herculis figura, προπύλαιοι ad portas ſtatui ſolebant. Hinc portæ *Joviæ*, *Herculaneæ* et *Minervæ* crebro memorantur, et ἱερὰς πύλας vocavit Theophraſtus char. c. 14 Varro lib. IV. de L. L. *nam neque quas Ambracia ante portas ſtatuit, duas viriles ſpecies æneas Dii magni.* Has petaſati tranſeuntes religioſa obſervatione ſalutabant; et quemadmodum apud Plautum *limen ſuperius & inferum* quadam religione *ſalutatur*, & apud Maronem amplexi tenent poſtes, atque *oſcula figunt;* ita longius aliquod iter adornantes, dextris deorum oſcula figebant. Egregie hoc docuit Lucretius lib. 1. verſ. 316.

Strataque jam vulgi pedibus detrita viarum
Saxea conſpicimus, tum portas propter ahena
Signa manus dextras oſtendunt attenuari
Sæpe ſalutantum tactu, præterque meantum.

Neſcio qui in mentem venerit Alciato, ut lib. VIII. Parerg. c. 10. hunc locum refer-

ret ad patronos, qui, cum copiam ſui facere non poſſent, pro valvis ſtatuam ſuam æneam poſuerint, quam clientes venerarentur; quum ſatis pateat, Lucretium loqui de ſignis Deorum vialium & tutelarium, quorum manum dextram, qui exirent ex urbe, & qui ingrederentur, oſculari ſolebant. Receptior quidem habitus adorantium fuit, ut eminus ſtantes manum ſignis porrigerent, eamque ad os ſuum relatam ſuaviarentur; neque tamen Thomas Crech deſperare debebat, an ullus veteris ſcriptoris locus, ad id demonſtrandum, quod ait Lucretius, adferri poſſit: omnino enim nonnulli ſimplicius mentum, genua vel dextram deorum ore ſuo attingebant. Cicero IV. in Verr. c. 43. apud Agrigentinos ait fuiſſe ſimulacrum Herculis, *cujus rictum ac mentum paullo attritius, quod in precibus & gratulationibus non ſolum id venerari, verum etiam oſculari ſolebant.* Crebris etiam unctionibus & votis, cera affixis, ſimulacra detrita eſſe, indicat Philoſtratus Heroic. c. 2. ubi de Proteſilai ſtatua, Navarchi habitu à navigantibus culta, ait: περιτρίψας γὰρ αὐτὸ ὁ χρόνος, καὶ νὴ Δία οἱ ἀλείφοντές τε, καὶ οἱ ἐπισφραγιζόμενοι τὰς εὐχὰς, ἐξηλλάχασι τοῦ εἴδους. *Atterendo eam & tempus, & illi, ita me amet Jupiter, qui inungere ſolent, aut vota cera affigunt, ſpeciem immutarunt ejuſdem.* Via-

Viatoribus extra urbem delatis in pontibus, compitis & quadriviis iidem occurebant Hermæ, tum ædiculæ patentes, & templa Diis Vialibus ſacrata, in quibus rem divinam facere, thura dapeſque libare poſſent. Ammianus Marcellinus XXXI. 1. *Quales*, ait, *in commarginandis pontibus effigiati ſtipites dolantur incomte in hominum figuras.* Erant enim valde informes, ſecuri & aſcia ſimplici, nullo artificio politi, ut ille Priapus paſtoris Deus apud Virgilium in Culice:

Illi falce Deus colitur, non arte politus.

Nec non apud Lucanum lib. III. Pharſ. vſ. 412.

- - - *Simulacraque mæſta deorum*
Arte carent, cæſisque exſtant informia truncis.

De templis deorum, ad vias exſtructis, auctorem habeo Athenæum lib. XV. c. 9. De ædiculis ſive ſacellis vetus Scholiaſtes Perſii Sat. IV. ad voces *pertuſa compita* notat: *Compita ſunt loca in quadriviis, quaſi turres, ubi ſacrificia, finita agricultura, ruſtici celebrabant. Merito pertuſa, quia per omnes quatuor partes pateant, vel vetuſta: vel compita non ſolum ſunt in urbe loca, ſed etiam viæ publicæ ac diverticula aliquorum confinium, ubi ædiculæ conſecrantur patentes.* Junius etiam Phi-

lar-

ISTITUTO DI DIRITTO ROM.

largyrus in 2. Georg. ſcribit, in locis, ubi competerent viæ, aras & ædes ſacras fuiſſe: atque ad has pertinere puto *l. X. C. Th. de paganis*, in qua Impp. Gratianus, Valentinianus & Theodoſius præcipiunt: *Judices quoque hanc formam contineant, ut ſi quis profano ritui deditus templum uſpiam vel in Itinere vel in Urbe adoraturus intraverit, quindecim pondo auri ipſe protinus inferre cogatur.* Extra muros urbis Romæ aliarumque, quæ Romanos agnoſcebant faſces, frequentia templa fuiſſe, ex Pauſania, Ovidio, Feſto aliiſque oſtendit celeberimus hujus Codicis interpres: ſed vox *itineris* hic maxime reſpici jubet, ad ea, quæ Diis vialibus, Dianæ & Herculi erant dedicata, in viis, quæ Romam ducebant. Ita enim Servius ad IV. Æneid. verſ. 511. *Dianam ob triplicem poteſtatem triformem triplicemque finxerunt: cujus in triviis templa ſtruxerunt.* Dionyſius lib. I. Antiq. cap. 40. Πολλαχῆ δὲ καὶ ἄλλη τῆς Ἰταλίας ἀνεῖται τεμένη τῷ θεῷ, καὶ βωμοὶ κατὰ πόλεις τε ἵδρυνται καὶ παρ' ὁδοῖς, καὶ σπανίως ἂν εὕροι τις Ἰταλίας χῶρον, ἔνθα μὴ τυγχάνει τιμώμενος ὁ θεός. *In multis etiam Italiæ locis aliis, templa huic deo* (Herculi) *ſunt ſacrata, & in urbibus ac in ipſis Viis aræ ſunt erectæ: nec facile reperias ullum in Italia locum, ubi deus iſte non colatur.* Tale quoque fuit templum *Dia-*

Dianæ Limnatidis apud Lacedæmonios, in via, quæ Bœis Epidaurum ducebat, & apud Meſſenios, ad vicum, quem vocabant Calamas, exſtructum, de quo Pauſanias lib. IV. & Tacitus IV. Annal. cap. 43. adeundi. Item Dianæ Aricinæ templum, haud longe ab Aricia collocatum; cujus meminerunt Lucanus lib. VI. verſ. 74. & Hyginus fab. 261. Duarum *Fortunarum* templa, ab utraque parte viæ Latinæ collocata, Strabo ſignat lib. V. pag. 249. De *Herculis* templis ad vias non eſt dubitandum; is enim non delectatus fuit vita ſub dio, ſed peregre ſolitus degere, nec indigena fuit; ſed hoſpes & peregrinus, uti Plutarch. ait, Quæſt. Rom. cap. 28. Hinc Tyriorum legati, apud Curtium lib. IV. c. 2. Alexandro reſpondent: *eſſe templum Herculis extra urbem.* Apud Romanos Herculis templi extra portam Collinam meminit Livius XXVI. cap. 10. Fanum ejuſdem in via Appia, frequentia ſalutantium viatorum ſervuiſſe ſcribit Martialis lib. III. Epigr. 47. Atque illuſtre illud, quod extra portam Latinam Domitianus ſtatuit, idem lib. IX. epigr. 65. depingit; cujus verba, cum ad rem præſentem maxime facere videantur; apponere lubet. Sunt autem hæc:

Her-

Herculis in magni vultus deſcendere Cæſar
Dignatus, Latiæ dat nova templa viæ:
Qua Triviæ nemoroſa petit dum regna viator,
Octavum domina marmor ab Urbe legit.

Prope templa & ſacella vanæ Deorum imagines, in viis, *redimita vittis arbore, vel erecta effoſſis ceſpitibus ara*, honorabantur, ut ait Theodoſius M. in *l.* 12. *C. Th. de pagan.* Nec minus frequentes *luci* erant & nemora viis imminentia, in quibus viatores tacito horrore ſecretum illud, quod ſola reverentia videtur, adorabant. Indicat Apulejus lib. I. Florid. *Neque juſtius religioſam moram viatori objecerit, aut ara floribus redimita, aut ſpelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata, vel enim colliculus ſepimine conſecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel ceſpes libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus.* Aggenus in Frontin. pag. 62. *Lucos frequenter in trifinio & quadrifinio invenimus, ſicut in ſuburbanis, & circa publica itinera conſtitutum eſſe perſpicimus.* Nimirum ſolitudo locorum, & admiratio umbræ, præſertim in calidioribus regionibus, apud vulgus ruſticum, opinionem excitabat, Deos illic habitare, ipſique urbani, non magis auro fulgentia atque ebore ſimulacra, quam lucos, antiquitate verendos, & in iis ſilentia ado-

adorabant. vid. Deut. XII. vſ. 2. 3. XVI. vſ. 21. Ezech. VI. vſ. 13. Plin. lib. XII. c. I. Ruben lib. II. Elect. c. 34. & qui hanc eruditionis partem ſupra omnes illuſtravit, Pinto Ramirez, in Spicileg. ſacro tract. 1. cap. 6. Offerebant autem ſeſe in primis Dianæ ſilvarum potentis luci, variis in locis, ut Petrus Faber lib. III. ſemeſtr. cap. I. obſervavit. Erat Epheſi lucus Dianio, ſive Dianæ magnæ fano proximus, Tacito III. Annalium 61. Strabone & Achille Statio auctoribus. Lucus Daphnes, ad ſuburbium Antiochiæ Syriæ, Apollinis & Dianæ cærimoniis fuit conſecratus, *l.* 2. *C. de cupreſſis* (XI. 77.) *l.* 12. *C. Th. de jure Fiſci.* Strabo, Sozomenus, Libanius. In Latio quoque *Lucus Dianius eſt, in ſiniſtra parte viæ, qua Aricia aſcenditur*, inquit Strabo lib. V. pag. 165. & Plinius ſuis temporibus, in ſuburbano Tuſculani agri colle, lucum antiqua religione Dianæ ſacratum fuiſſe tradit, lib. XVI. Nat. hiſt. cap. ult. Unde Virgilius: *Jam ſubeunt Triviæ lucos.* Horatius: *cum lucus & ara Dianæ.* Ovidius lib. VII. Metam. vſ. 94.

- - - per ſacra triformis
Ille Deæ, lucoque foret quod numen in illo,
Eventusque ſuos tantaque pericula jurat.

Præter Dianam Lares quoque viales in lucis habitare credebantur; quod eſſent animæ

mæ defunctorum, quorum ſepulchra arboribus luciſque erant circumſepta. Servius ad Æneid. III. verſ. 302. *Lucum nunquam ponit ſine religione. Nam in ipſis habitant manes piorum, qui lares Viales ſunt.* Varro lib. IV. de L. L. *Et unde aſcendebant ad imam novam viam, lucus eſt & ſacellum Larum.* Ipſi de ſe apud Virgilium lib. VI. Æneid. verſ. 673.

Nulli certa domus, Lucis habitamus opacis.

In litoribus, inſulis, portubus & navium ſtationibus Diis quoque marinis templa, aræ & ſtatuæ fuerunt erectæ, ad quas mare ingreſſuri precabantur, & reduces vota nuncupata ſolvebant. Hinc θεοὶ αἰγιάλιοι, ſive *litorales dii* dicuntur, & Strabo lib. VIII. pag. 343. Eleæ ſolum totum in lucis donariorum refertum eſſe ait, συχνὰ γὰρ Ἑρμεῖα ἐν ταῖς ὁδοῖς, Ποσείδεια δ' ἐπὶ ταῖς ἀκταῖς. *Crebra etiam in viis ſunt Mercurii, Neptuni in ripis donaria.* Cum enim cenſerent divino & mortali generi convenientiſſima quæque loca eſſe maxime commoda & grata, ἀκτὰς γὰρ καὶ νήσους πελαγίοις δαίμοσι, *litora & inſulas numinibus marinis ſacras putarunt*, ait Dionyſ. Halic. lib. I. cap 39. Servius ad Virgilii lib. III. Æneid vſ. 12. *Simulacra duo virilia, Caſtoris & Pollucis, in Samothracia, ante portum ſita, quibus naufragio liberati vota ſolvebant.* Ipſe Virgil. lib. III. Æn. vſ. 404.

Et

Et poſitis aris jam vota in litore ſolves.

Hercules item Pollium rogat, ut ſibi in litore aras exſtruat, in queis nautæ prætervavigantes ſacrificarent, apud Statium lib. III. Sylv. vſ. 106.

Da templum, dignasque tuis conatibus aras,
Quas puppes velis nolint tranſire ſecundis.

Lapides porro & ſtelæ, non tantum deorum nominibus & figura inſignes, ſed etiam rudes, in viis publicis, ubi divortia erant & ditionum diverſarum coibant termini, ſtatuebantur. Ita Strabo Mercurii ſtatuas, in viis ad Alphei fluminis oſtia, crebras fuiſſe, ſcriptum reliquit lib. VIII. & lib. XVII. pag. 818. de via Syena, in Ægypto, Philas tendente: *Per totam viam videre licebat utrinque, multis in locis, quaſi ſtatuas Mercuriales, lapidem altum, rotundum, ſatis lævem, propemodum ſphæricum, ex nigro & duro ſaxo, ex quo mortaria fiunt, majori lapidi impoſitum, ac rurſus ſuper eo alium.* Qui locus memorabilis nos monet, ut ab Ægyptiis natales hujus ſuperſtitionis repetamus, a quibus deinde ad alias gentes fluxit. Pauſanias lib. VII. in Achaicis, ubi de Mercurio Pharis culto: Εστήκασι, inquit, δὲ ἐγγύτατα τοῦ ἀγάλματος τετράγωνοι λίθοι τριάκοντα μάλιστα ἀριθμόν. Τούτους σέβουσιν οἱ Φαρεῖς ἑκάστου θεοῦ τινος ὄνομα ἐπιλέγοντες. Τὰ δὲ ἔτι παλαιότερα καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι, τιμὰς θεῶν ἀντὶ ἀγάλματα εἶχον ἀργοὶ λίθοι.

Prope

Prope ipſum Dei ſignum lapides fere triginta erecti ſunt, quadrangula figura: ſingulos certis Deorum nominibus appellantes venerantur. Et ſane Græcis olim omnibus patrium fuit, rudes lapides pro diis, perinde ac ſimulacra ipſa, colere.

Maxime vero apud Romanos invaluit Terminorum religio, poſtquam Numa lapides finales Jovi Terminali ſacravit, omneſque juſſit quotannis, in feſto Terminalium, libis & fructuum primitiis ſacra illis facere, uti, præter Plutarchum, multis deſcribit Dionyſ. Halicarn. lib. II. c. 76. Hinc pœnæ termini moti illuſtrantur, quia religio furtum augebat; adeo ut ſi quis ignorantia, aut fortuito lapides alienos moverit, verberibus decidere liceat, quum lapides illi Jovi ſacri eſſent, *l. 2. D. de term. mot.* Deut. xxvii. vſ. 17. Plato lib. VII. de LL. Seneca Hippol. act. ii. vſ. 528.

- - - nullus in campo ſacer
Diviſit agros arbiter populis lapis.

Propertius lib. I. Eleg. 4.

Nullas illa ſuis contemnet fletibus aras,
Et quicunque ſacer, qualis ubique, lapis.

Ovidius lib. 2. Faſtor. v. 641.

Termine, ſive lapis, ſive es defoſſus in agro
Stipes, ab antiquis ſic quoque numen habes.

Dii Terminales quidem à Vialibus differunt

runt ratione & loci, & officii; ſed tamen quandoque termini, Hermarum habitu, pro *Diis* vialibus habebantur, ubi viarum divortia fines diſtinguebant: nam Ulpianus ad Demoſthenem ſcribit, terminos vultum Mercurii in vertice, in fronte autem inſcriptionem habuiſſe. Termini effigiem, in truncum deſinentis, dedit Oiſel. tab. 41. Aliam Sponius, ſed quam Fabrettus ſtatuam ſepulchralem rectius exiſtimavit c. 1. Inſcr. Declarat id quoque Statua Terminalis, ϛήλη ἐφοεία, ut Polluci dicitur, in nummis Auguſti, apud Goltz. nuinm. Aug. pag. 23. n. 20. ita efformata, ut caput promineat, ceteræ vero corporis partes, in pyramidis inverſæ ſpeciem confuſæ, et faſciis involutæ videantur. Pauſanias in fine Corinthiac. Ἑϛήκασι ᾗ ἐπὶ τοῖς ὅροις Ἑρμαῖ λίθοι. *Erecti ſunt in terminis lapides Hermæ.* Julius Frontinus de coloniis pag. 142. *Aliis vero locis* ager determinatur *per muros*, *Hermulas*, *macerias*, *ſcorpiones*, *congeries* &c. Atque hujus generis fuit *lapis* ille *unguine delibutus*, qui religioſam moram viatori objiciebat, auctore Apulejo, *dict. loc.* Apud Judæos tabernaculum, altare & omnis ſupellex divina, Dei mandato, uncta erat & conſecrata Exod. XL. vſ. 9. 10. Num. VII. vſ. 1. at miſeri gentiles, uti victimas & animalia Deo conſecrata oleo ungebant, ita & lapi-

des; quod deos ejus pinguedine & odore delectari credebant. Diſcimus hoc ex Theophraſto περὶ δεισιδαιμονίας, & Luciano in Pſeudomante. Clemens Alexandrinus lib. VII. Stromat. λιπάρȣς λίθȣς, *pingues lapides*. Arnob. lib. I. adv. gent. pag. 22. *Lubricatum lapidem*, & *ex olivi unguine ſordidatum*; vel, ut alii malunt, *odoratum* vocat. Porro quemadmodum Deorum ſtatuæ plerumque aureis coronis ornatæ in nummis conſpiciuntur, ita lapides quoque ornabant floribus, ſertis & coronis, *l. 7. & l. 12. C. Th. de pagan.* Tibull. lib. I. Eleg. 1. vſ. 15.

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in trivio florea ſerta lapis.

ubi Loënſis lib. II. Miſcell. c. 18. in primo verſu deum ſemitalem, qui ſemitas cuſtodit, in altero vero lapidem terminalem intelligi voluit, quocum non ubique facit Broekhuſius in notis. Lapidem unctum cum ramo coronato conjungit Apulejus in Apol. *Negant vidiſſe ſe, qui fuere, unum ſaltem, in finibus ejus, aut lapidem unctum, aut ramum coronatum.* Minucius Felix c. 3. *lapides effigiatos, unctos & coronatos* vocat, & denique Siculus Flaccus de condit. agror. pag. 5. *Cum enim terminos diſponerent, ipſos quidem lapides in ſolidam terram rectos conlocabant; proxime ea loca, quibus foſſis factis*

defixu-

defixuri eos erant, & unguento, velaminibusque & coronis eos ornabant.

Cur autem, ais, lapides iſti ſæpius impoliti & rudes? Joannes Spencerus de legibus Hebr. lib. II. cap. 6. rationem adfert, quod Gentes, naturæ quodam inſtinctu, res naturales, nullo artificio adulteratas, ſine ſignis & figuris, Numini exiſtimarint gratiores. Dio Chryſoſtomus Serm. XII. ex artis penuria & defectu informes lapides deducit. Aliter rurſus Lactantius lib. I. c. 20. *Quid, qui lapidem colunt informem atque rudem, cui nomen eſt Terminus? Hic eſt quem pro Jove Saturnus dicitur devoraſſe.* Eundem lapidem, per vomitum iterum ejectum, Jupiter ſub jugis Parnaſſi ſtatuit, ut poſteris inſigne monumentum exiſteret, auctore Heſiodo Theogon. vſ. 498. & Apollodoro Bibliothec. lib. I. Scribit etiam Pauſanias, in Phocicis, *ſingulis diebus, & maxime feſtis, oleo eum perfuſum, ſuccidaque lana velatum fuiſſe.* Sed, qui univerſam Gentilium Theologiam ab Hebræis petitam contendit, Vir Cl. Petrus Daniel Huetius, morem iſtum dimanaſſe putat à lapide, quem unxerat Jacob in Bethel. Is enim in itinere lapidem, cui innixus ſcalam in ſomnis viderat, poſuit in titulum, addito voto, eum locum fore domum Dei, ſi ſalvus reverteretur: *erexit in ſtelam, fuditque oleum*

deſuper. Deinde vocavit nomen iſtius loci Beth-el. Geneſ. XXVIII. vſ. 18. 19. Et ſane, Judæos lapidem hunc deduxiſſe in ſpeciem cultus divini, eique ſimiles, ſucceſſu temporis, alios feciſſe, ex 1 Reg. XIV. 23. conſtat, atque ex traditionibus Judæorum firmat illuſtris Scaliger animadverſ. Euſebian. pag. 216. ad annum 2150. A *Bethel* quoque, quod Phœnicum lingua ſignificat *domum Dei*, lapides animatos Græcis Βαιτύλες vocatos exiſtimat; eique viri Clariſſ. Cuperus ad Lactant. de M. P. pag. 154. & Buddeus Hiſt. Eccl. tom. I. pag. 319. adſtipulantur. Aliis autem veriſimilius videtur, ut Grotio & Pottero, doctiſſimo Oxonienſium Epiſcopo, Archæol. Græc. lib. II. c. 2. Jacobum morem antea uſitatum ſecutum fuiſſe; quia Moſes hanc rem non ita narrat, quaſi eam inſtituerit Patriarcha, ſed ut ex veteri more uſitatam: nam & Martis ſignum e lapide rudi in Petra Arabiæ, apud Suidam; & Venus, apud Cyprios in modum metæ culta, apud Servium; & Pallas Attica, ſine forma, rudi palo & ſolo ſtaticulo ligni informis, apud Tertullianum repræſentata memoratur. Bætuliorum meminit Damaſcius apud Photium cod. 242. Τῶν βαιτύλων ἄλλον ἄλλῳ ἀνακεῖσθαι Θεῷ, Κρόνῳ, Διΐ, Ἡλίῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις. *Bætulorum alium alii deo conſecratum eſſe, Saturno, Jovi, Soli & aliis.*

aliis. Sanchoniathon, & ex eo Philo Biblius, apud Euſeb. Præp. Evang. lib. I. cap. 10. ἐπενόησε Θεὸς Οὐρανὸς βαιτύλια, λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος: *Invenit Deus Uranus bætulia, lapidibus animatis factis*: ſed lapidibus *unctis* eum ſcripſiſſe, & Philonem erraſſe, contendit Bochartus Phaleg. lib. II. c. 2. Iidem forte ſunt *Lapides, qui Divi dicuntur*, apud Lamprid. Heliog. cap. VII. Multa fabuloſa de his narrant Græculi nugatores, in vulgus nota; ſed impuro aliquo dæmone agitante bætulos moveri, Iſodorus Philoſophus, inſignis artium magicarum architectus, fatetur.

Reſtat de Columnis dicamus, quæ in honorem Deorum vialium erigebantur. Has inter primum locum occupant obeliſcatæ illæ, quas Athenienſes in veſtibulis ædium, in vicis & angiportibus Apollini Agyieo poſuerunt. Meminit earum Ariſtophanes in Theſmophoriaz. vſ. 495. & in Veſpis, v. 870. ubi Scholiaſtes: Πρὸ τῶν θυρῶν ἔθος εἶχον, κίονας εἰς ὀξὺ λήγοντας, ὡς ὀβελίσκους ἱδρύειν εἰς τιμὴν Ἀπόλλωνος Ἀγυιέως. *In more poſitum erat, ante fores ſtatuas in acutum deſinentes, obeliſcorum inſtar, collocare in honorem Apollinis Agyiei*. Scholiaſtes Euripid. ad Phœniſſ. vſ. 634. ὅτι τὸν Ἀγυιέα παρὰ πυλῶν ἵστασαν. Κίων δὲ οὗτος ἦν εἰς ὀξὺ λήγων. Harpocration in ἀγυιᾶς: Ἀγυιεὺς, inquit, δέ ἐστιν κίων εἰς ὀξὺ λήγων,

ὃν ἱστᾶσι πρὸ τῶν θυρῶν. Ἰδίους δὲ εἶναί φασιν αὐτοὺς Ἀπόλλωνος, οἱ δὲ Διονύσου, οἱ δὲ ἀμφοῖν. Ἀγυιεὺς *vero eſt columna in acumen deſinens, quam ante fores ſtatuunt. Dicunt nonnulli eas columnas Apollinis eſſe proprias, alii Dionyſi, alii utriusque communes.* Decantatæ item ubique ſunt Herculis columnæ, terrarum ac itinerum termini, de quibus in diverſa abeunt Veteres; Calpen & Abylam eas putantibus aliis: aliis æneas columnas in templo Herculis, aliis aliter. Vide Strabonem lib. III. 96. & Euſtath. ad Dionyſ. v. 64. Quicquid eſt, de origine moris iſtius ſi quæratur, Huetius, unam iſtam columnam, in qua deliteſcens Dominus ducem ſe itineris præbuit Ebræis, tot ſacras viales columnas peperiſſe, exiſtimat, Dem. Evang. prop. IV. cap. 4 8. & Dickinſonus Delph. Phœn. c. 10 In inviis namque Arabiæ deſertis, ubi incerta erant itinera, Jehovah, tanquam dux viæ & Imperator, ipſis præibat, *per diem in columna nubis, ad ducendum eos in via, & per noctem in columna ignis, ad lucendum illis.* Exodi XIII. vſ. 21. &. XL. vſ. 38. Pſalm. LXXVIII. v. 13. 14. Nehem. IX. vſ. 12. Et ſane corpus hoc fuit materiæ cœleſtis, ſimile columnæ, in rotundam figuram preſſum, ut ab omnibus per tota caſtra videri poſſet: hinc non modo *lux ignis*, ſed & *columna nubis* & *ignis* vocatur Exod. XIV. vſ.

vſ. 19. Pſalm. CV. vſ. 39. Illud quoque palam ſcribit Moſes, Dominum in nube Iſraëlitas anteceſſiſſe, tum ut noctu illos duceret via, qua eundum eſſet, tum ut eos adverſus æſtum Solis muniret Exod. XIII. vſ. 21. Deut. I. vſ. 33. Hinc nonnullis admodum veriſimile videtur, veterem illum ſerpentem, ad animas hominum corrumpendas, μίμησιν hanc ſceleſtam inſtituiſſe. Auctor enim 1 Macc. cap. III. vſ. 48. gentes, ait, evolviſſe libros legis, in quibus ſcrutarentur ſimilitudinem idolorum ſuorum; & Clemens Alexandrinus lib. I. Stromat. pag. 255. columnam igneam, Thraſybuli ducem, cum divina illa componit; immo expreſſe Bacchi & Apollinis columnas, ἐκ τῆς παρ' Ἑβραίοις ἱστορίας fluxiſſe ſcribit. At Celeb. Vitringa lib. V. diſſert. ſacr. c. 16. §. 1. in nota, ob Xenophontis, Nepotis & Diodori ſilentium, nullam Clementi fidem habet; et ſi cuipiam iſthæc columnarum origo longius petita videatur, is, per me licet, earum cunabula ab litteratis repetat Obeliſcis, Soli ab Ægyptiorum Hierophantis conſecratis; quos deſcribunt Plinius et Ammianus Marcellinus. Vel ad Pharos recurrat, in nautarum præſidium, ex albo lapide exſtructas, quas inter vetuſtate et artificio eminuit illa, cujus in Ægypto utiliſſimæ, meminit Strabo lib. XVII. cum inſcriptione: ΣΩΣΤΡΑΤΟΣ

ΚΝΙΔΙΟΣ ΔΕΞΙΦΑΝΟΥΣ ΘΕΟΙΣ ΣΩΤΗΡΙΣΙΝ ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΠΛΩΙΖΟΜΕΝΩΝ. SOSTRATVS CNIDIVS, DEXIPHANIS FILIVS, DIIS SERVATORIBVS PRO NAVIGANTIBVS. Poſſet quoque origo referri ad στήλας & *columnas* milliares, quæ Deorum vialium munere fungebantur. Scribit enim Sextus Empiricus, quæcunque proſunt vitæ humanæ Deos eſſe habitos; nihil autem magis viatorum animos ac vires reficit, quam lapides iſti notis numerorum inciſi. Belle Quintilianus lib. IV. Inſt. orat. 5. *Partitio reficit audientem, non aliter, quam facientibus iter, multum detrahunt fatigationis notata inſcriptis lapidibus ſpatia.* Uſus eorum apud Cananæos, Indos & Romanos quoque eſt antiquiſſimus. Nam Geneſ. XXXVIII. 14. ſecundum quorumdam ſententiam τὸ עינים accipitur pro Mercuriali ſtatua, vel aliquo ſigno, quod viam monſtrat; &, ſi fides Maimonidæ in Rozeach cap. 8. in biviis & triviis, quæ ad urbes refugii ducebant, lapides fuerunt erecti, quibus inſcriptum מקלט *Miklat*, i. e. Refugium. Hos autem lapides ſpeciem cultus ethnici præbuiſſe, non tantum ex eo patet, quod Deus מצבה, στήλην, cippum et columnam ſuperſtitioſam erigi prohibet, Deut. XVI. 22. ſed expreſſius eam in rem eſt locus Levit. XXVI. verſ 1. ubi verba leguntur iſta: *Ne faciatis vobis idola, & ſculptile,*

nec

nec ſtatuam vobis erigatis, neque אבן משכית Ebhen Maſcith *detis terra veſtra, ad adorandum penes illum.* R. Bechai transfert lapidem *effigiei*, hoc eſt, pictum vel cælatum. R. Salomo interpretatur lapidem *pavimenti*, à שכן *cooperuit*, quia is terram tegit. Onkelos intelligit lapidem *adorationis*. Moſes vero Maimonides de idolol. cap. VI. n. 8. indicari putat morem, quo ante idola pavimentum lapide ſternebatur, ſuper quo ſe proſternerent adoraturi. Sed Aben-Ezra unus optime, ad ritum colendi Mercolis, id eſt Dei vialis, heic reſpici monuit; &, ſi notationem ſequamur, *Ebhen Maſcith* eſt lapis index, viſum ſeu oculos dirigens ad viam rectam. LXX. Interpretes λίθον σκοπὸν, *lapidem inſpectorem* verterunt, quales in Ægypto freqentes fuiſſe, ſupra ex Strabonis lib. XVII diximus. Viderint ergo qui hariolationes & conjecturas amant, num ab retuſis his obeliſcatæ Apollinis columnæ enatæ fuerint; aut hæ ſi non ſufficiunt, ad petram recurrant, é qua Solis ignes elicitos finxit vetuſtas, de quibus infra cap. VI. dicturi ſumus. Simpliciter & vere ſcribit Clemens Alexandrinus lib. I. Strom. pag. 348. *Priusquam accurate perfecteque tenerentur imaginum habitus, Veteres columnas erigentes eas colebant, tanquam ſtatuas Dei.* Adde Illuſtr. Spanhem. de Veſta n. 21.

CAPUT III.

De diis vialibus Ægyptiorum, Judaeorum et Syrorum.

Vulgus lapides Deos eſſe credebat: Sapientiores Solem & Lunam fere ubivis gentium venerabantur. Variæ ejus rei rationes. Deorum vialium duæ claſſes, Corpora cœleſtia, & Heroës Divis adſcripti. Ægyptii hujus ſuperſtitionis auctores, quorum Numina vialia Oſiris & Iſis, id eſt Sol & Luna, ſub ſymbolo bovis. De Vitulo aureo Hebræorum variæ ſententiæ. Nobis videri Oſiridis ſymbolum fuiſſe, viæ ducis in deſerto. Exodi XXXII. vſ. 1. Pſalm. CVI. vſ. 19. & Act. VII. vſ. 39. explicantur. Aſtarte Syrorum numen itinerarium, a multis populis, etiam a Judæis, cultum. Huic cœli reginæ amphiphontes in viis oblatæ. Verus Hieremiæ ſenſus cap. VII. vſ. 17. Gad & Meni, an Sol & Luna, apud Eſaiam LXV. vſ. 11. Dea Cœleſtis Aſrorum eadem, quæ Aſtarte, apud Ulpian. tit. XXII. §. 6.

Abſit vero putemus, tam hebetes ac truncos Ethnicos fuiſſe omnes, ut lapides, ſtatuas & columnas pro Diis vialibus habuerint: quas & ſenſu carentes, et mortali opere factas, &

& ævum paſſuras facile videbant. Pueri, fateor, & anus, & vulgus ſuperſtitione mancipatum, immo quotquot religionem, non ratione, ſed ſenſibus hauſerant, niſi figuris hominum, animalium, aut lapidum conſtitutis, nihil poterant de Deo cogitare, ideoque ſtatuas conſecratas, velut Deorum domicilia, aut Dei ſpiritu animatas, adorabant, iiſque, tanquam diis, publice ſupplicabant. Theophraſtus in Charact. περὶ δεισιδαιμονίας, ſive cap. XVI. Καὶ τῶν λιπαρῶν λίθων τῶν ἐν ταῖς τριόδοις, παριὼν ἐκ τῆς ληκύθου ἔλαιον καταχεῖν, καὶ ἐπὶ γόνατα πεσὼν καὶ προσκυνήσας, ἀπαλλάτεσθαι. *Lapides unctos, qui ſunt in triviis, ſolet oleo ex ampulla perfundere, nec prius diſcedere, quam poſito genu eos fuerit veneratus.* Dio Chryſoſtomus Serm. XII. Πολλοὶ τῶν βαρβάρων, πενίᾳ τε καὶ ἀπορίᾳ τέχνης, ὄρη θεοὺς ἐπονομάζουσι, καὶ δένδρα ἀργὰ, καὶ ἀσήμους λίθους. *Multi è barbaris, ex artis penuria & defectu, montes Deos vocant, & arbores impolitas, & informes lapides.* A ſe ipſo quoque, adhuc profano idololatra, id factum queritur Arnobius lib. I. pag. 22. *Picturatas veternoſis in arboribus tænias ſi quando conſpexeram, lubricatum lapidem & ex olivi unguine ſordidatum, tanquam ineſſet vis præſens, adulabar, affabar & beneficia poſcebam, nihil ſentiente trunco.* Prudentiores etiam, quo facilius animos impe-

rito-

ritorum, ad deorum cultum, a vitæ pravitate converterent, vel ne, tanquam reip. turbatores, cum Socrate, capitis periculum ſubirent, ſubridentes licet, more populi, Deos vocabant, qui λεγόμενοι θεοὶ, ut Paulus ait 1 Corinth. VIII. vſ. 5. Ita Cicero Verrin. IV. c. 47. ſimulachris ſublatis, deos ablatos queritur, cum Siculorum vulgo. Virgil. lib. II. Æneid. vſ. 351.

Exceſſere omnes adytis, ariſque relictis
Dii, quibus imperium hoc ſteterat.

Horat. lib. I. Sat. 8.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Cum faber, incertus ſcamnum faceretne Priapum,
Maluit eſſe Deum.

Juvenalis Sat. VIII. verſ. 111.

Ipſi deinde Lares, ſi quod ſpectabile ſignum.
Si quis in ædicula Deus unicus.

Ipſimet vero in rebus naturalibus & corporeis, præſertim in aſtris, Deos quærebant, ac honore divino ſiderum principes, Solem & Lunam proſequebantur. Cum enim Dei ipſius inviſibilis formam ignorarent, & vellent tamen habere aliquid, in quo ſenſus hærere poſſet, ad hæc luminaria animum jam adjecerunt primi mortalium; unde lux, alimenta, voluptates, imo

vita

vita iis univerſa. Satis quidem aperte videbant, Dei immenſi ideam aſtrorum anguſtia non abſolvi; cum circulo ſuo incluſa ſint, nec precum habeant intellectum, nec libertatem huic magis, quam illi beneſaciendi, nec libere moveantur; adhæc plura ſint, & materia conſtent, ut ex Homeri & Arati verſibus liquet; neque tamen, poſt obliteratam, & quaſi extinctam creati mundi hiſtoriam, quam Moſes nobis diligenter deſcriptam reliquit, eorum ſtupendam magnitudinem, ſplendorem, curſus celeritatem, vim & tantam in tam variis curſibus convenientiam, ſine numinis cogitatione, contemplari poterant. Ipſe Jobus hoc ſibi eveniſſe fatetur, cap. XXXI. vſ. 26. Plato lib. X. de LL. recte quoſdam reprehendit, qui corpora cœleſtia motum a Deo accipere negent; at lib. XI. de LL. et in Epinomide, aſtra appellat *deos magnos* et *adſpectabiles*, qui cernuntur et acutiſſime cernunt. Plinius, in magnifica illa Solis deſcriptione, lib. II. cap. 6. opera ejus æſtimantes, inquit, credere decere, hunc *mundi totius mentem, & principale naturæ regimen, ac numen eſſe.* Immo omnes, quotquot fuerunt gentes, in lucida hæc cœli decora, in hos lucis et tenebrarum dominos religionis ſuæ ſtudia collocaſſe, notum eſt vel mediocriter eruditis, et

Char-

Charron Chriſtianus, Solem Deum eſſe ſenſibilem, Deum Solem eſſe inſenſibilem, luxuriante ingenio dixit. Ad hos etiam præcipue referendum videtur, quicquid Gentium Mythologia de viarum præfectis fabulata eſt. Lux enim ſolaris de die vias monſtrat, Luna, in calidioribus præſertim climatibus, iter noctu facientes juvat, certe ab utraque, diſcuſſo tenebrarum horrore, cœlique triſtitia, multiplex utilitas in viatores redundat. Hac propter in nummis Imperatorum, qui in Orientem expeditiones ſuſceperunt, frequenter legitur: ORIENTI SOLI COMITI: SOLI ÆTERNO COMITI: vel PROGVGNATORI AVGVSTO, SOLI INVICTO COMITI. et collegium Pabulariorum, qui pabula militiæ advehebant, APOLLINI INVICTO ET LVNAE AETERNAE ſtatuam æneam dedicarunt, apud Spon. Miſcell. pag. 68. Moſes ait, Deum feciſſe duo illa luminaria magna, luminare majus, ad præfecturam diei, et luminare minus, ad præfecturam noctis, Geneſ. I. vſ. 16. vetat autem, ne pulchro adſpectu impellamur ad ea colenda, quæ Deus omnibus impertitus eſt Deut. IV. vſ. 19. Cicero lib. I. Tuſcul. quæſt. cap. 30. Solem *omnium moderatorem & ducem* vocat. Apud Livium paſtor quidam dux viarum à Charopo miſſus:

Nocte

Nocte itinera fieri jubet: & pernox forte Luna erat, lib. XXXII. cap. 11. Sol etiam apud Julianum orat. IV. Κοινὸς ἡγεμὼν, *communis dux:* & Luna apud Jucundum, in ſententiis, ὁδευόντων παρηγορία, *peregrinantium conſolatio* appellatur. Diſerte Auguſtinus lib. VII. de civit. Dei cap. 16. *Apollinem quamvis divinatorem & medicum velint, tamen, ut in aliqua parte mundi ſtatuerent, ipſum etiam Solem dixerunt; Dianamque, germanam ejus, ſimiliter Lunam & viarum præſidem. Unde & virginem volunt, quod via nihil pariat: & ideo ambos ſagittas habere, quod ipſa duo ſidera de cœlo radios terras uſque pertendant.* Poſt Aſtra inter Deos quoque viales relati & honore divino culti ſunt gentium duces ac rerumpublicarum conditores, reges & reginæ; ſive ob res inclyte geſtas, ſive ob beneficia ab iis profecta, ſive ob Heroum ambitionem & eruditorum adulationem: cum enim illi ſupra meritum in admirationem veniſſent, in Solem, aut Lunam, aut Veneris & Mercurii ſtellas conſecrati ſunt, addita animalis iſtius figura, in quam ſidera illa formata, aut quæ vim eorum efficacius repræſentare videbantur. v. Grot. ad Exod. XX. vſ. 3. & Selden de Diis Syr. proleg. c. 3.

Caput & fons bipartitæ hujus ſuperſtitio-

nis ab Ægyptiis repetendus eſt. Hi enim, ſicut omnis profani cultus feruntur auctores, & primi aras, ſimulacra & delubra diis ſtatuerunt, auctore Herodoto lib. II. c. 4. et apud Lucianum, initio Deæ Syriæ, πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων λέγονται Θεῶν ἐννοίην λαβεῖν: *primi hominum dicuntur Deorum notitiam percepiſſe*: ſic & Deos viales Φυσικοὺς καὶ ἀθανάτους agnoſcebant Solem & Lunam, quos ſub Oſiridis & Iſidis nomine, qui itineribus erant celebres, venerabantur. Patet id ex Diodoro lib. I. & Plutarcho de Iſid. & Oſir. Oſtendunt ſimulacra, quibus ille cum ſceptro, cui oculus ſuperimpoſitus, hæc navigio vehens, velut Luna corniculata, fingitur; & Pſeudo-Mercurius Triſmegiſtus in τῇ κόρῃ κόσμου, ex ſententia Ægyptiorum, Oſiridem appellat σωμάτων ἑκάστου ἔθνους ἡγεμόνα καὶ ἰσχύος καὶ ῥώμης καθηγητήν, corporum, adeoque itinerum uniuscujuſque gentis, virium item ac roboris ducem. Iſidem vero navigantibus ſalutarem fuiſſe, Lucianus plus uno loco indicat. Hinc navis crebro *Iſis* dicitur a tutela, Iſidis ſimulacro; & manſio Ægyptiaca *Ibis* dicitur, in itinerario Antonini, quia hoc animal Iſidi ſacrum, viatoribus ad ſerpentes fugandos proderat, in primis Alexandriam tendentibus, auctore Strabone lib. XVII. & Pignorio in expoſ. menſ. Iſiacæ fol. 39. Eandem Iſi-

dem

dem, tanquam navium ducem, invocat Statius, in Propemptico ad Metium Celerem lib. III. Silv. 2. vſ. 102.

Nunc regina Phari, numenque Orientis
anheli,
Excipe multiſono puppem Mareotida ſiſtro;
Ac juvenem egregium, Latius cui ductor Eoa.
Signa, Paleſtinaſque dedit frenare cohortes,
Ipſa manu placida per limina feſta, ſacroſque
Duc portus, urbeſque tuas. Te præſide noſcat
Unde paludoſi fecunda licentia Nili.

Ex illuſtri hac ſuperſtitionis ſchola, ut dixi, ceteræ gentes, velut peſtilenti ſidere afflatæ, mox deos ſuos, & ſemitales & marinos acceperunt, iiſque eadem ſigna, quibus ſibi præcederent, formarunt. Nomina quidem & cultus idolorum, in tantis rerum, linguarum & imperiorum varietatibus mutata ſunt; prudentiæ vero adſcribebant plerique, quod Ægyptii formas Deorum temere referre non auſi, in beſtiarum ſymbolis eos repræſentarint, occulti aliquid ſenſus ex aſtrologia habentibus, quo magis venerabiles viderentur, auctore Philoſtrato, de vita Apollonii lib. VI. c. 19. & Luciano περὶ ἀστρολογίας. Taurum, manſuetorum animalium principem, vel bubulum caput, aut cornua boum, apud illos Solis & Lunæ Symbola fuiſſe, teſtis eſt Hero-

dotus lib. II. c. 41. & Claudius Menetrejus, in expoſitione Symbolicæ Dianæ Epheſinæ ſtatuæ, ſub titulo *Bovis* illuſtravit, tom. VII. Theſ. Gron. Macrobius lib. I. Sat. cap. 21. *Taurum ad Solem referri, multiplici ratione Ægyptiorum cultus oſtendit.* Tacitus lib. V. Hiſt. c. 4. *Bos immolatur, quem Ægyptii Apin colunt.* Plinius lib. IX. cap. 49. *Bos in Ægypto Numinis vice colebatur: Apim vocabant.* Strabo lib. XVII. de urbe Memphi: Ἔχει δὲ ἱερὰ, τότε τοῦ Ἄπιδος, ὅς ἐστιν ὁ αὐτὸς καὶ Ὄσιρις, ὅπου ὁ Βοῦς Ἄπις ἐν σηκῷ τινι τρέφεται. *Habet etiam templa, Apidis nimirum, qui idem eſt Oſiris, ubi bos Apis in delubro quodam alitur.* Id denique ex Apidis figura liquet, apud Montfauconium tom. II. Antiquit. p. 2. pag. 310. & Fabrettum cap. VII. Inſcript. pag. 533.

Idem vero ſymbolum Hebræorum natio inſulſa, ac, per longam moram, inter lateres & idola, Ægyptiorum cultu inquinata ſibi popoſcit, cum in montem aſcendiſſet Moſes, ibique per dies quadraginta commoraretur. Dicebant enim Exodi XXXII. v. 1. Fac nobis Deos, qui ילכו לפנינו *præeant nobis, quoniam iſti Moſi viro, qui eduxit nos ex terra Ægypti, neſcimus quid contigerit.* Et verſ. 4. poſtquam Aaron vitulum conflaſſet, ajebant: *Iſti Dii tui, Iſrael,*

Iſrael, qui eduxerunt te de terra Ægypti. Nonnulli Rabbinorum inepte a bove cœleſti vituli figuram arceſſunt, cujus fauſti ſideris influxus Aaroni cognitus fuerit. Alii bovis figuram, in monte Sinai, inter Cherubinos, conſpectam fuiſſe nugantur. Longe veriſimilius Seldeno, de diis Syris Synt. I. cap. 4. in memoriam revocandus videtur βοῦς διάχρυσος, in Oſiridis luctu, ſeu ἀφανισμῷ & εὑρέσει oſtendi ſolitus. Aliter rurſus Vir plurimum Reverendus, & Collega noſter conjunctiſſimus, David Millius, in diſſert. de Vitulo aureo, ad Typhonis ſimilitudinem ſimulacrum illud effictum contendit: is enim terribilis cacodæmon ab Ægyptiis, ne ſibi noceret, ſub forma bovis colebatur, auctore Philone Judæo de temulentia: *Prævaricari auſus eſt ita, ut corporeum Deum ſibi finxerit, inſtar Typhi, quem Ægyptii maxime colunt: cujus ſymbolum eſt aurei tauri fabrica.* Et quamvis Bochartus in Hieroz. part. I. lib. II. cap. 34. pag. 340. Philonem, virum impenſe doctum, & in Ægypto natum, magni erroris accuſet, quod Typho, vel Typhoni tribuat, quæ Oſiridi erant propria, ipſe tamen pag. ſeq. fatetur, Typhonis nomine Iſraëlitarum ducem ſignificari, a quo ex Ægypto in Chananææ fines deducti ſunt. Quidquid hujus eſt, mihi certum fixumque ſedet,

 non

non alia fini gentem iſtam ſine via viatricem ſtercoreum illud idolum petiiſſe, quam ut haberet ducem Deumque vialem, in locum Moſis, quem Tacitus apte *ducem cœleſtem* vocavit, lib. v. Hiſt. c. 3. Liquido hoc teſtantur Stephani protomartyris verba Act. VII verſ. 39 *Averſi ſunt cordibus ſuis in Ægyptum, dicentes Aaroni, fac nobis Deos, qui præeant nobis*, (οἱ προπορεύσονται ἡμῶν, *qui nobis iter monſtrent ac proſperent*, Grotius) *& vitulum fecerunt per illos dies, obtuleruntque ſacrificium idolo.* Eandem rationem profert Jeroboamus, quum vitulos, quibus populus in Ægypto adſueverat, in Dan & Bethel collocaret, cantato enim velut hymno, numini viali dicato, *Ecce*, inquit, *Dii tui, qui eduxerunt te de terra Ægypti*. 1. Reg. XII. 28. prorſus ac Iſraelitæ de vitulo Aaronis ſupra. Nec tamen puto adeo eos ineptos fuiſſe, ut vere pro diis præeuntibus habuerint ſimulacra, quæ pedes habent, & non ambulant Pſ. 115. vſ. 7. Potius enim id intendebant, ut ſub imagine & ſymbolo dei vialis, æternum verumque futuri itineris ducem, numenque viale colerent. Atque ideo probabilior evadit ſententia vulgata, vitulum aureum ad ſimilitudinem Oſiridis confictum eſſe. Enimvero ipſe Deus, qui forti manu eos eduxerat, queritur

ritur apud Ezechielem cap. XX. verſ. 6. & ſeqq. ſtercoreos Ægypti Deos, ab egredientibus Iſraëlitis non eſſe derelictos. Qui locus adeo planus eſt, ut gratis dicatur, non eſſe veriſimile, Iſraëlitas, omni vitæ ratione ab Ægyptiis diſcrepantes, ad Deaſtros eorum reverti voluiſſe, in quos judicium exercuerat Deus, Exod. XII. vſ. 12. nam feſtinanter, & ex eo die, quo e terra Ægyptia educti, obliti ſunt operum Dei ſui, & *fecerunt vitulum Chorebi, & incurvaverunt ſe fuſili, & mutantes honorem ſuum in formam bovis, comedentis herbam, obliti ſunt Dei fortis, ſervatoris ſui, qui fecerat res magnas in Ægypto* Pſ. 106. vſ. 19. ſeqq. His addamus, quod Amoſus exprobrat domui Iſraëlis, nulla ſacrificia in deſerto, quadraginta annis, vero Deo oblata, ſed eam portaſſe tabernaculum Meleci; & baſin imaginum ſuarum cap. V. vſ. 25. 26. Quæ verba ad vitulum aureum quoque referenda, et ex conſuetudine gentium explicanda eſſe, exiſtimavit Spencerus de LL. Ebr. rit. l. III. c. 3. diſſ. 1. ſect. 1. iter enim longum ſuſcepturi, aut cum hoſte congreſſuri, parvulum dei ſui σκήνωμα et ναΐδιον, ut itineris ſocium, et viæ ducem, ſecum portare ſolebant, qua de re plenius infra cap. XI. Hoc ipſum denique confirmat Lactantius lib. IV. cap. 10. *In luxuriam*

 pro-

prolapſi ad profanos Ægyptiorum ritus animos tranſtulerunt. Cum enim Moſes dux eorum aſcendiſſet in montem, atque ibidem quadraginta dies moraretur, aureum caput bovis, quem vocant Apim, quod eos ſigno præcederet, figurarunt. Qui plura cupit, adeat ad Bochartum d. c. 34. Kircher. Oedip. Ægypt. t. 1. ſynt. 1. c. 3. n. 9. & ſ. 4. c. 1. & 3. Natalem Alexandrum diſſ. v. H. E. t. 1. pag. 507. alioſque.

Ego ad Syros & Phœnices me confero, quorum Dea Aſtoreth vel Aſtarte, ſub eadem bubuli capitis ſpecie colebatur; ut oſtendit Euſebius, in primo Præparat. Evangel. ex Sanchoniathone, ſcriptore antiquiſſimo: Ἡ δὲ Ἀςάρτη ἐπέθηκε τῇ ἰδίᾳ κεφαλῇ βασιλείας παράσημον κεφαλὴν ταύρου. *Aſtarte capiti ſuo, tanquam regni inſigne, tauri caput impoſuit.* Eſt autem eadem Aſtarte, quæ Ægyptiorum Iſis, ſive Luna, ſi fidimus homini Syro, Luciano Samoſatenſi de Diis Syris: Ἀςάρτην δὲ ἐγὼ δοκέω σεληναίην ἔμμεναι. *Aſtartem autem ego puto Lunam eſſe.* Sanchoniathon vero, & Tullius, & Suidas Venerem interpretantur, alii Uraniam, Junonem àlii faciunt, apud Plut. in Craſſo: at ſunt iſta diverſæ appellationes, pro varietate locorum, uni Lunæ & Syro numini attributæ. Quidam nomen ejus derivant ab Aſtroarcho, vel conciſius ab Aſtarto,

to, Tyri Rege, alii a regina, Veneris ſtellæ conſecrata; ſicut Rex Phœnicum Κρόνος, in eam ſtellam, quam Græci, à Phœnicibus edocti, Κρόνȣ, Latini Saturni vocant, ſacratus eſt. Frequens hæc Dea apud Vaillantium, in nummis Sidonis, Tyri & Beryti ſeminuda, inſtar Veneris, aliquando tutulata conſpicitur, & cultum ejus antiquiſſimum in Palæſtina fuiſſe, ex Joſepho novimus, lib. VI. Antiq. c. 15. Judæi quoque, a vero Deo deficientes, & immemores interdicti Deut. IV. vſ. 19. ſacra ei fecerunt in templis, nemoribus & lucis; qui *Aſtaroth* appellantur Jud. II. vſ. 13. & III. vſ. 7. 1 Reg. XI. vſ. 5. ubi LXX. Interpretes vertunt *Aſtarten*. Eandem Carthaginienſes Africæ, ut infra dicam, & Athenienſes, ſub Ἀφροδίτης Οὐρανίας nomine, teſte Pauſania in Attic. ſumma veneratione coluerunt. Elagabalus quoque, cum ſummus Solis eſſet ſacerdos, eam juſſit adferri Romam, ut Solis & Lunæ matrimonium conciliaret, auctore Herodiano. lib. V. c. 6. Multa de Aſtarte Scaliger ad fragm. vet. Script. Græc. Selden. de diis ſyr. Synt. II. c. 2. Florid. Sabinus lect. ſubc. lib. II. c. 7.

Ad noſtrum inſtitutum pertinet, quod Achilles Tatius Clitoph. amor. pag. 3. refert, eos, qui procellas evaſiſſent, σῶϛρα Aſtartæ ſacrificaſſe, ſi in portum Sidonis

appuliſſent; quodque Judæi, more Phœnicum, eidem, tanquam Deæ Biviæ, in viis publicis adorea liba obtulerunt. Auctor mihi eſt omni exceptione major Hieremias cap. VII. verſ. 17. et 18. *Nonne vides quid faciant in urbibus Judææ & in plateis Hieroſolymæ? Filii legunt ligna, patres accendunt ignem, & uxores depſunt maſſam, ut parent* כונים למלכת השמים *placentas reginæ cœlorum, & fundant libamina Diis alienis.* Ubi ante omnia notari velim voces בחוצות, id eſt *in plateis*, ubi itinerum initia capiuntur. Dein *ut faciant* כונים χαυῶνας LXX. retinent, id eſt placentas circum circa lucentes, à כוה *urere*: alii Codices legunt καιῶνας, Aldus χαμῶνας, Chryſoſtomus πόπανα, Olympiodorus πέμματα, cupedias interpretatur: at reddere potuiſſent ἀμφιφῶντας: nam Heſychius πλακοῦντας ἀμφιφῶντας Lunæ ſacras fuiſſe ſcribit. Salomon Jarchi addit, icunculas Deæ in libis illis fuiſſe, quod Grotius probat ad *h. l.* Frequens harum placentarum, e farre et farina ſubactarum, et ante victimarum ſacrificium offerri ſolitarum, fit mentio apud Ariſtophan. Pluto. vſ. 659. et Ælian. lib. XI. V. H. c. 5. ad quos Spanhemius et Perizonius multos erudite cumularunt. Pollux lib. VI. cap. XI. illas ſacras vocat: Μάζαι δὲ, αἱ μὲν ἱεραὶ, ἀμφιφῶντες μὲν, ἃς ἔφερον

εἰς

εἰς Μȣνυχίας Ἀρτέμιδ☉, δάδας ἡμμένας περιπήξαντες. *Placentæ vero, ſacræ quidem., amphiphontes, quas ferunt in Munychiæ Dianæ, faces accenſas circum figentes.* Etymologici auctor: Ἀμφιφῶν, εἶδ☉ πλακȣ̃ντ☉, τελȣ́μεν☉ τῇ Ἀρτέμιδι, διὰ τὸ κύκλῳ φωτίζεϑαι ὑπὸ δάδων. Ἢ διὰ τὸ πανσελήνȣ ȣ̓́σης πέμπεσϑαι τῇ Ἑκάτῃ. *Amphiphon, genus placentæ, ſacratæ Dianæ; quia in circuitu illuminatur ab facibus: aut quia quum Luna eſt integra mittitur Hecatæ.* Hæ vero, ut fauſtum & fortunatum iter eſſet, in biviis & triviis offerebantur. Elegans Athenæi locus lib. XIV. Deipn. c. 13. pag. 645. Ἀμφιφῶν. πλακοῦς Ἀρτέμιδι ἀνακείμενος ἔχει δ' ἐν κύκλῳ καόμενα δάδια. Φιλήμων ἐν Πτωχῷ. Ἐνοδία Ἄρτεμι φίλη δέσποινα τοῦτόν σοι φέρω ὦ πότνι' ἀμφιφῶντα καὶ σπονδήσιμα. *Amphiphon: placenta Dianæ ſacra, circumpoſitis in orbem accenſis faculis. Philemon in Mendico:*

Viarum præſes Diana, amica domina,
Hunc affero tibi Amphiphontem, o veneranda,
Et ad libandum quæ ſunt opus.

Denique Propheta Deam noſtram appellat מלכת השמים *Melecheth Haſſamaym*, hoc eſt, ut LXX. ἱερατείαν, vel ut alibi βασίλισσαν τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃, *reginam cœli*, vertunt c. 44. vſ. 17: nam quemadmodum Plinius lib. II. H. N. cap. 6. Solem terrarum, ſiderum, *cœlique rectorem* vocat, ita Lunam Horatius, carm.

carm. ſec. vſ. 35. *ſiderum reginam*, et lapides *Junonem Reginam*, vel *Junonem Coeleſtem* appellarunt, apud Grut. pag. 25. Reineſ. pag. 56. et Gudium p. 3. n. 7.

Hæc poterant ad hujus loci illuſtrationem ſufficere, ſed priuſquam ab eo diſcedamus, duo addenda eſſe reor. Primum eſt quod Eſaias cap. LXV. vſ. 11. Judæos carpit, quod, obliti montis ſanctitatis, menſam inſtruxerint τῷ GAD, et poculum impleverint τῷ MENI. Varie hæc explicant eruditi. Septuaginta Seniores prius idolum per δαιμόνιον, alterum per τύχην interpretati ſunt. Tremellius et Junius turmis menſam, et numeris libamen aſſignant. Cl. Huetius, in diſſert. ad *h. l.* ſingulari, per GAD Lunam, per MENI autem Solem intelligit. Contra Cl. Vitringa in comm. ad h. l. GAD Solem facit, et MENI Lunam. Alius Vir. Clariſſ. in diſſert. *ad h. l.* unam Lunam, bonam Deam, utroque nomine deſignari exiſtimavit, quo cum facit Cl. Lakemacherus, qui p. IV. Obſ. Philol. 2. Hecaten et Lunam interpretatur. Ego vero non multum cauſæ video, cur prior vox, vel ad Solem cum Vitringa, vel cum Grotio, ad Fortunam referri nequeat, quam Plinius et Pauſanias dearum potentiſſimam in rebus humanis appellarunt, quæque Hebræis et Chaldæis *Gad* vocatur Gen. XXX. vſ.

11. Altera vero vox, ad θεὸν Μῆνι, quem in Armenia et Phrygia cultum dicit Strabo, vel ad Hecaten ſive Lunam pertinet, quæ ſimiliter Græcis et Latinis antiquis μήνη, et dea *Mena* apud Diodorum Siculum et Auguſtinum appellatur. vid Philipp. a Turre de mithra c. 4. Huic quoque novilunii temporibus menſa parabatur, *Hecates cœna* dicta, uti Clericus ad Heſiodi Theog. vſ. 411. ad hunc Eſaiæ locum illuſtrandum, recte obſervavit, et infra capite IX. pluribus dicemus. Sponius item Miſcell. Sect. 1. art. 1. Deos Syrorum viales, Aglibolum et Malachbelum ad Solem et Lunam ex Palmyrena inſcriptione revocavit. Fuit, cum chiaſmum hic latere cenſerem, et cum Hieronymo atque Procopio menſam Lunæ tribuerem, ut Eſaiæ cum Jeremia per omnia conveniret. Acutiſſime vero Dodwellus in prælect. 11. ad Spartiani Hadrianum §. 4. vulgatam lectionem ex Orientalium aſtrologorum traditionibus et Platonicorum philoſophia confirmavit: hi enim Δαίμονα Soli, τύχην vero Lunæ tribuebant; illique τράπεζα, edulia, ſacrificiis deſtinata, in delubris et ſpeluncis, huic vero κέρασμα, libamen, in ſepulchris offerebant; quæ duo loca Propheta diſtinguit vſ. 4. ut de diverſis idolis haud dubitandum eſſe videatur.

Alterum eſt, quod eadem, cum Aſtarte, fue-

fuerit *Dea Cœleſtis* Salinenſis Carthaginis, quam Ulpianus in catalogo Dearum refert, quæ ob jus liberorum, ridicule a Senatu vel a Principe conceſſum, heredes inſtitui poſſunt *tit. XXII. §. 6.* Dido enim, urbis ejus inſtauratrix, Aſtartes cultum illuc è Phœnicia attulit, teſte Herodian. lib. V. eaque ſicut aliis Dea Syria, vel Juno Aſſyria, aliis Atergatis vel Derceto, aliis rurſus Juno et Regina cœleſtis vocabatur; ita Africani ſuum dæmonem *Cœleſtum* in maſculino, (rectius *Sceleſtum* vocaſſent) vel *Virginem*, et *Invictam Cœleſtem* appellarunt. Meminit ejus Capitolinus in Pertinace, Ammianus Marcellinus, Tertullianus, Auguſtinus, Salvianus aliique. Vide Petrum Fabrum lib. III. Sem. c. 2. Pith. l. I. Adv. c. 4. Loënſ. lib. VII. Miſc. c. 12. Forner. lib. II. rer. quot. c. 8. et Cl. Schulting. ad d. l. Vlpiani. His adde, quæ amplius de *Luno* deo, & *Luna* dea, ſive Μὴν & Μήνη, dicemus cap. 8. initio.

CAPUT IV.

DE DIIS VIALIBUS CHALDÆORUM ARABUM ET PERSARUM.

Sol populorum Orientalium deus, ſub diverſis nominibus. Chaldæi Teraphim de proſpero itinere conſuluerunt. Ezech. XXI. vſ. 16. Judic. XVIII. vſ. 5. & Geneſ. XXIV. vſ. 19. illuſtrantur. Stella, quæ magis præluxit Bethleemam, dux itineris, & omen novi imperii. Cum Matth. II. vſ. 19. duo Virgilii loca comparata. In locis Arabiæ inviis aſtra pro ducibus. Perſis nulla olim ſimulacra. Eorum religio in itineribus capeſſendis. Cur orto Sole demum procedant. Mithræ cultus divinus, an civilis, adverſus Thomam Hyde.

Quod de Ægyptiis et Syris diximus, idem de reliquis Orientis populis habendum eſt, Solem et Lunam omnium commune numen fuiſſe, quæ tamen in unaquaque civitate aut urbe peculiare cognomen ſortiebantur. Sic Babyloniorum *Belus*, Palmyrenorum *Malachbelus*, Emiſſenorum *Elagabalus*, et Perſarum *Mithres* nihil aliud fuerunt, quam Sol,

Sol, qui Ἧλ, Βῆλ, *Baal* & *Belus* dicebatur, ut, præter Photium, Servius teſtatur ad lib. I. Æneid. vſ. 646. *Omnes in illis partibus Solem colunt, qui ipſorum lingua* EL *dicitur; unde & ἥλιος*. & ad vſ. 733. *Belus primus Rex Aſſyriorum, quos conſtat Saturnum, quem eundem & Solem dicunt, Junonemque coluiſſe: quæ numina etiam apud Afros poſtea culta ſunt, unde & lingua Punica* BAL *dicitur deus. Apud Aſſyrios autem* BEL *dicitur, quadam ſacrorum ratione, & Saturnus & Sol.* Etſi enim illi rurſus ex dictato rationis & lumine conſcientiæ didiciſſent, Deum eſſe, cum tamen ille lucem habitet inacceſſam, nemoque eum viderit, nec ab homine mortali videri poſſit, ſymbolum & imaginem ejus ſibi ſolem adſciverunt: ipſeque Deus aſtra iſtis dediſſe dicitur, ſinendi, non approbandi ſenſu, cum gentes dimiſit ingredi vias ſuas. Deut. IV. vſ. 19. Act. XIV. vſ. 16. Ipſe Plato *cum de τ' ἀγαθῶ loqui eſſet animatus, dicere quid ſit, non eſt auſus: hoc ſolum de eo ſciens, quod ſciri quale ſit, ab homine non poteſt. Solum vero ei ſimillimum de viſibilibus Solem reperit*, auctore Macrobio lib. I. in ſomn. Scip. c. II.

Caput Chaldaicarum gentium fuit Babylon, cujus idolum *Belum*, toto orbe celebratiſſimum, Herodotus *Jovem* vocat,

qui-

iſte, ut Græcis ζεὺς, erat deorum ſummus: idem quoque templi auguſtiſſimi meminit, quod in ejus honorem à Nabuchodonoſere ſtructum, Xerxes evertit, lib. III. c. 159. Chaldæi vero, huic vicini vel indigenæ Philoſophi, diuturna obſervatione ſiderum, & divinatione ex virgis credebantur prædicere poſſe, quid cuique eventurum, & quo quiſque fato natus eſſet, & quam viam ingredi in bivio oporteret. Hinc Ezechiel prædicit eventurum, ut Nabuchodonoſor in bivio per Chaldæos ῥαβδομαντίαν inſtituat, & conſulat deos viales, quorſum ſit iturus; *Stabit rex Babyloniæ in bivio, in capite duarum viarum, ad divinandum divinationem, terget cultros, conſulet imagines, inſpiciet jecur*, cap. XXI. vſ. 26. Mitto nunc quæ de *Theraphim*, ſive imaginibus loquentibus fabulantur Judæi, apud Selden. de diis Syris Synt. 1. c. 2. nec tantum otii eſt, ut repetam & refellam Spenceri commenta, Urim & Thummim putantis cum illis paria feciſſe, lib. III. diſſ. 7. Illud autem huc pertinere putem, quod Danitica tribus, cum ſibi quæreret poſſeſſionem, Michæ ſacerdotem rogarunt, ut *conſuleret Deum*, id eſt Teraphim, *quo ſcirent, an proſpero itinere pergerent* Judic. XVIII. vſ. 5. 14. Forte etiam, quod Rachel ſurripuit Labani Theraphim, Dei

Syrorum Beelſamen, id eſt Solis, imagines, ut haberet viarum & periculorum ſuorum comites Geneſ. XXIV. vſ. 19. nam licet Joſephus & Abeneſdra alias rationes protulerint, ſi tamen cap. XXXV. vſ. 2. & 3. conferatur, Teraphim iſta opponuntur Deo forti, qui *adſuit Jacobo in via, quam profectus erat.*

Chaldæi præterea artem ex aſtris divinandi tantopere coluere, ut quod nomen gentis fuerat, factum ſit nomen profeſſionis. Tacitus *ſcientiam Chaldæorum artis* lib. VI Annal. c. 20. appellavit. *Si modo ars eſt, non vaniſſimi cujuſque ludibrium,* ait Curt. lib. VII. c. 4. Multa de illis Lipſius ad lib. II. Annal. Taciti Exc. G. & Interpretes ad Collat. legum Moſaic. tit. XV. quæ non ſunt hujus loci. Nec tamen prætereundum eſt, quod Deus aliquando, cum ſtella ex Jacobo oritura erat, pios quoſdam ſiderum contemplatores, tanti fecerit, ut novam condiderit ſtellam, quæ ipſos ad Chriſtum perdnceret, Matth. II. vſ. 1. Unde autem venerint illi μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν, Sapientes Orientales, non una eſt Eruditorum ſententia: Chalcidius Platonicus ad Timæum Platonis, eos appellat *ſapientes Chaldæorum:* alii vero ex Meſopotamia, alii ex Perſia eos veniſſe putant: Grotio perplacent vetuſtiſſimi Chriſtiano-

rum,

rum, qui ex Arabia, ab ortu Judæis adſita, eos adventaſſe ſcripſerunt, quum Chaldæi contra Septentrionalium nomine cenſerentur. Verum de his non altercabimur: ex eo autem quod Matthæus ait vſ. 9. *Stella, quam viderant in Oriente, præibat eis, donec ſtaret ſupra, ubi erat puer*, valde credibile fit, ſtellam hanc, non cometam, ſed aliud quodcunque ſidus, novi imperii magnitudinem portendens, ut Mithridati apud Juſtinum, Magis ſimul ducem itineris fuiſſe: nam προῆγεν ita eſt præcedere quempiam, ut ſit tanquam dux & numen viale. Chryſoſtomus ſane Homil. VI. ad Matth. ſtellam hanc *quaſi ducem itineris* vocat, ſicut in eremo columna nubis fuerat; Auguſtinus ſerm. 2. & 3. de Epiphan. *linguam cœlorum* appellavit. Sed quia Magi tantum dicunt, ſe vidiſſe regis Judæorum ſtellam in Oriente, non vero addunt, illam ſibi comitem fuiſſe, nec tam vehementer gaviſi fuiſſent, cum ultra ſpem iſtam iterum viderunt; ideo Vir Clar. Chriſtophorus Auguſtus Heumannus in Pœcile, tom. II. lib. 1. ep. 13. *ſtellam præceſſiſſe* explicat, in tempore plusquam perfecto, hoc ſenſu: ſtella, *quam viderant in Oriente, præceſſerat eos*, ſicut Matth. XXVI. vſ. 32. & XXVIII. vſ. 7. Adjicit, Magos ex vaticinio Danie-

lis ſciviſſe, Meſſiam illo tempore eſſe naſciturum, eoſque nova exorta ſtella, a Deo per ſomnium, hanc eſſe indicem & præconem regis, edoctos ſimulque Judæam adire juſſos, ibi ſubito eandem, quam in patria viderant, ſtellam in cœlo obſervaſſe. Idem fere ſederat Clario, in annot. ad Matthæum, cui nec ego culculum adjicere dubitarem, niſi ſacer textus miraculum diſerte expreſſiſſet.

Comparari cum his quodammodo poteſt, quod Varro ſcripſerat, referente Servio ad illud Virgilii lib. I. Æneid. vſ. 386.

Matre dea monſtrante viam, data fata
ſecutus,

Hoc loco per tranſitum tangit hiſtoriam, quam per legem artis poëticæ aperte non poteſt ponere: nam Varro in ſecundo Rerum divinarum dicit: Ex quo de Troja eſt egreſſus Æneas, Veneris eum per diem quotidie ſtellam vidiſſe, donec ad agrum Laurentium veniret, in quo eam non vidit ulterius. Haud quoque diſſimile eſt aliud ex ſtella augurium, apud eundem Maron. II. Æneid. vſ. 694.

Stella facem ducens multa cum luce cucurrit;
Illam, ſumma ſuper labentem culmina tecti,
Cernimus Idæa claram ſe condere ſilva,
Signantemque vias:

Addamus quod in Oriente & locis Syriæ vicinis, per amica ſilentia Lunæ, & hac defi-

deficiente, affulgentibus ſtellis itinera fieri debebaut; quia Solis ardor nimis moleſtus, & aliquando lethalis erat; unde *lues vaſtans in meridie* Pſalm. XCI. vſ. 6. & *expandit nubem pro tegumento, & ignem ad illuſtrandam noctem* Pſalm. CV. vſ. 39. Neque ſtellæ, ut Helice & Cynoſura, navium tantum rectrices, ſed qui iter terreſtre per loca arenoſa, monteſque ingeſto pulvere cumulatos, faciebant, nullis aliis viæ ſignis exſtantibus, ex Sole interdiu itineris rationem obſervabant, aſtris vero noctu pro ducibus utebantur, uti Freinshemius ad Curtium docuit, ubi is de Bactriana terra ita ſcribit lib. VII. c. 4. *Qui transeunt campos, navigantium modo, noctu ſidera obſervant, ad quorum curſum iter dirigunt, & propemodum clarior eſt noctis umbra, quam lux: ergo interdiu invia eſt regio, quia nec veſtigium, quod ſequantur, inveniunt, & nitor ſiderum caligine abſconditur.* De Syrte minore Plinius lib. V. Hiſt. nat. c. 4. *E terra, ſiderum obſervatione, ad eam per deſerta arenis, perque ſerpentes iter eſt.* De Pompejo Florus lib. III. c. 5. *In Septentrionem Scythicum iter, tanquam in mari, ſtellis ſecutus.* De Ammonitide Silius lib. III. vſ. 662.

Has obſervatis valles enavimus aſtris:
Namque dies confundit iter, peditemque profundo

Errantem campo, & ſemper media arva videntem
Sidoniis Cynoſura regit fidiſſima nautis.

Lucanus lib. IX. vſ. 493.

Jamque iter omne latet, nec ſunt diſcrimina terræ
Ulla, niſi ætheræ, medio velut æquore, flammæ;
Sideribus novere viam.

Veniamus ad Perſas, Parthos & Medos; quibus ſub uno imperio una etiam religio fuit. Hi ceteris gentibus hactenus fuerunt ſapientiores, quod neque defunctos adorarunt, neque Diis ſtatuas aut aras erexerunt, ullaſve numinis imagines habuerunt. *Perſas ſcio, his inſtitutis uti, neque ſtatuas, neque templa, neque aras exſtruere conſuerunt, ſed & facientes ſtultitiæ accuſant: ut mihi videtur, quod non crediderint, ut Græci, Deos eſſe forma humana*, ait Herodotus lib. I. c. 31. Eadem tamen inſania, qua ceteri, naturam ejuſque partes, Ignem Tellurem & Ventos, quam maxime vero Solem & Lunam venerati ſunt, ut teſtis oculatus Strabo refert lib. XV. pag. 732. Cumque ſine Deorum auxilio nihil rite & providenter inchoari crederent, itinerum ſuorum initia ab iis cœperunt. Cyrus plus ſemel in procinctu, & alias, Jovem patrium, id eſt cœlum, & heroas terræ præ-

ſides

ſides precatus eſſe fertur apud Xenophontem lib. I. II. III. & VII. παιδ. init. Μετὰ δὲ ταῦτα αἰτησάμενος Δία πατρῷον ἡγεμόνα εἶναι καὶ σύμμαχον, ἀνέβαινεν ἐπὶ τὸν ἵππον. *Poſthæc, implorato Jove patrio, ut & dux & opitulator eſſet, equum aſcendit.* Nondum tunc norat Cyrus, Deum eſſe unum mundi opificem & verum numen viale, qui ipſi *præiret*, & *inæqualia omneſque vias ejus æquaret*, ut ait Eſaias cap. XLV. vſ. 2. 4. 13. etſi id poſtea ab Hebræis, una cum animorum immortalitate, didiciſſe videatur, Eſ. XLI. vſ. 25. & Joſeph lib. XI. c. 1. Cyri pater Cambyſes, cum Perſiam relinqueret, ſimiliter Deos tutelares rogabat, ut faverent & feliciter propoſitum iter conficere paterentur, apud Xenophontem lib. I. & Xerxes, expeditionem adverſus Græcos parans, Deos præſides terræ Perſidis ſalutavit, auctore Herodoto lib. VII. Quinam autem fuerint Dii iſti, docet Curtius lib. III. cap. 3. *Patrio more Perſarum traditum eſt, orto Sole demum procedere.* Ait *orto Sole*, quia is dux exercituum & viarum præſes. Heſychius ſane Mithram πρῶτον ἐν πέρσαις θεὸν, *primum Perſarum Deum* vocat; & Juſtinus ex Trogo lib. I. cap. 10. *Solem unum Deum eſſe credunt, & equos eidem deo ſacratos ferunt.* Non equidem me fugit, Virum Cl. Thomam

Hyde, in hiſtoria relig. vet. Perſ. cap. IV. totum in eo eſſe, ut falſum hoc idololatrarum de Perſis judicium demonſtret, cum ipſi eorum ſacerdotes affirment, veteres Perſas Soli Deo cultum divinum, Mithræ vero & Igni civilem tantum præſtitiſſe, & falli contrarium affirmantes. Sed quia his nec libet nec licet immorari, tantum dicam, quod Cyrus apud Xenophont. lib. V. Memorab. pag. m. 830. *Mithren juratus teſtatur*, & Statius Thebaid. lib. I. fin. Mithram & Titanem, & Apollinem, & Oſirim eundem eſſe, ait. Mithræ quoque cultus duravit apud Romanos, donec Hieronymi & Prudentii tempore tolleretur. Plura de Mithre vide apud Gyrald Synt. VII. Hiſt. Deor. Voſſ. lib. II. de orig. & progr. idol. c. 9. Reineſ. cl. I. Inſcript. 48. & addeſis quæ contra Hydium diſputavit Philippus a Turre ad tabulam Solis Mithræ c. 2.

C A-

C A P U T V.

De diis vialibus Germanorum, Gallorum, Britannorum, Hispanorum, Indorum, Turcarum et Moscovitarum.

Sol Germanorum Deus univerſalis; Belenus deus vialis topicus Noricorum, apud Tertullianum. Luna Germanorum dea, interpretatione Romana Iſis, ſub ſpecie capitis bubuli culta, tanquam dea vialis. Monumentum Childerici illuſtratur. Dea Nehalennia Zelandorum. Hercules Deuſonienſis. Quercus Jovi ſacra. Tamſana cujas. Germani & Galli Teutatem coluerunt, tanquam viarum & itinerum ducem; quem Cæſar & Tacitus minus recte ſua lingua Mercurium explicarunt. Quando hoſtiis humanis ei litatum. Tuiſto, dux Germanorum, & heros inſignis, cur terra dea editus, ac inter Deos ſit relatus. Irmenſula, an Hermæ, Harminio, vel Hermioni poſita; ejus columna & effigies. Marti Gallico, apud Ulpian. tit. 22. §. 6. memorato, votum pro reditu factum. Mercurii & Herculis cultus quando tranſlatus ad Gallos, Germanos, Britannos, Hiſpanos, Danos & Sueonas. Slavorum Suantevi-

tus & Radegaſtus. Sol indorum Deus vialis. Luna Turcarum. Zlotobaba Ruſſorum.

INjurius ſim in populos Europæos, ſi Deos eorum viales tacitus prætermiſero. Et primum quidem Majores noſtri, cum omnem, qua late patebat, orbem ſint pervagati, nec prorſus religionis fuerint negligentes, vix eſt, ut ſibi non conſtituerint Deos, viarum duces. Hos autem priuſquam videamus, Dii eorum dividendi ſunt in Catholicos & Topicos; ſive in univerſales, qui ab univerſa gente, & particulares, qui in certo tantum pago & tractu colebantur, v. Cl. Keyſleri Antiq. ſelect. Sept. & Celt. pag. 297. De antiquis Germanis certum eſt, quod in cœlum ſuſpicientes, eadem ſuperſtitione, qua ceteri populi, obſtupuerint conſpectu Solis & Lunæ, iiſque divinitatem ineſſe, juxta cum aliis, arbitrati ſint. Auctorem habeo Cæſarem, lib VI. de bello Gall. cap. 21. *Germani*, inquit, *deorum numero eos ſolos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus aperte juvantur, Solem, & Vulcanum, & Lunam: reliquos ne fama quidem acceperunt.* Maximus ergo Deorum Sol erat, cujus cultus, in illa temporum caligine, donec Chriſtianæ doctri-

ctrinæ lux affulgeret, apud eos remanſit. Saxones, quum in Angliam veniſſent, à Rege Britonum de religione interrogati, reſpondent: *Si vero de religione quæritur, noveris nos, juxta morem paternum, Solem adorare.* v. Werner. Rolevincc. de ſitu & mor. Weſtphal. lib. I. cap. 6. Boji ſimiliter, qui in agrum Noricum tranſierant, eundem ſub nomine Beleni colebant. Tertullianus in Apologet. cap. 24. *Unicuique etiam provinciæ & civitati ſuus Deus eſt, ut Syriæ Atargatis, ut Arabiæ Duſares, ut Noricis Belenus.* Antiqui Codices non *Belenus*, ſed *Tibilenus* præferunt, quos ſequuti Fabritius origin. Saxon. lib. 1. & Hector Gothofredus Maſius in Schediasm. Hiſt. de Diis Obotritis, ſeu Idolis Mecklenburgenſ. cap. 2. §. 3. eum malum eſſe Dæmonem autumant, quem Slavi *Zeerneboch* appellabant, quique adhuc Tibileni nomine, *Dievel*, *Duvil*, *Teuffel.* Germanis vocatur. Sed Jac. Nicol. Loënſis, Miſcellan. Epiphillid. lib. V. cap. 15. Petrus Pithœus lib. I. Adverſ. cap. 4. & Pamelius, in notis ad Tertull. *Belenus*, vel *Dius Belenus*, vel *Belinus* legendum eſſe monuerunt. Pro quibus facit, quod ab Aquilejenſibus, in agro Carnorum vicinis, id nominis accepere Norici; illi vero Apollinem ſuum Belenum appellarunt. Vi-

de-

deſis Capitolin. in Maximinis cap. 22. Herodian. lib. 8. cap. 3. & Gruter. pag. 36. n. 12. ubi ex ſaxo veteri hæc adfertur inſcriptio:

APOLLINI
BELENO
C. AQVILEIENS
FELIX.

Numinis hujus originem Voſſius ab Hebræo *Beel*; Ludovicus Thomaſſinus ab ἥλιος, ſeu *ſole* derivat; Pithœus à βέλος, *ſagitta*, ſive radiis ſolaribus; Jac. Boulduccus a *Bel-Enos*, ſeu deo Enoſchi; Reineſius e Græco βέλις vel βέλιν; denique Seldenus et Bochartus a *Belo* deducunt; quorum ſententiam phyſiologice veram eſſe concedit Philippus à Turre, in monum. vet. Antii, Hiſtorice vero Belenum *Helenum* illum eſſe putat, qui Trojanis ducibus, capta urbe fugientibus, divino inſtinctu ad lætas uberrimaſque ſedes viam monſtravit. Ego autem putem, Belenum, ſive à Græcis, ſive a Gallis primum ita appellatum, nil aliud, quam Solem flavum, et auricomum, aut, quaſi a βέλα, ſplendorem Solis notare, eumque ceu *viarum præſidem*, ſub eo nomine, apud priſcos Venetos, Germanos, et, ut ſtatim dicemus, Gallos, cultum fuiſſe. Plura de Beleno, locali et adſcititio Germanorum deaſtro, congeſſit vir

vir multijugæ eruditionis, Thomas Reineſius ad Cl. 1. Inſcript. n. 51. cui addatur Fabrettus c. 4. Inſcript. pag. 325. ubi Eliæ Schedii hac in re errorem caſtigavit. Hæc de Sole.

Luna, ejus æmula, pari ſuperſtitione apud majores noſtros fuit celebrata: neque enim fas, nec conſuetudo iis erat, ante novam Lunam prœlio contendere, ut ſcribit Cæſar lib. I. de bell. Gall. c. 50. Immo non Germani ſolum, ſed populi omnes Boreales, Lunam magis, quam Solem venerati, & in ea, tanquam in πανθέῳ & totius virtutis cœleſtis receptaculo, reliqua numina complexi fuerunt. Hinc nox diem non ſubſequebatur, ſed ducebat; cumque aliis tres Soles ſint tres dies, illi per noctes computabant, more apud Anglos adhuc hodie uſitato, *ſenigt*, id eſt *ſeptem noctes;* feſtorumque ſolennitates, pariter ac Hebræi, a veſpera præcedente inchoabant. Atque hæc eſt Iſis illa, cui partem Suevorum ſacrificaſſe putat Tacitus de morib. Germ. cap. 9. *Pars Suevorum & Iſidi ſacrificat. Vnde cauſſa & origo peregrino ſacro, parum comperi; niſi quod ſignum ipſum in modum liburnæ figuratum, docet advectam religionem.* Iſis enim Luna erat, auctore Porphyrio apud Euſebium l. III. præparat. c. 11. & tanquam Dea navigationi

tioni præfecta, honorabatur. Non tamen cum Bocharto Geogr. ſacr. p. 2. lib. 1. c. 23. Germanorum originem ex Ægypto idcirco derivare auſim; quam Scythicam eſſe vix quiſquam nunc ambigit: neque in animum meum induco, Germanos indigenas Iſidis numen, cujus tam ſera Græcis & Romanis notitia, coluiſſe; quæ tamen de ea fabulantur, ad Lunam referre poſſumus: & quamvis inſigne fuerit diſcrimen, quod Germani idolum Lunæ viri ſpecie finxerint, & cum Hebræis maſculino genere dixerint, tamen Romani ex ſuo ingenio deaſtros effinxere, quorum aliquam cum ſuis ſimilitudinem deprehendebant. An apud Gallos Iſis fuerit cognita aut adorata, dubitat vir eruditus in Hiſtor. Acad. inſcript. t. 3. pag. 296. ſed poſt adventum Romanorum LUNAE ET ISIDI in inſcriptione Nemauſenſi votum ſolvitur, apud Graſſer. in antiq. Nemauſ. ejuſdemque cultum ſimiliter Germani recentiores, per manus aliorum accepiſſe videntur, quia in ſaxo apud Schedium ISIDI, et in alio apud Mabillon itin. Germ. ſub fin. ISI MYRIONIMAE vota ſolvuntur. Ut adeo quod de Iſide Apulejus ait lib. II. Mileſ. *cujus numen unicum, multiformi ſpecie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur orbis*, etiam in noſtris videamus.

Fran-

Franci vero non liburnæ ſigno, ſed bubuli capitis imagine Lunam efformarunt. Illuſtre ejus rei documentum præbet Childerici I. Francorum regis theſaurus ſepulchralis, quem Tornaci Nerviorum A. 1653. effoſſum, libro commentario illuſtravit Joh. Jacobus Chifletius, cui titulus *Anaſtaſis Childerici*. Repertum enim inter alias reliquias ſepulchrales exhibet bubulum caput, ex auro obryzo totum, Solis imagine in fronte notatum, adjectis aureis apibus, pluſquam trecentis. Nemo ibit inficias hunc vel eſſe Ægyptiorum Deum illum, qui à fanaticis Iſraëlitis ac Ægyptiaca religione imbutis, tanquam Deus vialis, colebatur, vel Iſidem, ceu Lunam, quæ apud Plutarchum κερασφόρος appellatur, ob cornuum emblema. Ælianus lib. X. de animal. cap. 27. *Iſim bubulis cornibus Ægyptii & fingunt & pingunt.* Porphyrius lib. de carn. abſtinent. *Ægyptios Lunæ Apim conſecraſſe, Solis & Lunæ ſigna geſtantem.* Bovi ſunt apes additæ, quia has in totum amiſſas ventribus bubulis recentibus reparari poſſe, præter Virgilium & Plinium, tradit Ovidius lib. XV. Metam. vſ. 364.

I quoque delectos, mactatos obrue tauros,
(Cognita res viſu) de putri viſcere paſſim
Florilegæ naſcuntur apes.

Nec

Nec dubium eſt, quin apes Lunæ ſint conſecratæ. Ex omni enim volatilium & inſectorum genere ſolæ hæ Dianæ Epheſinæ erant adſcriptæ, & ternæ utrinque, latera Deæ muniebant, tanquam *duces* deductæ Epheſum coloniæ, ut tradit Philoſtratus lib. II. Icon. n. 8. Id quod, à Bellorio, in notis ad Numiſmata Epheſiorum apibus inſignita, præteritum, monuit ὁ πάνυ ad Callim. p. 86. Addo Porphyrium de Antro Nympharum p. m. 262. *Lunam Apim vocabant: quam & alio nomine Taurum dixerunt. Et exaltatio Lunæ eſt Taurus: Bovigenæ autem apes ſunt.* Idolum igitur hoc *populorum omnium numen*, ut ait Mela lib. I. cap. 9. in ſacra ſua adſcivit Childericus, tanquam bellicarum expeditionum comitem, ducem et *Larem Vialem.* Pulchre Chifletius, in Anaſtaſi, monſtravit, eum fanaticum adoraſſe idola, ac avium beſtiarumque finxiſſe formas; rectius priſci Germani arbitrabantur, Deos in humani vel bruti oris ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine cœleſtium non eſſe. Rorico lib. I. de Meroveo Rege: *Hic genuit Childericum, patrem Clodovei Regis excellentiſſimi. Erant autem Franci tunc fanatici, adorantes idola, & non agnoſcebant Regem cœli, qui creavit omnia.* Liquet itaque ex his ſatis, non priſcos tantum Germanos,

ſed

ſed & recentiores, Solem & Lunam pro Diis Vialibus habuiſſe.

Ad Lunam referenda videtur dea Zelandorum Nehalennia, cujus ſtatuas, aras, aliaque monumenta, A. 1647. Domburgi reperta, Boxhornius & Keiſlerus illuſtrarunt. Imagines deæ Olivarius Vreedius, in Addit. ad prodromum II. Hiſtoriæ Comitum Flandriæ, & Montſauconius tom. II. Antiq. pag. 444. dederunt. Neque enim illis aſſentimur, qui vocis originem ab Hebræo *nahal*, vel a Syro *Nehalin*, vel a Græco νέα ἑλήνη, vel a Belgico *neelke*, vel a *nehis*, aquaticis Nymphis Celtarum, vel denique a *neu* novus, & *hen* vetus, cum Pezron. Antiq. Celt. pag. 341. & 355. repetunt, poſtquam Menſo Altingius, majori veritatis ſpecie, a Germanico *nie hel*, quod novum lumen indicat, nomen Divæ deſcendere conjecit, in Notit. inf. Germ. p.I pag. 101. cujus ſententiam Cl. Gundlingius p. XXV. Obſ. 3. ex Cæſare lib. I. c. 50. & Tacito de M. G. cap. XI. firmavit, ubi: *coëunt certis diebus, cum aut inchoatur Luna, aut impletur*. Addo Plinium lib. XVI. c. ult. qui Gallis ſextam Lunam principia menſium & annorum feciſſe, teſtatur. Fuiſſe autem deam hanc vialem, ex eo liquet, quod reduces in portum, vota in itinere ſuſcepta, ei ſolvebant; id quod vel una in-

F ſcriptio

ſcriptio docet, apud Vreedium, Sponium, Reineſium alioſquo memorata, quamque doctiſſimus Keiſlerus de dea Nehalennia §. 18. & 45. 46. 47. pluribus illuſtravit:

DEAE NEHALENNIAE
OB MERCES RECTE CONSER-
VATAS SECVND. SILVANVS
NEGOTTOR CRETARIVS
BRITANNICIANVS
V. S. T. M.

Quamvis autem Nehalennia numen Zelandorum ἐπιχώριον fuerit, alibi tamen non prorſus ignota fuiſſe videtur: nam & Nemauſi deam cum iiſdem ſymbolis obſervarunt Galli eruditi, & DEA NEHA, apud Gruter. p. 89. n. 1. non alia eſſe videtur. Lapis ille repertus eſt in oppido Deuſonis, *Duits*, à quo *Hercules Deuſonienſis* in nummis Poſtumi, apud Smetium, nomen accepit, quia eodem in caſtello, ſicut alibi Hercules *Ogmius*, *Maguſanus* & *Ilunus* in Gallia colebantur, extra municipium ſuum, apud alias nationes non honorati; vid. Montfaucon t. 2. Antiq. p. 251. et Auctor libri de la religion des Gaulois lib. II. c. 10. et 11. ubi Lucianum erroris accuſat, et lib. IV. c. 17. 18. In Haſſia, haud procul Geiſmaria, altiſſima quercus Jovi ſacra, a peregrinantibus colebatur, ex Druidum inſtituto, quibus, ut Plinius ſcribit lib. XVI.

c. 44.

c. 44. *robore nihil fuit ſacratius*; Lucanus *robora ſacra*, & Claudianus *robora numinis inſtar* cecinerunt. Quercus in tutela Jovis eſt, eique ſacra & fatidica, ait Servius ad Ecl. I. vſ. 17. & III. vſ. 13. Quomodo arborem illam Bonifacius deſtruxerit, aliaque ad quercus cultum pertinentia Nobiliſſ. Schminckius, in erudita diſſertatione, de cultu religioſæ arboris Jovis, explicavit. *Lucos ac nemora conſecrant, deorumque nominibus appellant ſecretum illud, quod ſola reverentia videtur*, ait Tacit. de M. G. c. 9. ubi de Tanfanæ, campeſtris deæ templo, erudite diſſeruit Clariſſ. Ditmarus, in notis: ſed an numen illud mere Germanicum ſit dubito, propter inſcriptionem Gudii p. 55. n. 11.

TAMFANAE SACRVM
DECVRIONES INTERAMN
QVINQVENN SIG. D. D.

Quid autem eſt, quod Tacitus ait de Moribus Germ. cap. IX. *Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hoſtiis litare fas habent.* Num forte falſus eſt Cæſar, qui Solem & Lunam ſolos eſſe Germanorum Deos exiſtimavit? an vero Cæſaris tempeſtate Mercurius nondum erat cognitus, qui poſtea per hoſpites demum innotuit? Ita conjectant Lipſius ac Salinerius, & facere pro his videtur ipſe

Cæſar, lib. VI. de bello Gallico cap. 16. ubi vicinis Gallis Mercurium ſummum quoque Deorum ac *Viacum* fuiſſe, ſcribit. Verba ejus ſunt iſta: *Deum maxime Mercurium colunt. Hujus ſunt plurima ſimulacra: hunc omnium inventorem artium ferunt; hunc VIARUM ATQUE ITINERUM DUCEM, hunc ad quæſtus pecuniæ mercaturaſque habere vim maximam arbitrantur.* At quis credat, Mercurii planetam majori & Germanos & Gallos in veneratione habuiſſe, quam Solem & Lunam? Hos certe ſiderum principes maximo cultu ſunt venerati: at quia eos diverſimode expreſſerunt, ideo diverſis quoque Deorum ſuorum nominibus, eos appellarunt ſcriptores Romani; parum tamen appoſite! cum ſatius fuerat barbaras appellationes retinuiſſe, ut Voſſius monuit lib. I. de orig. & progr. idolol. cap. 37. Suis enim nominibus Deos Deaſque ſuas vocabant Germani, *Sunna*, *Mana*, *Tuiſto*, *Wodan*, *Thorons*, & *Freya*, nec eadem Galli, quæ Græci & Romani, colebant numina: nam Mercurius apud Lucian. in Jove Tragœdo negat, a Diis Gallorum ſe poſſe intelligi, nec ſe ipſum eos intelligere poſſe. Quemadmodum vero Romani, Galliam occupantes, *Taranim* Jovem tonantem, *Eſum* Martem, & *Teutatem* Mercurium, licet tales

tales non eſſent, interpretabantur; ita apud Germanos veteres, qui diſtincta deorum ſigna non habebant, nec eos in ullam humani oris ſimilitudinem adſimilabant, Tacitus, ex cultus ſimilitudine vel muneris paritate, eoſdem fecit Deos, quos Quirites in patria colebant. Aliter Warnefridus de geſt. Langob. lib. I. c. 10. *Wodan*, ait, *quem adjecta litera Govodan* (*a Woden*, ferocire, quia Martis Deus) *dixerunt ipſe eſt, qui apud Romanos Mercurius dicitur, & ab univerſis Germaniæ Gentibus ut deus adoratur.* Ipſe Tacitus de M. G. cap. 43. *Deos*, inquit, *interpretatione Romana, Caſtorem & Pollucem memorant.* hoc eſt, Deos quoſdam, quos Romani eoſdem eſſe, ac Caſtorem & Pollucem judicant. Neque aliter accipiendum eſt, quod idem Tacitus de M. G. c. 3. ait: *Herculem primum omnium virorum fortium ituri in prælia canunt.* Quamvis enim *ſilva Herculi ſacra* ad Viſurgim, ab eodem memoretur lib. II. Annal. c. 12. & Herculis Maguſani, Deuſonienſis & Alemannici alii mentionem fecerint, illa tamen appellatio a Romanis eſt profecta, Germani nullum Herculem Tyrium, Ægyptium, vel Thebanum deum vialem novere. Vid. Cl. Clericus Art. crit. p. 11. ſ. 1. c. 13. n. 11.

Similiter Cæſar, cum numen aliquod

ἡγεμόνιον, bonum fauſtumque iter præſtans, à Gallis coli videret, facili lapſu ex ritu gentis ſuæ Mercurium eſt interpretatus; quod tamen ex mente Gallorum Sol erat, & ſub Beleni nomine in Aremorica provincia Galliæ celebrabatur. Id enim non modo conſtat ex Gregorio Turonenſe de glor. conf. c. 5. ubi montis Belenatenſis, a Beleni templo dicti, meminit, ſed etiam ex inſcriptione apud Simeoni, in deſcript. Avern. pag. 113.

ALLIA. T. LA
BIENI UXOR.
BELLINO D. D.

Auſonius præterea, de Profeſſoribus Burdigalenſibus carm. 4. *Beleni ſacratum ducis è templo genus.* & carm. 10. *Qui Beleni æditus.* Atque hic fortaſſis eſt Apollo, quem à Gallis cultum idem Cæſar tradit lib. VI. c. 17. Ipſi vero illum, qui viis præerat, patria lingua, Teutatem appellabant, eique humanis litabant hoſtiis. Lucanus lib. 1. verſ. 444.

Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Teutates.

Lactantius lib. I. c. 21. *Galli Heſum, atque Teutatem humano cruore placabant.* Hic autem nomen traxiſſe quibuſdam videtur à *Theut*, vel *Thait*, quod Aremorica lingua & Britannica veteri, quarum utra-

que

que a Gallica manavit, viam ſignificat: ita ut Teutates idem ſonet, ac *Deus viæ*, ſive ἐνόδιος, auctore Cambdeno in Britann. pag. 13. & Huetio dem. Evang. prop. IV. c. 7. §. 3. Mihi vero magis placet eum derivare, a *Teut*, terra, ditio, populus, & *Tata* pater, ut notet populi patrem: ſicut *mammas atque tatas* habes apud Martialem, id eſt matres atque patres, lib. 1. Epigr. 101. Cæſar vero, cum ſciret, Thoth Ægyptiorum apud Græcos Mercurium eſſe, Teutatem quoque Gallorum Mercurium eſt interpretatus; qui tamen nihil habet quo conjungatur cum Ægyptio illo literarum repertore, ſive cum Phœnicum *Taauto*, præter ſolam vocis ſimilitudinem, quæ in ſignificationibus diverſiſſimis apud alias aliaſque gentes non poteſt non exiſtere, ut Grotius recte monuit in proleg. ad Hiſt. Goth. pag. 21. Cicero lib. III. de Nat. Deor. c. 22. *Mercurium Ægyptii Thoth appellant.* Philo Byblius, apud Euſeb. præparat. Evangel. lib. I. cap. 9. *Ægyptii Thoyth vocarunt, Alexandrini Thoth, Græci Hermen, hoc eſt, Mercurium interpretati.* Servius in IV. Æneid. vſ. 577. *Mercurius in Ægypto inveniſſe primum diſciplinam literarum & numerum dicitur, qui lingua Ægyptiorum Thoth appellatur.* Tertullianus etiam Apologet. c. 9. Teu-

tatem Mercurium interpretatur, & Minucius in Octavio c. 30. *Mercurio Gallos humanas inhumanos hoſtias cædere.* Non ſoli vero Galli, ſed etiam Germani, & inter hos *Franci, Heruli & Saxones Deos ſuos humana credebant cæde mulceri*, teſte Ennodio in vita S. Antonii; nec tamen perpetuo, ſed tunc maxime, quando ex bello, peſtilentia, aut frugum inopia, publicæ metuerentur calamitates, cariſſimorum aliquis, publicis ſuffragiis, ad placandam deorum iram, delectus mactabatur, Tacit. I. Annal. c. 61. more antiquiſſimo, forſan ex Abrahami hiſtoria profecto, & Cananæis, Pœnis, ipſiſque Romanis uſitato. Scriptor Sapientiæ eos τέκνων φονέας ἀνελεήμονας, *immiſericordes liberorum interfectores* appellavit cap. XII. vſ. 5.

Quemadmodum vero Galli, apud Cæſarem lib. VI c. 17. ſe omnes a Dite patre prognatos prædicabant, ita Tuiſto, pronunciatione tantum a Dite diverſus, Germanorum conditor & Deus Vialis laudatur à Tacito de morib. Germ. cap. 2. *Celebrant carminibus antiquis Tuiſtonem Deum, terra editum, & filium Mannum, originem gentis conditoreſque.* Forſan autem Tacitus carmina Germanorum male interpretatur: nam Teuto, Teutates, vel Tuiſto fuit nomen Herois, qui Celtas, quorum principes erant Germani, ex Scythia edu-

eduxit, eodemque fato, quo alii colonia-rum ductores, ob beneficia, pro deo habitus eſt. Ita Velſer. lib. III. Rer. Boic. Brunner. lib. IV. Ann. Boic. & Leibnit. t. 1. Miſc. Berolin. Cl. Gundlingius vero p. VIII. Obſ. 1. Tuiſtonem gigantem fuiſſe, ait, atque ideo terra editum vocari: *nam & vulgus terræ filios vocat, quorum genus incertum*, ait Tertullian. Apol. c. 10. Sed magis putem, hic latere veſtigia confuſa creati ex terra Adami, & Noachi, ejuſque trium filiorum: nam idem Tacitus de M. G. c. 39. de Semnonibus: *per humum evolvuntur, eoque omnis ſuperſtitio reſpicit, tanquam inde initia gentis.* & cap. ſeq. de Suevis: *In commune Herthum, id eſt terram matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur.* Terram ergo coluerunt, tanquam principium univerſi, & initium gentis ſuæ, terrigenæque ducis; a terra quoque, (olim *tud*, *thiod*, *diet*,) Teudiſci, ipſeque Tuiſto nomen tulerunt. De cultu terræ apud Aſiaticos & Septentrionales Grot. ad Judic. II. vſ. 13. Olaus Rudbeek Atlant. part. 11. c. 6. & Worm. lib. 1. mon. Dan. c. 5. conferantur. Græcis quoque & Romanis Tellus MATER DEVM SVMMA PARENS, vocatur, in lapide apud Reineſ. epiſt. 69. pag. 630. *Alma parens* Virgilio; *hominum Divûmque æterna creatrix*

trix Statio dicitur, & Plin. lib. II. cap. 65. *Terræ, uni naturæ, eximia propter merita in naſcentes, natos, ſemel editos, & jam a reliqua natura abdicatos, nomen indidimus maternæ venerationis.*

Abunde ex his apparet, quam accurate Tacitus dicto cap. 9. primum Germanorum Deum, Romana lingua Mercurium appellarit, qui Deorum miniſter tantum fuit & MENESTRATOR appellatur apud Spon. Miſc. ſ. III. pag. 91. Liquet etiam, quam inepte Gobelinus, Fabritius & Turckius in faſtis Carolinis, *Irminſul*, vel *Hermenſul*, Saxonicæ gentis vetus idolum, ab *Hermin* & *Suyle*, quaſi *Mercurii columna* deducant; cum potius *Harminio*, id eſt Hermanno, vel Irmino Cheruſcorum duci, ac Germaniæ liberatori, Romanis bellis exercito, dedicata videatur: nam Regino lib. II. ad A. 772. eam *Hermenſaul* appellavit. Deinde, ut ineptias compoſitionis ex voce Græca & Teutonica prætercam, apparatus idoli, prout a Munſtero in Coſmogr. l. III. c. 433. minus tamen recte, & velut ex recente Heraldorum officina, eſt deſcriptus, nihil habet ad Mercurium ſpectans, Martem ſonant omnia; ideoque Spelmannus in Gloſſ. Martis columnam tutelarem interpretatur. Poſſet quoque dici, eam *Hermioni*, ſi modo Tacitus eum recte

Man-

Manni filium facit, poſitam eſſe, ſecundum Aventini ſententiam lib. I. c. 6. & IV. c. 2. Annal. Bojor. quam Ill. Leibnitius calculo ſuo probavit, in notis ad Taciti Germaniam, tomo I. Scriptor. rer. Brunſ. pag. 9. Columna illa olim Eresburgi, quod nunc Stadtberga dicitur, conſpicua fuit, deinde a Carolo dejecta & Corbejæ defoſſa, ſub Ludovico Pio autem eruta, et Hildeſiam tranſlata eſt, ubi, in memoriam ſublatæ ſuperſtitionis, feſtum anniverſarium celebratur. v. Meibom. et Waſſerbach. de Irmenſula, juncto Calvœrio Sax. inf. fol. 43.

Nullus ergo proprius Mercurius, Germanorum et Gallorum Deus vialis, antiquis iſtis temporibus reperitur. Si quis vero, poſt crebra illa cum Romanis bella, commercia et colonias deductas, Mercurium, Herculem ceteroſque Deos ſenſim admixtos, et tam ante Cæſarem, quam poſt Galliam ſubactam, civitate donatos eſſe, cum Montfauconio tom. II. p. 2. antiq. pag. 414. contendat, ei non admodum refragabor. Julius ſane Cæſar Mercurio aram in Gallia erexit, quæ demum à D. Materno everſa fuit. Plinius lib. XXXIV. c. 7. ſcribit, Zenodorum, Mercurio facto in civitate Galliæ Arvernis, per annos decem, H. S. CCCC. manipretio, poſtquam ſatis ibi artem probaverat, a Nerone Romam accitum

tum eſſe. Ulpianus Martem in Gallia, a civibus Romanis, heredem inſtitui conceſſum ait, tit. XXII. §. 6. nec mirum! Nam Tencterorum legati apud Tacit. lib. IV. Hiſt. c. 64. *præcipuum inter communes deos Martem* celebrant; et Pomponius, Atellanarum poëta, huic, à Gallis Tranſalpinis, votum pro reditu factum, memoravit, apud Gellium lib. XVI. c. 6.

Mars tibi voveo facturum, ſi umquam redierit, bidenti verre.

Tres Dii viales Hercules, Mercurius, Caſtor et Pollux cum equis, in antiqua inſcriptione, Viennæ Allobrogum reperta, memorantur apud Joh. Poldum in antiquitat. Nemauſ. pag. 53. ſed pro *carpuſculis* Caſaubonus et Salmaſius in ea malunt *carpiſculis*, ad Vopiſci Aurelianum c. 30. ubi: *Carpiſculum genus calciamenti eſſe, ſatis notum eſt.* In Germania quoque Mercurii cultum oſtendit, ſtatua ejus Niwenheimii in Palatinatu, et ara Rorbachii Mercurio Timonia vittvo inſcripta, auctore Frehero p. II. Orig. Palat. p. 186. Chaucos item, Germaniæ populos, in honorem Mercurii, Viarum præſidis, lapidum acervos congeſſiſſe, Schildius auctor eſt de Chaucis II. 3. *Videre eſt*, ait, *eximiæ celſitudinis tumulos Bremam inter & Præſulis arce nobilem Fordum, è lapidibus accumulatos, & quidem*

dem ἐνοδίους, *hoc eſt in ipſo propemodum militarium margine viarum. Tum & ii, quibus iter iſthac faciundum eſt, ut ſolent ſæpe tædia viarum non fabulis modo diſpungi commeantium, ſed & repetitis è domeſtica antiquitate ludicris levari, ſuum quiſque colliculis iſtis lapidem adjiciunt, & indies è magnis faciunt majores.*

Cum Romanis & Saxonibus Mercurii iſte cultus migravit in Britanniam. Teſtis Cambdenus, vir doctiſſimus, in tractatu *Germani in Britannia* ſcribens: *Ejus*, Mercurii, *ſtatuæ quadratæ, Hermæ dictæ, olim ubique per vias diſpoſitæ fuerunt.* Et huc referrem lapides illos ingentes, in planitie Sarisburienſi congeſtos, vulgo *Stone-heng* dictos, de quibus Idem de Stoneheng. Britan. p. m. 102. Du Frene quoque *Erminſtreat*, unam e quatuor Angliæ viis militaribus, a Mercurio, *Irmen*, quod viis præeſſe crederetur, dictam eſſe putat, ſed Spelmannus *Ermundſtraet*, quaſi viam Martis immunem, ex L. L. Eduard. confeſſ. c. 12. interpretatur.

Celtæ cum moribus ſuis ac religione Mercurii Viales tumulos intulerunt in Hiſpaniam; ibi enim prope Carthaginem novam, *egreſſus Scipio in tumulum, quem Mercurii* (alii *Mercurium Teutatem*) *vocant, animadvertit, multis partibus nudata defenſori-*

ſoribus mœnia eſſe, ſcribit Livius lib. XXVI. cap. 44. Similiter promontorium Africæ, quod vulgo nunc *Cap de bon* vocant, *Mercurii promontorium* a Plinio, *Hermæum* a Ptolomæo, & *pagus Mercurialis* vocatur, in inſcriptione Tunetana, apud Sponium *Miſcell. erud. antiq. pag.* 191. Accitani quoque, Hiſpaniæ populus, ſimulacrum Martis, radiis ornatum, magna religione colebant, *Neton* vocantes, auctore Macrob. lib. I. *Saturn.* c. 19. Et cui denique ignotus eſt *Hercules Gaditanus?* ab Ulpiano inter deos illos relatus, qui jure liberorum a Senatu, vel a Principe accepto, heredes inſtitui poterant tit. XXII. *§. 6.* Fanum ejus apud columnas a Phœnicibus conditum eſſe, Appianus de Bell. Hiſp. pag. 256. hoc argumento probat, quod ad ſuam uſque ætatem Tyrius in eo Hercules, Phœnicio ritu colatur. Mela lib. III. cap. 6. *Templum Ægyptii Herculis, conditoribus, religione, vetuſtate, opibus illuſtre Tyrii condidere.* Adde Strabon. lib. III. & XVI. Plin. lib. II. Hiſt. Nat. c. 97. Dani præterea, ac ceteræ gentes, a Germanis oriundæ, Mercurium coluerunt. vid. Olai Wormii monum. Dan. lib. I. cap. 4. Sueonas, aliosque ad Septentrionem vergentes, Deos ac genios quoſdam marinos coluiſſe, poſt Tacitum de M. G. in fin. auctor eſt Procop.

cop. lib. II. rer. Goth. c. 15. Neptunus ipſis *Neckar*, *Neccim*, *Neccus*, *Nocca* vocabatur, Wormius d. l. & Loccen. Antiq. Sueo Goth. p. 17. Slavorum dii præcipui fuerunt Suantevitus & Radegaſtus; ab utroque bellorum et pacis arbitro itinerum et bellorum auſpicia ſumebant; Ritum, quo prior conſuleretur, deſcripſit Saxo Grammaticus lib. XII. Hiſt. Dan. c. 2. De poſteriore Ditmarus lib. VI. Chron. Merſeb. p. 136. *Hunc ad bella properantes ſalutant, illum proſpere redeuntes muneribus debitis honorant.* Vid. Ill. Ludewigium de Idolis Slavor. t. 2. Opuſc. p. 525. et 530.

Verbum adjiciemus de Indis, Turcis, Arabibus et Ruſſis, qui itidem Deos ſuos viales maxima cum ſuperſtitione ſemper coluerunt, et nunc venerantur. Refert Hugo Lindſchottanus itin. Ind. p. m. 69. quoſdam Indiæ populos, ad omnes montes, petras et ſpeluncas Idola ſua exciſa habere, juxta et lintrem aqua refertum; ubi viatores tranſeuntes ablutis pedibus Deaſtro ſupplicare, et nonnunquam ſacrificii aliquid offerre conſueverunt. Hæc autem ſigna Soli et Lunæ eſſe conſecrata, neminem latere arbitror; ſiquidem ab antiquo loca ſacra ἐπ' ὀνόματι τιμῶσιν ἡλίȣ καὶ σελήνης, aït Photius apud Cteſiam in Indicorum opere. Clemens Alexandrinus in Protrept. καὶ προσε-

σε-

σεκύνησαν ἥλιόν ὡς Ἰνδοὶ, καὶ σελήνην ὡς Φρύγες. *Et adorarunt Solem, ut Indi; & Lunam, ut Phryges.* Adde Philoſtratum de vita Apollonii lib. III. cap. 33.

Ad Turcas Lunæ cultus per Arabes & Saracenos venit, cujus corniculatæ effigies, velut ſacrum quoddam inſigne in templis, turribus, & forte viis, conſpicitur. Apud hos vero lapides jaciendi conſuetudo, in honorem Veneris, ſive Lunæ, obtinet ex priſco ritu, quem eleganter deſcripſit homo Chriſtianus, verbis Arabicis, quæ Latine reddita legere eſt apud Vincentium Bellovacenſem lib. IV. Speculi Hiſtor. & ſunt hujusmodi: *Duarum Indiæ gentium, quæ vocantur Zechiam & Albarachuma, antiqua conſuetudo fuit, nudos & decalvatos, magniſque ululatibus perſonantes, ſimulacra dæmonum circumire, angulos quoque oſculari, & projicere lapides in acervum, qui quaſi pro honore diis exſtruebatur. Inde eſt, quod in libro Salomonis dicitur: qui projicit lapidem in honorem Mercurii. Faciebant autem hoc bis in anno; Sole ſcilicet exiſtente in primo gradu Arietis, & rurſum, cum eſſet in primo gradu Libræ: hoc eſt, initio Veris & Autumni.* Denique in confinibus Lithuanorum ac Moſcovitarum Zlotababa ſtatua certis munuſculis à viatoribus eſt plaçanda, ſi quam ve-

velint ſuſcepti itineris ſecuritatem. Olaus Magnus de ritibus gent. Septentrion. lib. III. c. 1. in fin.

CAPUT VI.

De Jove, Græcorum et Romanorum summo viarum præside.

Athenæ & Roma urbes religioſiſſimæ, & omnium deorum cultrices. Monſtra Ægyptiorum Romæ publice adorata, eorumque ſymbola ibi recepta. Sed Juppiter princeps Deus peregrinantium, & terra, & mari: inde Servator, Hoſpitalis, Redux & Tempeſtatium potens audit. Marmora antiqua, Horatius & l. 25. §. 6. D. locati illuſtrantur. Bruta deorum vialium ſymbola; hinc taurus in navis prora Jovis index. Ab avibus auſpicia itinerum capta. Columbæ, cygni, accipitres & corvi a diis miſſi, viarum duces. Aquila, Jovis ales, dux viæ & inſigne principatus Romani. Proprium hoc legionum numen a Perſis deſumtum. Aquilarum militarium religio & cultus. Vulgata lectio legis. 7. §. fin. D. ad l. Jul. maj. vindicata. Serpentes, lupi & arietes viarum duces.

Satis, opinor, evicimus pleraſque gentes, & veteres & recentiores, Deos ſuos viales ad Solem, Deas vero ad Lunam retuliſſe. Nunc ad Græcos & Romanos propius accedamus, qui iiſdem tenebris immerſi, vix alios, quam qui in oculos incurrerent, ſidereos deos cognovere. Inter Græcos religione eminebant Athenienſes, quorum urbem Ariſtophanes in Equit vſ. 579. ἱερωτάτην, *ſanctiſſimam*, Æſchylus Eumen. vſ. 872. θεοφιλεςάτην *Deo acceptiſſimam*, Sophocles Oed. Col. vſ 264. θεοσεβεςάτην *pientiſſimam* appellarunt: gravi ratione, quod cives ejus *in Deorum cultu erant religioſiſſimi*, Iſocrates in Panegyrico; & *majorem pietatis rationem habebant erga Deos*, Pauſan. Attic. c. 3. Inter propria enim illius Reip. inſtituta fuit omnibus numinibus hoſpitium præbere publicum, & θεὺς ξένυς colere quam plurimos. Heſychius Θεοὶ ξενικοὶ, παρὰ Αθηναίοις τιμῶνται, ὓς καταλέγει Απολλοφάνης ἐν Κρησίν. Adeo ut aram θεῷ ἀγνώςῳ erexerint, ne quis deorum incultus maneret Act. XVII. vſ. 22. ubi Paulus, in medio Areopago, *Viri Athenienſes*, ait, *conſpicio vos quaſi religioſiores; inveni enim aram, cui inſcriptum erat* IGNOTO DEO. Similiter Roma ſingulari quodam Deorum cultu paſſim commen-

mendatur, & *numinum cunctorum cultrix* vocatur apud Arnob. lib. VI. pag. 195. Minucius in Octavio: *Dum undique hoſpites Deos quærunt, & ſuos faciunt, dum aras exſtruunt, etiam ignotis Numinibus & Manibus, ſic, dum univerſarum gentium ſacra ſuſcipiunt, etiam regna meruerunt.*

Ipſa Ægyptia ſacra, quibus ſtultiora nulla ſunt, quæque *omnigenum Deûm monſtra* Virgilius appellavit, lib. VIII. Æneid. vſ. 698. ſenſim non modo licita, ſed & publice recepta fuerunt, uti ex Varronis aliquot locis Colerus ad Valer. Max. lib. 1. c. 3. ex Minucio Ampl. Bynkershoekius probavit, de relig. peregr. diſſert. 2. Inde tam multa Iſidis, & Oſiridis, ejus mariti, & Serapidis templa, in variis urbis regionibus, multique ejus cultores, apud Juvenal. Sat. VI. vſ. 529. & IX. vſ. 22. Sueton. Domit. c. 1. Othon. c. 12. Lamprid. Comm. c. 9. Spartian. Carac. c. 9. Gruter. pag. 22. 32. 85. n. 2. 3. 4. 8. & Fabrett. Inſcript. pag. 488. memorantur. Hinc etiam Romæ, pariter ac Athenis, eadem rurſus, aut certe iis, quæ apud tot gentes ſupra vidimus, non diſſimilia Deorum vialium ſymbola deprehendere licet. Lunæ quippe, non ſecus, quam Iſidi apud Ægyptios, boum cornua ſacrata fuerunt, in veſtibulo

templi Dianæ montis Aventini: id quod ex vetuſtiſſimo ritu per manus tradito, non caſu, ut Plutarchus cenſet, factum eſſe, opinor. Livius lib. I. cap. 45. *Fixa per multas ætates cornua in veſtibulo templi Dianæ, monumentum ei fuere miraculo.* Apium ſub forma Muſas duxiſſe coloniam ſcribit Philoſtratus Iconum lib. II. 8. Ἀθηναῖοι τὴν Ἰωνίαν ὅτε ἀπῴκιζον, Μοῦσαι ἡγοῦντο τοῦ ναυτικοῦ, ἐν εἴδει μελιττῶν. *Cum Athenienſes Ionicas colonias deducerent, Muſæ claſſis duces fuere, ſub apum forma.*

Ut autem via quadam & ordine, in tanto Deorum vialium numero, noſtra procedat tractatio, primum in memoriam revocanda eſt varia Deorum diviſio, ex Tertulliano lib. II. ad nationes c. 11. in majores & minores; veteres & novitios; mares & feminas; cives & peregrinos; nominatos & innominatos. Dii majorum gentium pro iiſdem haberi poſſunt apud Græcos & Romanos, quia deorum cultus Romæ ex Græcorum ritibus maxime eſt inſtitutus. Inter hos vero primum locum tenet Juppiter, quaſi *Jovis*, Deorum atque hominum *Pater*, ab Hebræorum *Jehovah*, dictus, ut nonnulli voluerunt. Hinc OPTIMVS MAXIMVS CAELVS AETERNVS IVPPITER apud Grut. p. 4. n. 12. & SVMMVS, EXSVPERANTISSIMVS, θεὸς ὕψιστος, in

in inſcriptionibus apud Sponium pag. 71. 72. 345. vocatur. A Jove ergo principium Muſæ! Athenienſes ἱερὸν τοῦ Διὸς τοῦ Σωτῆρος, *ædem Jovis Servatoris* habuerunt, auctore Strabone lib. IX. pag. 396. Romæ quoque IVPPITER OPT. MAX. CONSERVATOR crebro occurrit, apud Gruter. p. 18. & in argenteis Philippi & Maximiani nummis: eique templum omnium magnificentiſſimum, in monte Tarpejo, fuit dedicatum, in quo Imperatores, ad bellum ituri ſacra faciebant, & vota nuncupabant, Liv. lib. XLII. c. 49. victores quoque reverſi, triumphali pompa, ad vota ſolvenda, eo deducebantur Virgil. lib. VI. Æn. vſ. 837. Idem quoque peregrinantium præſes jura hoſpitibus dediſſe creditur: hinc Ξένιος Ζεὺς apud Homerum Odyſſ. ξ. vſ. 55. & 283. & *Juppiter hoſpitalis* apud Plinium vocatur lib. 37. H. N. c. 5. Virgil. I. Æneid. vſ. 735.

> *Juppiter; hoſpitibus nam te dare jura loquuntur.*

Eidem tonanti Jovi Auguſtus ædem conſecravit, liberatus periculo, cum expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgur præſtrinxiſſet, Sueton. lib. II. c. 29. Idem quoque PEREGRINVS, SALVATOR & SERENATOR dicitur in marmoribus literatis apud Gruter. p. 18. 19. ſeqq. et Gudium pag. 4. 7. 8. 21. 23. Juppiter

CVSTOS a Petro Bellorio p. 2. n. 1. et Leon. Auguſtino p. 1. n. 106. notatus eſt. Alibi I. O. M. ET FORTVNAE REDVCI PRO SALVTE ITV ET REDITV votum ſolvitur, Grut. 8. n. 2. PRO REDITV IMP. CAESARIS, JOVI OPTIMO MAXIMO ludi votivi facti, Grut. XI. n. 1. Rurſus PRAESTITI IOVI PROFICISCENS aram ponit Grut. 22. n. 1. Pro ſalute et reditu caeſaris, templum IOVIS REDUCIS exornatur, Grut. 22. n. 3. I. O. M. PEREGRIN. RED. eſt apud Gudium 7. n. 4. ubi Juppiter redux, eſt qui reducit, ut apud Ovid. Ep. 13. vſ. 50.

Et ſua det reduci vir meus arma Jovi.

Neque tantum qui terra proficiſcebantur, ſed etiam qui fluminibus aut mari iter inſtituebant in tutelam Jovis, Optimi patris, quem Æſchylus apud Pauſan. lib. II. c. 24. *maris regem* vocat, ſeſe commendabant. Indicat hoc monumentum antiquitatis pulcherrimum, in choro Eccleſiæ Cathedralis Pariſienſis A. 1711. inventum, quod Baudelotii, Malturii, Leibnitii & Eccardi ingenia exercuit. In primo ejus lapide hæc occurrit inſcriptio, apud Anonymum de la religion des Gaulois, t. 2. cap. 11.

TIB. CAESARE
AUG. JOVI. OPTUM.
MAXUMO. M.
NAVTAE. PARISIACI.
PVBLICE. POSIERVNT.

Apud

Apud Sponium Sect 3. p. 76. legio tertia Auguſta JOVI. O. M. TEMPESTATIUM DIVINARUM POTENTI votum ſolvit: Juppiter enim æther eſt, et poſſidet tempeſtates, ita ut eas vel immittere, aut verſis aquilonibus ſerenitatem præſtare poſſit. Iſthæc eſt vis *major* et *divina*, quam Græci θεῦ βίαν *l.* 25. *§.* 6. *D. locati*; Ovidius *iram Jovis*, Capella *vim ſacram Jovis* appellavit. Sponius recte infrequens hoc Jovis epitheton vocat; ſed eodem loquendi genere utitur Horat. Epod. 18. vſ. 1. *Sylvarumque potens Diana.* Idem l. 1. Od. 3. vſ. 1. *Sic te diva potens Cypri*, id eſt quæ poteſtatem habes in Cyprum, et Od. 5 *potenti maris deo.* Multa id genus alia Græcorum et Romanorum teſtimonia congerere facili negotio liceret, ex quibus conſtat, Jovis planetam bonum, uti in omnibus rebus ſuſcipiendis, ita etiam a nautis imploratum eſſe, v. gr. Euripid. in Troad. vſ. 78. Lycophron. Caſſ. vſ. 512. Virgil. IX. Æneid. vſ. 614. ſed animalia deorum vialium ſymbola et miniſtræ alites nos monent, ut ſemel hoc loco de iis dicamus.

Refert Diodorus Siculus lib. 1. c. 87. Ægyptios religioſa veneratione canes eſſe proſecutos, quod Iſidi, Oſiridem inveſtiganti, duces fuerint. Apollonius etiam, apud Philoſtratum lib. VI. c. 19. ait, Ægyptiis

lupum Solis, noctuam Palladis, canem Mercurii ſymbolum fuiſſe: & notum eſt, imitatores eorum Græcos ſimiliter lupi ſimulacrum in Delphico templo poſuiſſe, atque noctuam Palladi, Mercurio canem junxiſſe. Juppiter autem ſub tauro, in quem mutatus, adumbratus, ταῦρος Gregorio Nazianzeno dicitur. Hinc Lycophron Caſſ. vſ. 1299. Europam, ait, raptam navi ταυρομόρφῳ, cujus in prora pictus fuerit taurus. Iſidorus lib. 8. Orig. de Jove: *Impudicus in extraneis, quem modo Taurum fingunt, propter Europæ raptum, fuit enim in navi, cujus inſigne erat taurus.* De eadem re apertius Feſtus, in *Europam*, inquit; *Nave, quæ Jovis tutelam effigie tauri habuerit, in eam regionem eſſe delatam;* & Fulgentius Planciades lib. 1. Mythol. *Europam in tauro rapuiſſe fertur, id eſt, in nave, tauri picturam habente.* Taurus ergo hæc navis dicta, à figura, qua prora fuit adornata, ſicut Virgil. X. Æneid. vſ. 166. navim, cujus roſtrum in ſimilitudinem tigridis erat, tigrin appellavit:

Maſſicus ærata princeps ſecat æquora tigri.

Sic Bacchi navis, in prora, ad aureæ pantheræ formam efficta dicitur, apud Philoſtrat. lib. 1. Icon. 19. & Alexius belluarum capita, auro exornata, navium roſtris adaptavit, teſte Anna Comnena Alexiad. pag. 335.

Fre-

Frequentius autem in navium ornamentis aves deligebantur; tum quia has e cælo miſſas viarum putabant eſſe duces; tum etiam, quod navigandi artem ab avibus aquaticis didicerant; quamobrem integra navis, avi ſimilis, & roſtra habet, & alas, ut Maro cecinit: *velorum pandimus alas.* Quemadmodum ergo *multas volucreſque feraſque Ægypti poſuere deos*, auctore Lucano lib. X. vſ. 158. & Romæ, qui auſpiciis operam dabant, ſpectare ſolebant, an aves abdixiſſent, nec ne; ita Græci non niſi ab avibus auſpicati ad iter terreſtre vel maritimum ſeſe accingebant, ut tradit Ariſtoph in Avib. vſ. 718. & 596. ubi ait:

Προερεῖ τις ἀεὶ τῶν ὀρνίθων μαντευομένῳ περὶ τοῦ πλοῦ,
Νυνὶ μὴ πλεῖ, χειμὼν ἔσαι νυνὶ πλεῖ, κέρδος ἐπέσαι.

Prædicet ſemper quædam ex avibus homini auſpicium capienti de navigatione
Nunc ne naviges, hyemabit; nunc naviga, nam lucrifacies.

Eminebant inter has columbæ, quas Homerus aves boni ominis, Plinius lib. X. c. 37. in rebus magnis *internuncias* vocat. Vellejus Paterculus lib. I. cap. 4. *Nec multo poſt Chalcidenſes, Hippocle & Megaſthene ducibus, Cumas in Italia condiderunt. Hujus claſſis curſum eſſe directum alii columbæ antecedentis volatu ferunt.* Virgil. VI. Æn. vſ. 194. de iiſdem:

Eſte duces, o, ſi qua via eſt, curſumque
per auras
Dirigite in lucos.

Propertius lib. II. El. 20.

Dux erat ignoto miſſa columba mari

Et l. IV. Eleg. 1.

O quali ducta eſt Dardana puppis ave.

Columbam Græcis quoque e navi dimittere moris fuiſſe, in omen felicis reditus, diſcimus ex Apollonii Scholiaſte, quia avis illa ad domicilium geſtit reverti. Huc quoque pertinet, quod Auctor magni Etymologici navem Cygnum, ait, appellatam, quod cygnos habeat effigiatos in prora. Verba ejus ſunt quæ ſequuntur: ἐςὶ καὶ εἶδος πλοίου· ὀνομάζεται δὲ, ὅτι κύκνους ἔχει ἐντετυπωμένους ἐπὶ τῆς πρώρας. Cygni enim ab Apolline divinationem habere credebantur, & in Veneris marinæ tutela erant, unde nautis augurium faciunt apud Virgilium lib. I. Æneid. 392.

Ni fruſtra augurium vani docuere parentes,
Aſpice bis ſenos lætantis agmine cygnos.

Vetus Poëta in Ὀρνιθογονίᾳ:

Cygnus in auguriis nautis gratiſſimus augur,
Hunc optant ſemper, quia nunquam mergitur undis.

Hinc Stephanus Vinandus Pighius, in Hercule Prodicio, lucem adfert celeberrimæ illi hiſtoriæ vel fabulæ, quam de principe

cipe familiæ generiſque Clivienſis Helia à Graële ferunt ſcriptores. Hunc enim anno poſt Chriſtum natum DCCXI. navicula, quam cygnus aurea catena collo vinctus trahebat, appulſum ad caſtrum Neomagenſe, ibique Theoderici unicam filiam, & Clivienſis ditionis heredem, matrimonio ſibi junxiſſe perhibent. Redolet vero hæc narratio cygnum navis inſigne, quod Ælius ille Princeps Romanus, ex majorum inſtituto, navigio ſuo ita præfixit, ut natare & aurea catena navem trahere videretur. Accipiter porro Ἀπόλλωνος ταχὺς ἄγγελος, *Apollinis velox nuncius* vocatur, apud Homerum Odyſſ. ό vſ. 526. Idem Minervam, ait, boni ominis cauſa, miſiſſe δεξιὸν ἐρωδιὸν ἐγγὺς ὁδοῖο, *dextram ardeam prope viam*, Iliad κ′ vſ. 274. Corvum denique ſacrum Apollini fuiſſe, ait Ælianus, & comitem, & divinationis ſymbolis aptum lib. I. Hiſt. anim. c. 48. Hunc ergo Cyrenæis ducem itineris miſit, eumque intelligit Papinius lib. IV. Silv. 8.

Tu ductor populi longe emigrantis Apollo,
Cujus adhuc volucrem, læva cervice ſedentem,
Reſpiciens blande felix Eumelis adorat:

Aquila vero, avium regina, Jovi ſacra, ejuſque nuncia, plus ceteris avibus in auguriis valebat; unde Priamus, Græco-

corum claſſem adoriturus, Jovem rogat, ut in bonum omen alitem illam mittere dignetur, apud Homerum Iliad ώ vſ. 310.

> Πέμψον δ' οἰωνὸν ταχὺν ἄγγελον, ὅς τέσοι αὐτῷ
> Φίλτατος οἰωνῶν, καὶ οὗ κϱάτος ἐςὶ μέγιςον,
> *Mitte autem alitem velocem nuncium, qui tibi ipſi*
> *Gratiſſimus alitum, & cujus robur eſt maximum.*

Ovidius lib. V. Faſtor. vſ. 732.

> *Grata Jovi fulvæ roſtra videbis avis.*

A Jove ergo velut miſſa dux itinerum habebatur, apud veteres, qui nihil fere majoris rei, publice privatimque, niſi auſpicato gerebant. Tacit. I. Hiſt. c. 62. *Lætum augurium Fabio Valenti exercituique, quem in bellum agebat, ipſo profectionis die, aquila leni meatu, prout agmen incederet, velut dux viæ, prævolavit.* Suetonius Vitellio cap. 9. *Præmiſſo agmine lætum evenit auſpicium. Siquidem à parte dextra repente aquila advolavit, luſtratiſque ſignis ingreſſos viam ſenſim anteceſſit.* Cicero I. de divinat. c. 15. de Dejotaro: *Nihil unquam, niſi auſpicato gerit, qui cum ex itinere quodam propoſito & conſtituto revertiſſet, aquilæ admonitus volatu: conclave illud, ubi erat manſurus, ſi ire perrexiſſet, proxima nocte corruit.* Merito igitur Seneca Nat. quæſt. II. c. 32. dixit, Aquilæ hunc hono-

honorem datum eſſe, ut magnarum rerum faceret auſpicia, ejuſque rei exempla plura Alexander collegit dier. genial. V. c. 13.

Romanis aquila inſigne principatus erat, & omen victoriæ, quoſcunque bello peterent; quod & ſit validiſſima, & univerſarum avium regnum tenebat, ut ait Joſeph de bell. Jud. l. III. c. 8. & Spanhem. de præſt. & uſu num diſſ. IV. pag. 171. & VII. pag. 431. pluribus illuſtrat. In ſingulis quoque legionibus ſingulæ Aquilæ caſtrorum numina erant, & militum præſides viales. Germanicus apud Tacitum II. Annal. 17. *Irent, ſequerentur Romanas aves, propria legionum numina.* Juppiter imaginis auctor fertur, quod illa ipſi contra Saturnum omen victoriæ fuiſſet. Ζεὺς αἐτὸν εἵλετο, *Juppiter aquilam delegit*, ait Ariſtophanes, in Equit. Multi, cum Aldrovando, ipſos Romanos ejus ſigni inventores faciunt; ſed Lipſius, ad Taciti Germaniam, a Perſis uſum derivat: nam Xenophon. lib. VII. παιδ. initio refert, Cyro majori ſignum fuiſſe aquilam auream in haſta longa extenſam; & lib. I. ἀναβάσ. pag. 271. Cyro minori, ait, βασίλειον σημεῖον, regium inſigne fuiſſe, aquilam auream, in haſta extenſam. Idem quoque lib. II. παιδ. pag. 59. augurii, ab aquila capti meminit; ut inde uſus aquilarum ad Romanos manaſſe videa-

videatur. Multa de harum religione, ſacello altaribuſque dici poſſent, niſi Lipſius de Mil. Rom. IV. d. 5. & Cuperus IV. Obſ. c. 19. pleraque occupaſſent. Apud eas Imperatores concionabantur, jus dicebant, legebant literas, ibi juramenta & nonnunquam animadverſiones exigebantur, uti Bernartius oſtendit, ad Statii illud *domumque verendam ſignorum* lib. X. Thebaid. vſ. 171. Per aquilas has milites jurabant Liv. l. XXVI. c. 48. eaſque, cum reliquis ſignis & Cæſarum imaginibus, non ſecus ac deos, adorabant. Sueton. Calig. c. 14. Jacobus Gothofredus ad Tertull. lib. I. ad nat. c. 12. ad eas referendum exiſtimavit, quod Modeſtinus ait, in *l.* 7. *§. fin. D. ad L. Jul. maj. Crimen majeſtatis facto, vel violatis ſtatuis, vel imaginibus, maxime exacerbatur in milites*: nam pro *ſtatuis*, reponit, *ſignis*; quia hæc violaſſe militi maxime crimini fuit, et Vegetius lib. II. de re mil. c. 6. Aquilam *præcipuum ſignum*, in Romano exercitu appellavit. Verum ſi prior particula *vel* per *veluti* explicetur, neque hac, neque aliorum mutatione opus eſt. Videſis plura, quæ ad hunc locum dixi, in Præfat. ad tom. II. Theſ. juris Rom. pag. XIX. Alia vero id genus exempla avium, vel quadrupedum, quæ nutu divino itinerum duces ſe præbuiſſe creduntur,

tur, collecta & illuſtrata invenies apud Scaliger. ad Catalecta pag. 281. Victorium lib. III. var. lect. c. 14. Spanhem. ad Callimachi Hymn. in Apollin. vſ. 66. Brouckhuſ. ad Propert. lib. IV. Eleg. I. &, qui recentiora adjecit, Rupert. ad Vellej. Paterc. lib. I. c. 4. Adde quod Antinoe ſerpentem itineris ducem ſecuta fertur, apud Pauſan. lib. VIII. c. 8. & Feſtus in *irpini* ait: *Samnites*, *lupum ducem ſecuti*, *agros occupavere* Servius denique ad IV. Æneid. vſ. 196. Herculem, in Libyæ deſertis, arietem ducem ſecutum narravit.

CAPUT VII.

De Apolline, Baccho et Jano.

Triplex Theologia apud Græcos & Romanos, fabularis Poëtarum, civilis Vulgi, & naturalis Philoſophorum. Secundum hos Sol fuit omnia & Juppiter ipſe. Apollo Sol, Dianæ Lunæ frater, inde Didymæus appellatus apud Ulpian. tit. 22. §. 6. Idem deus averruncus, σωτὴρ, *defenſor & tutelaris. A cura itinerum, & terra & mari, dictus Agyeus,* ἐπιβατήριος, ἀρχήγετος *& navalis. Aræ Athenis ei ante fores poſitæ; inde* θυραῖος, προπύλαιος *& Vicinus. Plauto lux. Spanhemius, Seldenus & Helladius notati. Columnæ ei poſitæ, cur obeliſcatæ & lapideæ. Bacchus, cum taurinis cornibus, dux viæ, idem qui Sol,* λαμπτήριος *& ignigena vocatur. Janus, rector viarum, Solem notat; an quaſi Eanus? cur Biceps, Quadrifrons & Claviger.*

Vidimus Jovem patrem, deum ſummum, & ſuperſtitioſæ gentilitatis choragium ducentem: nunc ad varios ejus liberos, ſive miniſtros, poteſtates & præſides proficiſcimur, quorum

rum frequentior, quam ipſius Jovis, in viis & compitis occurret cultus, quia vulgus viſibilibus eorum ſymbolis, Soli, Lunæ & Planetis magis inhærebat, atque hæc ab ipſis rurſus deorum miniſtrantium idolis plerumque in templis, ſacrificiis, marmoribus & nummis diſtinguebat. Non aliter Poëtæ Solem & Apollinem, Lunam & Dianam, velut diverſa numina, ſubinde depingunt: ſed Philoſophi, rerum naturam inveſtigantes, rectius Apollinem pro Sole, Junonem pro aëre, Neptunum pro mari, Vulcanum & Veſtam pro igne, Magnam matrem pro terra, Cererem pro frugibus habuerunt; atque ita multiformem theologiam per elementa explicarunt, ne deſpectui haberetur. Quum enim Poëtæ, qui apud Græcos Sapientum nomen meruerant, narrationes de diis ambagibus longis de induſtria involviſſent, nec poſteriores de rebus divinis aliter, quam a majoribus acceperant, diu exponere auſi fuiſſent, Zeno, Chryſippus, aliique Stoici philoſophi, quos pudebat numeroſæ deorum gentis, carmina Homeri, Heſiodi & Orphei de univerſo interpretati ſunt. vid. Pauſan. lib. VIII. c. 8. & Tertullian. lib. I. adv. Marcion. c. 13.

Quo igitur omnis illa veterum religio melius intelligatur, omnino hic obſervan-

da eſt diſtinctio in Theologiam fabularem, civilem & naturalem, ad quam præivit Q. Mucius Scævola, Publii filius, cujus judicium dein Terentius Varro in libris Divinarum ſecutus eſt. Hunc vero Tertullianus lib. 2. ad Nationes, Auguſtinus lib. IV. VI. VII de Civit. Dei & Lactantius, libris tribus prioribus Inſtitutionum divinarum refutaruut. Et ſane fabulari illa Poëtarum Theologia ipſis Gentilibus nihil inſulſius magiſque nugatorium videbatur, quod multa de Diis indigna, furta & adulteria fingit. Nec uſquequaque placebat civilis, quæ tamen, ne apud vulgus Deorum majeſtas eyileſceret, retinebatur; unica vero naturalis Philoſophis ſufficere viſa fuit, & diis immortalibus digna. Ad hanc referebant phyſiologicas naturalium rationum interpretationes, corpora in cœlis eminentia, quæ nominibus eorum, quos ingens evexit ad æthera virtus, denotabantur. Laboravit in hac doctrina Porphyrius, in opere περὶ τῆς ἀλληγορημένης Ἑλλήνων καὶ Αἰγυπτίων θεολογίας, cujus Julianus meminit, & ex quo Euſebius quædam excerpſit Quid multa? Sol erat omnia: *Sol Juppiter ipſe*, eſt in Catalectis Virgilii, et multis Macrobius diſputat lib. I. Sat. c. 23. Hinc in inſcriptionibus tam Græcis, quam Latinis ſæpe legas ΔΙΙ ΗΛΙΩ ΜΕΓΑΛΩ ΣΑΡΑΠΙΔΙ, et εἷς Ζεὺς Σά-

ϱαπις,

ϱαπις, *unus eſt Jupiter Sarapis*, vel JOVI SOLI INVICTO SARAPIDI; unde quoque lucem accipit inſcriptio, prope hoc Trajectum reperta, apud Spon. Miſcell. pag. 72. et Reines cl. I. Inſcr. 244.

JOVI O. M. SUMMO
EXSUPERANTISSIMO
SOLI. INVICTO. APOLLINI
LUNAE. DIANAE etc.

Plerique igitur qui Solem et Lunam adorabant, illum Apollinem, hanc Dianam appellarunt. Cicero lib. III. de Nat. Deor. *Solem Deum eſſe Lunamque: quorum alterum Apollinem Græci, alteram Dianam nuncupant.* Salluſtius Philoſophus de Diis cap. VI. Ἀπόλλωνα γὰρ ϗ Ἄρτεμιν ἀνθ' ἡλίου ϗ σελήνης ληπτέον. *Apollinem & Dianam pro Sole & Luna deſumimus.* Horatius carm. ſæc.

Phœbe, ſilvarumque potens Diana
Lucidum cœli decus, o colendi
Semper & culti, date quæ precamur
Tempore ſacro.

Utrumque numen uno Latonæ partu editum credebatur; quamobrem Apollo *Didymæi*, id eſt gemini, nomen adeptus eſt, apud Ulpian. tit. XXII. §. 6. Plinium lib. V. H. N. c. 24. et Sueton. Calig. c. 21. juncto Macrob. lib. 1. Sat. c. 17. Utriuſque templa quoque congrue erant juncta; Æneas enim, cum vix arces, quibus altus

Apollo præſidet, petiiſſet, mox ſubiit Triviæ lucos, apud Virgil. lib. VI. Æneid. vſ. 9. 13. et paullo poſt vſ. 35. *Phœbi Triviæque ſacerdos.* Utrumque etiam itinerantium credebant eſſe numen tutelare, vicis et compitis præfectum; ſive quod interdiu et nocte eorum beneficio invia et tenebroſa loca penetrare liceret, ſive quod eſſent ἀποτροπαῖοι et ἀλεξίκακοι, Dii *averrunci*, mala quævis à viatoribus propellentes, ut Comici Scholia et Euſtathius voluere. Aperte Pauſanias initio Attic. Πρὸ δὲ τοῦ νεὼ, τὸν μὲν Λεωχάρης, ὃν δὲ καλοῦσιν Ἀλεξίκακον, Κάλαμις ἐποίησε. *Calamis vero pro foribus dicitur feciſſe Apollinem unum Leochares, alterum Alexicacon cognomento*; quod eſt ac ſi *Averruncum* dixeris, ab avertendo: *Deus, qui eis rebus præeſt, Averruncus*, ait Varro lib. VI. de L. L. *Apollo malorum avertendorum potens eſt*, ſcribit Servius ad X. Æneid vſ. 738. Inde Græcorum quidam ab ἀπαλλάττειν, ab abigendis malis, Apollinem, Medicinæ deum, dictum volunt, apud Euſebium lib. III. de præp. c. I. Latinis ab *apellendo* dictus creditur apud Macrob. lib. I. Saturn. c. 17. ΑΠΟΛΛΩΝ ΣΩΤΗΡ vocatur, in nummo Lappitharum, apud τὸν πάνυ Spanhem. diſſ. VII. de præſt. pag. 416. quo nomine, a Jove ſumto, Apollo quidam ſapientiſſimus et de genere huma-

no bene meritus homo dictus, eodemque elogio Sol etiam apud Megalopolitas Arcadas cultus fuit, teſte Pauſan. lib. VIII. pag. 507. *Is vero eſt Soter, qui ſalutem dedit*, ait Cicero in Verr. IV. c. 63. Plautus Merc. IV. ſc. 1.

Apollo, quæſo te, ut des pacem propitius,
Salutem & ſanitatem noſtræ familiæ.

Hinc PRO. SALVTE. AVGG. APOLLO. DEFENSOR invocatur apud Gruterum pag. 37. 9. Idem SALVTARIS, in nummis Voluſiani, et TVTELARIS nuncupatur in marmore Grut. pag. 77. 1. Sed ad rem.

A curatione viarum Apollo Græcis vocatur Ἀγυιεὺς, *viarum & vicorum præſes.* Pauſanias in Atticis cap. XXXI. p. 78. Ἔϛι δὲ Ἀχαρναὶ δῆμος. Οὗτοι Θεῶν Ἀπόλλωνα τιμῶσιν Ἀγυιέα καὶ Ἡρακλέα. Rurſus in Corinthiacis cap. 19. et in Arcadicis, cap. 53. apud Tegeatas ſigna Ἀπόλλωνι Ἀγυιεῖ dedicata refert, et Megalopolitanis Deos, ait, eſſe è quadratis lapidibus, quos inter Minerva Ergane et Ἀπόλλων Ἀγυιεύς, *Compitalitius Apollo.* Apud Demoſthenem quoque adverſus Midiam, et Xenophontem lib. II. Κύρου παιδ. id nominis ei tribuitur; et Stephano Byzantino auctore, Apollo dicitur Ἀγυιεὺς, et Ἀγυιάτης, τουτέϛιν ἐφόδιος, quaſi *viarius.* Horatius ad Apollinem lib. IV. Ode 6.

Doctor argutæ fidicen Thaliæ
Phœbe, qui Xantho lavis amne crines,
Dauniæ defende decus Camœnæ,
Levis AGYEV.

Nominis rationem adfert Phurnutus de natura Deorum cap. XXXII. Ἀγυιεὺς δ' ἐπονομάζεται δεόντως, ἱδρυνθεὶς ἐν ταῖς ἀγυιαῖς. Καταυγάζει γὰρ ταύτας, καὶ πληροῖ φωτὸς ἀνατέλλων. *Agyieus putatur, quod vicos & vias luce ſua illuminet, & propterea in viis ei ſtatuæ ponuntur. Exoriens namque eas luce ſua illuſtrat, atque implet*, Statius eum ductorem appellat lib. IV. Silv. 8.

Tu ductor populi longe emigrantis Apollo.

Virgilius etiam viis præficit lib. XII. Æneid. verſ. 405.

Nulla viam fortuna regit, niſi auctor Apollo
Subvenit.

Vir illuſtris Ezechiel Spanhemius, in epiſtola ad Begerum II. Apollinem quidem a viis extra urbem arcet, ſoliſque urbanis viis eum præpoſitum fuiſſe contendit; verum Æſchylus Agamemn. vſ. 153. eum a Græcis quoque invocatum ſcribit, ne quæ navigationi difficultates & remoræ crearentur. Apud Trœzenios Ἐπιβατηρίου Apollinis ædes fuit, qui præerat portu ſolventibus, auctore Pauſania. Erat & oraculum Apollinis Ἀρχηγέτου, ductoris Principis: Thucydi-

dides lib. VI. de Sicilia agens: *Chalcidenſes*, inquit, *Græcorum primi*, *Apollini Archigetæ aram poſuerunt*, *ubi quoties è Sicilia ſolvunt*, *oracula petituri*, *primum ſacrificant.* Apud Apollonium lib. 1. vſ. 359. ingreſſuri mare Apollini Embaſio faciunt, idemque Νηοσσόος, *navium ſervator* eidem vocatur lib. 2. Actius, Actiacus & Actæus dicebatur a Romanis, ob devictum ad Actium navali prœlio Antonium. Virgil. VIII. Æneid. vſ. 704.

Actius hæc cernens arcum tendebat Apollo

Propertio *navalis* dicitur lib. IV. Eleg. 1.

Atque ubi navali ſtant ſacra palatia Phœbo.

Athenis autem maxime viis præeſſe credebatur urbanis, intra urbis pomœria. Macrobius lib. I. Sat. cap. 9. ex Nigidio: *Apud Græcos Apollo colitur*, *qui* θυραῖος *vocatur: ejuſque aras ante fores ſuas celebrant*, *ipſum exitus & introitus demonſtrantes potentem. Idem Apollo apud illos & Ἀγυιεὺς nuncupatur*, *quaſi viis præpoſitus urbanis. Illi enim vias*, *quæ intra pomœria ſunt*, ἀγυιὰ *appellant.* Porphyrio, Horatii Scholiaſtes, ad lib. IV. Od. 6. vſ. 28. *Agyiæ Athenienſi lingua vici dicuntur. Varro ait*, *quod ex reſponſo ſui oraculi*, *in viis publicis urbis ſuæ*, *Athenienſes ſtatutis altaribus ſacrificare Apollini inſtituerunt & Agyieum appellavere.* Alius Cruquii

Scholiaſtes ibid. *Villane Apollo, quod in villis & vicis ejus ſtatuæ erant.* Pulchre Ariſtophanes in Veſpis verſ. 870. ad Apollinem Pythium:

Ὦ δέσποτ' ἄναξ, γεῖτον Ἀγυιεῦ, τοῦ μοῦ προθύρου προπύλαιε,
πύλας
Δέξαι τελετὴν καινὴν, ὦ 'ναξ, ἣν τῷ πατρὶ καινοτομοῦμεν.

O Rex here, vicine & Agyeu, pro foribus veſtibuli hujus
Accipe hæc nova ſacra meo nunc inſtaurata parenti.

Hinc Plauto lux in Bacchid. Act. II. ſc. I. ubi Chryſalus in patriam redux, pro itu & reditu gratias agit Apollini Agyeo:

Herilis patria ſalve! quam ego biennio
Poſtquam hinc in Epheſum abii, conſpicio lubens.
Saluto te, vicine Apollo, qui ædibus
Propinquis noſtris accolis, & veneror.

Vicinus Apollo, quia ante fores vicini conſtitutus, unde Thyræus dictus. Tertullianus de idololatria cap. XV. *Etiam apud Græcos Apollinem Thyræum, & Antelios dæmonas, oſtiorum præſides legimus.* Προπύλαιον vocavit Ariſtides hymno ad Minervam, & προςατήριον Sophocles Electræ verſ. 639. ὅτι περὶ τῶν θυρῶν ἵδρυται, quoniam ante fores conſtituitur. Inde & *Proſtans* nuncupaiur in ſaxo vetere, ex emendatione Gudii apud

apud Gruterum pag. 38. n. 8. APOLLINI. PROSTANTI. In veſtibulis namque ædium, in vicis & angiportibus aræ & columnæ obeliſcatæ in ejus honorem erant collocatæ, quod jam binis locis ſupra pag. 23. & 39. variorum teſtimoniis probatum dedimus, quibus nunc accedat Heſychius: Ἀγυιεὺς ὁ πρὸ τῶν πυλῶν ἑςὼς βωμὸς ἐν σχήματι κίονος. Euſtathius ad Iliad. B. pag. 166. Ἀγυιεὺς, κίων ἱερὸς Ἀπόλλωνος πρὸ πυλῶν ἑςὼς, λήγων εἰς ὀξύ. Perperam Seldenus ex his colligit, Apollinis ſtatuam fuiſſe lapidem, baſi circulari, in conum deſinentem: neque enim Apollo tali forma cultus, ſed aræ & columnæ ei ſacræ fuiſſe dicuntur. Suidas Agyieum, cono ſimilem turbinatam columnam interpretatur, Apollini ſacram, quæ ante fores aularum ſtatui ſoleret; laudato ſimul Sophoclis fragmento quodam fabulæ Laocontis, ubi Athenienſium ritus ad Trojam refert:

Λάμπει δ' ἀγυιεὺς βωμὸς, ἀτμίζων πυρὶ,
Σμύρνης ςαλαγμοῖς, βαρβάροις εὐοσμίαις.

Meminit quoque harum ararum Helladius in Chreſtomathia circa finem, ſed perperam Loxiæ Apollini adſcribit: *Loxiam*, inquit, *adorabant, quem pro foribus ſinguli ponebant. Præterea aram ibi rotundam collocabant, & myrteis coronabant, cui prætereuntes adſtabant; aram autem*

illam ἀγυιὰν λοξίαν *vocarunt, hoc dei nomen aræ tribuentes. At* κνισσᾶν ἀγυιὰς *apud Heſiodum ſignificat, diis ſacrificare.* De iiſdem denique aris fidem facit Plautus Mercat. Actus IV. ſc. 1. ita Dorippam loquentem introducens:

Qui hanc vicini noſtri aram augeam, Syra.
SY. *Da ſane hanc virgam lauri.* DO. *abi tu intro.* SY. *eo.*
DO. *Apollo, quæſo te, ut des pacem propitius,*
Salutem & ſanitatem noſtræ familiæ.

Columnæ illæ autem obeliſcatæ erant, quia Apollini i. e. Soli ſacræ: hujus enim ſimulacrum, quod Phœnices *Elagabalum* vocant, eandem figuram, velut Solis radium, repræſentabat, auctore Herodiano lib. V. cap. 3. Λίθος τις ἐςὶ μέγιςος, κάτωθεν περιφερὴς, λήγων ἐις ὀξύτητα. Κωνοειδὲς αὐτῷ σχῆμα, μέλαινά τε ἡ χροιὰ, διοπετῆτε αὐτὸν εἶναι σεμνολογοῦσι. *Lapis eſt maximus, ab imo rotundus, & ſenſim faſtigiatus, propemodum ad coni figuram. Niger lapidi color, quem etiam jactant cœlitus decidiſſe.* Plinius lib. XXXVI. cap. 8. *obeliſcos Solis numini conſecratos.* Ex lapidibus vero factæ columellæ, non tantum ob durationem, ſed quod ignem Solarem è ſilice excuſſum ſibi perſuaderent. Ita apud Juſtinum Martyrem in Dialogo cum Triphone pag. 296. *illi qui Mi-*

Mithræ initia tradunt, è petra eum natum memorant. Commodianus inſtruct. 13.

Invictus de petra natus, ſi deus habetur
Nunc ergo retro vos de iſtis date priorem,
Vicit petra deum, quærendus eſt petræ
creator.

Illud denique hic non prætereundum eſt, quod licet plurimi ſoli Apollini Ἀγυιέας conſecratos memorent, Comici tamen Scholiaſtes, &, qui eum exſcripſerunt, Harpocration & Suidas in ἀγυιὰς, alios exiſtimare ſcribant, columellas iſtas, vel ſoli Baccho, vel ſimul Baccho & Apollini fuiſſe dedicatas. Verba prioris in Veſpas, verſ. 870. ſunt iſta: Ἰδίους δέ φάσιν τὰς ἀγυιέας εἶναι Ἀπόλλωνος, οἱ δὲ Διονύσου, οἱ δ' ἀμφοῖν. Id vero recte ſeſe habet. Bacchus enim continuis itineribus totum terrarum orbem peragravit, quæ Nonnus Panoplita deſcripſit; ideoque à mercatoribus pro deo viali habitus, ejuſque columnæ & imagines ad exitum januarum, qua itur in viam publicam, poſitæ fuerunt, ipſeque περικίονος dictus. Apud Arabas vero Δευσάρης nominabatur, teſte Heſychio, Suida & Tertulliano, quod ſimulacrum ejus lapideum, quadratum, nullam figuram habens, aureæ baſi impoſitum colebatur. Confer Boiſſardum A. R. Tom. III. fig. 143. Ægyptiorum ritu taurinis cornibus fingebatur, & ταῦρος dictus fuit

Ly-

Lycophroni vſ. 209. aliiſque Poëtis, etiam tauriformi habitu apud Cyzicenos cultus. Porphyr. de abſtinent. lib. III. §. 16. *Græci Bacchi ſimulachro tauri cornua affixerunt.* Sive quod primus boves ſub jugum miſit; ſive quod Ammonis credebatur filius, qui taurorum cornibus inſignis; ſive quod poculorum vice iis utebatur; ſive deinceps quod vinolentia protervia m parit. *Cornua Libero patri tribuuntur, eo quod homines nimio vino truces fiunt*, ait Feſtus, & Poëta Sulmonenſis lib. I. Art. amat. 239.

Tunc pauper cornua ſumit.

Liber autem & Phœbus idem antiquis Deus, idem qui Sol & Apollo; uti ex Eumolpi carminibus Bacchicis refert Diodorus Siculus lib. I. & ex Ariſtotelis Theologumenis Macrobius lib. I. Sat. cap. 18. Ægyptii ipſum luminis inventorem credebant, & cum face accenſa in manu repræſentabant. Græcis λαμπτήρος, Ovidio *ignigena* vocatur, non ſolum quod a fulminata Semele ſit genitus; aut propter igneam vini naturam, ſed quod ſit ipſe Apollo; qua de re Petrus Seguinus, in ſelect. numiſm. n. 28. videatur. Optime Julianus Cæſar in orat. IV. quæ eſt de Solis laudibus: *Ita* Sol *Jovis vim effectricem continet, Apollinis eandem intelligendi ſimplicitatem, ſubſtantiæ ſtabilitatem & actionem, Bacchi ve-*

vero multiplicabilem & divinam efficientiam. Ita ut hæc & alia Deorum nomina in ſingularem & primariam unitatem Sol componens, omnia perficiat, ſecundet & alat. Arnobius lib. III. p. m. 119. *Nam ſi verum eſt, Solem eundem Liberum eſſe, eundemque Apollinem, ſequitur, ut in rerum natura, neque Apollo ſit aliquis, neque Liber.* Ad Solem enim omnes dii relati, uti Ill. Cuperus, in Harpocrate, pag. 87. & ſeqq. oſtendit. Hinc in aliis lapidibus SOLI INVICTO MITHRAE, in aliis IOVI SOLI INVICTO SARAPIDI, in aliis vero APOLLINI INVICTO MITHRÆ legitur, apud Grut. pag. 22. n. 9. 10. 11. & Gudium pag. 23. & 24. quibus Monteſauconius jungatur tom. II Antiq. tab. 121. 122. & Reineſ. ad cl. I. n. 236. qui ſolem *invictum*, ex Homero & Heſiodo dici monſtravit. Servius ad lib VI. Æneid vſ. 78. *Idem*, ait, *eſt Apollo, qui Liber pater, qui Sol.* Unde Lucanus lib. V. Pharſ vſ. 73.

Mons Phœbo Bromioque ſacer, cui numine mixto
Delphica Thebanæ referunt Trieterica Bacchæ.

Nunc etiam patet, cur Janus in numero Deorum vialium, & *rector viarum* laudetur, apud Macrobium lib. I. Sat. c. 9. Nigidius enim Figulus pronunciavit: *Apol-*

pollinem eſſe Janum: Dianamque Janam. Et Janum Solem eſſe Aleander in tab. Heliaca & Voſſius lib. II. de idolol. c. 14. pluribus monſtrarunt. Unde *biceps* fingebatur, quia Sol Orientem reſpicit & Occidentem. In foro Nervæ quoque fuit ſtatua & ædes Jani *Quadrifrontis*, qui haſtam manu tenens in numiſmate Hadriani cernitur, quo itinera ejus ad remotiſſimas imperii regiones denotari, D. Boze, in erudita de Jano diſſertatione exiſtimavit. Quinimo ſicut Mithras apud Montfaucon. diar. Ital. c. 14. manu clavem gerit, ita Janus dextra baculum, clavem ſiniſtra tenet, quaſi θυραῖος θεός, & omnium portarum cuſtos, qui *viam pandere Deorum ad audientiam credebatur*, ait Arnob. lib. III. Ovid. lib. I. Faſt. vſ. 99.

Ille tenens dextra baculum, clavemque ſiniſtra,
Edidit hos nobis ore priore ſonos.

Forte etiam Janus quadrivius eſt deus quadriviorum, vid. Gruter pag. 84 n. 5. etſi ſæpius ſignificet tranſitiones pervias & fornices, in modum crucis poſitos, in quibus ſedebant mercatores, ab imbribus & injuriis tuti. Hujuſmodi Janos Quadrifrontes ſex & triginta Victor in deſcript. urbis Romæ celebravit. vid. Caſaubon. ad Sueton. lib. II. c. 31. & Cuper. monum. antiq. pag. 208.

208. A Jano etiam fores ædium *januæ*, & ipſe Janus, quaſi *Eanus*, ab eundo dictus, auctore Tullio lib. II. de nat. Deor. cap. 27. quem ridet Cornificius apud Macrob. d. l. ſed Servius ad lib. VII. Æneid. vſ. 610. ſimiliter alios ſentire refert: *Quidam Janum Eanum dicunt, ab eundo.*

CAPUT VIII.

De Diana, Hecate, Venere et Iside.

Diana, dea Luna, νυκτιλαμπής, φωσφόρος, *Lucifera & Lucina. Deus Lunus in Oriente a Græcis* Μὴν *vocatus. Luna, ad Iſidis ſimilitudinem, cum taurinis cornibus. Fuit viarum dea, clavigera, cujus ſymbolum pedes. Ideo Soſpita, Redux, Enodia, Hegemone, Trivia & Trioditis appellatur. Columna Herodis Attici illuſtrata. Eadem eſt Hecate, cujus ſimulacra ante ædium januas, ſed plura in triviis, compitis & ſilvis. Hecates triformis, triplicis & tergeminæ tria corpora ex uno trunco. Athenagoræ lectio firmata. Holſtenii, Cuperi, Spanhemii & Seguini ſententiæ excuſſæ. Canes quare Dianæ ſacri, eique immolati. Hecates cœna, cur in triviis tempore novilunii poſita, & a pauperibus conſumta. He-*

Hecate denique portuum inſpectrix; à qua Venus & Iſis, navigantium deæ, phyſice non differunt.

VEnimus ad Apollinis ſororem Dianam, ſive Lunam, quæ, tanquam vicaria Solis, idem viatoribus officium noctu præſtat, quod Sol de die; ideoque modo cum una, modo cum duabus facibus accenſis, in multis Græcorum & Romanorum nummis armata cernitur. Græcis inde appellatur Νυκτιλαμπής apud Dionyſ. Halicarn. de colloc. verb. in fin. θεὰ σελασφόρος, apud Pauſan. Attic. f. 59. φωσφόρος apud Athenæum lib. VII. p. 325. φαεσφόρος, apud Callimachum in Dianam v. 204. ἀμφίπυρος apud Sophoclem Trachin. v. 218. Ab eadem ratione Plautus in Curcul. Act. I. ſc. 3. vſ. 40. Venerem *Noctuvigilam*, Varro. lib. 4. de LL. *Luna, quod ſola lucet noctu, dicta Noctiluca in Palatio.* Horatius *lucidum cœli decus*, carm. ſæc. vſ. 2. & *rite creſcentem face noctilucam*, lib. IV. Od. 6 Tertullianus lib. II. ad nat. c. 11. *Candeliferam*; Capella lib. II. de nupt. Philol. *Luceſiam*, & Servius ad lib. II. AEneid. vſ. 116. *Luciferam* appellarunt. v. Reineſ. ad cl. I. Inſcript. 57. & Spanhem. ad Callimachum pag. 132. In nummis aliquot Fauſtinæ et Juliæ Piæ DIANAE LUCIF. et

et LUNAE LUCIFERAE nomine ſignatur; quorum explicationem vide apud Begerum p. II. 683. & III. 160. In inſcriptionibus apud Gruterum pag. 41. DIANAE. LVCIF. LUNAE, & DIANAE. LVCINAE. INVICTAE. Apud Gudium pag. 30. n. 7 & 8. NOCTILUCAE DIANAE, & DIANAE LUCIFERAE vota fiunt aut ſolvuntur. Luna ergo a *lucendo* nominata, vel potius a λύνος, quod idem valet ac λάμπτρον, eademque eſt Lucina; *Itaque ut apud Græcos Dianam, eamque luciferam, ſic apud noſtros Junonem Lucinam invocant*, inquit Cicero lib. II. de N. D. c. 27.

Scribit Macrobius lib. III. Sat. c. 8. Lunam & feminam & marem habitam fuiſſe, eique ſacrificium facere viros cum veſte muliebri, mulieres cum virili, *quod eadem mas æſtimetur & femina.* Spartianus quoque refert, in vita Caracallæ cap. 6. eum Luni dei gratia Carras veniſſe, die natali ſuo, & cap. 7. joco addit, illos, qui Lunum marem crediderint, uxoribus dominari, at qui Lunam femineo nomine ac ſexu nuncupent, eos mulieribus addictos ſemper ſervire, & *quamvis Græci vel Ægyptii eo genere, quo feminam hominem, etiam Lunam deam dicant, myſtice tamen deum dicunt.* Sane in Oriente Luni dei cultus

frequens erat, & Græce Μὴν vocabatur. Hinc Μηνὸς κώμη, Menis, Phrygiæ pagus, in quo Luni templum, apud Athenæum lib. 2. c. 5. memoratur. In nummis quoque multarum Lydiæ & Piſidiæ urbium idem deus Lunus occurrit, cum inſcriptione ΜΗΝ ΑΣΚΗΝΟΣ, tiara Phrygia haſtaque munitus, apud Rev. Montefauconium ſupplem. Antiq. t. 1. lib. 6. c. 3. & Clariſſ. Liebe, in Gotha numaria c. 4. §. 9. pag. 120. 121. Græci vero & Romani, cum Ægyptiis, Lunam deam colebant, cujus eadem, quæ Apidis in dextro latere, & Iſidis in capite, Lunæ ſcilicet bicornis ſimulacra, ut notat Plutarchus de Iſide pag. 372. & ex Iſidis imagine, apud Cuperum in Harpocr. pag. 109. cernere licet. Quemadmodum ergo Ovidius huic *lunaria cornua* tribuit, ita Diana βουκέρως παρθένος *virgo cum bovinis* cornibus, apud Euſtathium ad Periegetem p. 19. & *ſiderum regina bicornis* ab Horatio in carm. ſæc. vocatur. Curru etiam bijugibus tauris juncto vehens cernitur in Deliorum nummo, apud Goltzium Tab. Inſ. 18. & tauro vecta, velut deductæ Miletum ab Athenienſibus coloniæ *dux*, viſitur in nummo inſulæ Icariæ, apud Harduinum, de Num. antiq. Unde à tauris hæc Dea non Ταυρικὴ ſolum, ſed & Ταυροπόλος, ejuſque templum in ea inſulá Ταυροπόλιον dictum, prout

eru-

erudite ex Sophoclis Ajac. v. 172. Euripid. Iphigen. v. 1450. & Strabonis lib. XIV. monuit Illuſtris Spanhemius, in Hymnum Callimachi in Dianam.

Viarum certe præſidem eam fore Juppiter auguratur, in laudato Callimachi hymno, verſ. 39.

- - - - - καὶ μὲν Ἀγυιαῖς
Ἔσσῃ, καὶ λιμένεσσιν ἐπίσκοπος.
- - - - - *Eriſque*
Et præfecta viis & portubus.

Feſtus: *Juvenalia fingebantur Dianæ ſimulacra, quia ea ætas fortis eſt ad tolerandam viam. Diana enim viarum putabatur Dea.* B. Auguſtinus lib. VII. de C. D. cap. 16. *Dianam ſimiliter Lunam & viarum præſidem: unde & virginem volunt, quia via nihil pariat.* Nomen habet ab eundo, & quemadmodum Apollo dicebatur Janus, ſic et Diana quaſi Diva Jana, κατὰ συγκοπὴν, auctore Macrobio lib. I. cap. 9. Deinde ſicut Janum ſupra clavigerum vidimus, ſic Orpheus & Euripides in Iphigenia in Tauris vſ. 132. Dianam κληδοῦχον vocant, uti Cl. Weſſelingius lib. I. Obſ. c. 3. contra Barneſium erudite diſputavit. Porro ſicuti ceteris Diis ſua ſimulacra et ſymbola adfingebant, Jovi fulmen, Cereri ſpicas, Veneri pomum, Marti enſem, Minervæ aures, Mercurio linguam, Palladi

haſtam, thyrſum Baccho, Apollini ſagittam, Herculi clavam, ita Dianæ appingebant pedes, quod viarum dux et præſes eſſet. Adhæc venationi præerat alte ſuccincta, montium cuſtos nemorumque domina, unde his quibus per invios ſaltus iter faciendum, utilis habebatur. Hinc Probus, in Bucol. Virgilii, ex Varrone refert: *Antiquos agreſtes, venandi peritos, cum plurimum in ſylvis agerent, quod velut Diana duce ad inveſtigandas feras paterent, Devianam appellaſſe Deam, mox Dianam.* Dicebatur et ἀγροτέρα, velut rura ſilvaſque colens, aut, ut alii, ruri culta, apud Xenophont. lib. IV. Hiſt. Græc. Maro lib. IX. Æneid. verſ. 403.

Suſpiciens altam Lunam & ſic voce precatur:
Tu, Dea, tu præſens noſtro ſuccurre labori,
Aſtrorum decus, & nemorum Latonia cuſtos.

Seneca in Hippolyto v. 406.

- - - - - *Sola quæ montes colis,*
Et una ſolis montibus coleris Dea.

Atque ita facile apparet ratio, quare Diana, inter infinita cognomenta alia, quibus ab Ethnicis Theologis πολυώνυμος eſt honoratæ, dicatur *Sotera*, *Soſpitatrix*, *Servatrix* et *Soſpita;* vel cur aras ejus, lu-

lucos et ſtatuas in veterum monumentis reperire liceat tam multas; cui et Theſeus è Creta redux templum dedicavit, quo documentum daret, ſe divina ejus providentia labyrinthi difficultates ſuperaſſe, auctore Pauſania in Corinth. DIVAE DEANAE SERVATRICI, in lapide Romano legitur, apud Gudium pag. 31. n. 7. DIANAE REDUCI eſt in nummo Poſtumi patris, apud Smetium in Antiq. Neom. p. m. 241. Nec aliam ob cauſſam vocatur Ἐνοδία, licet Stephanus in τρίοδος, cum Theocriti Scholiaſte, ita appellari eam exiſtimet, quod ab Inacho in via reperta et nutrita fuerit. Herodes Atticus, vir doctus et antiquitatis amans, Trajani temporibus, inter alias inſcriptiones, in villa Triopia poſitas, in una, Ionicis literis, Enodiam hanc viarum præſidem, ad lapidem tertium, in via Appia, adverſus eos in teſtimonium vocavit, qui ſtatuas Cereri, Proſerpinæ et diis Manibus dicatas, loco moverint: ΜΑΡΤΥΣ ΔΑΙΜΟΝ ΕΝΗΟΔΙΑ, id eſt μάρτυρ Δαίμον Ἐνόδια apud Gruter. pag. 27. et Montfaucon. Palæogr. lib. 2. pag. 141. Curioſas haſce columnas Salmaſius olim explicavit, quæ vel ob antiquiſſimam ſcripturam et eruditionem auctoris ſui maximi ſunt faciendæ. Eidem Enodiæ, quæ in via poſita aut amiſſa eſſent, conſecrat Plato lib.

XI de LL. Νομίζων φυλάττειν ἐνοδίαν δαίμονα τὰ τοιαῦτα. *Exiſtimantes Deam itinerariam talia cuſtodire.* Phurnutus de nat. Deor. cap. XXXIV. Ἐνοδία δέ ἐστιν οὐ δι᾽ ἄλλο τι ἢ διότι καὶ Ἀπόλλων Ἀγυιεύς. Etiam ſub Ἡγεμόνης, *Ducis viarum* nomine templum habuit apud Arcadas, cum prope Acaceſion, tum apud Tegeatas, Pauſanias lib. VIII. cap. 36. Apud Ambraciotas item, in templum Dianæ Hegemones confugit Deidamia, teſte Polyæno ſtratag. lib. VIII. c. 52. & apud Athenienſes quoque Ἡγεμόνη Diana culta; cujus auſpiciis deductam à Neleo Miletum coloniam, hanc Præſidem ſuam eo nomine adſciviſſe, fuſius ex Callimacho in Dianam v. 227. & ex Polluce lib. VIII. 9. oſtendit Spanhemius ad Ariſtophanis Plutum verſ. 1160.

A triviis, quibus præſidebat, dicta eſt TRIVIA. Hinc Flaminius Priſcus, curator & magiſter TRIVII VICI Aurelii, apud Gudium pag. 26. n. 6. TRIVIAE. DIANAE. IVNONI. PROSERPINAE. INVICT. SACRUM. fecit. Rurſus apud Holſtenium in adnotat. ad Cluverii Ital. antiq. pag. 1179. & eundem Gud. pag. 26. n. 7. eſt DIANAE TIFATINAE TRIVIAE: ſic enim legendum eſſe, Viri Cl. Koolius & Heſſelius, in notis ad Gudii corpus docuerunt. Diana quoque *Titanis*

Tri-

Trivia apud Ennium vocatur, quod eam Latona Titani filia genuit. Varro lib. VI. de LL. *Titanis Trivia, Diana eſt, ab eo dicta Trivia, quod in trivio ponitur fere in oppidis Græcis: vel quod luna dicitur eſſe, quæ in cœlo tribus viis movetur.* Ita quod Plinius *nemus Dianæ* vocat lib. XXXV. c. 7. id Silius lib. VIII. *Triviæ nemus* appellavit. Catullus in carm. Sæc. ad Dianam 35.

Tu potens Trivia, & notho es
Dicta lumine Luna.

Ovid. lib. IV. Triſt. Eleg. 4. vſ. 73. *cruentæ*, & lib. III. ex Ponto epiſt. 2. vſ. 71. *immitis Triviæ* aræ meminit; & erat quondam templum apud Achæos Dianæ Triclariæ dedicatum, in quo quotannis virgo & puer, forma præſtantiores immolabantur, ob cauſam a Pauſania lib. VII. c. 19. expoſitam. Prudentius lib. I. in Symm. v. 365.

Denique quum Luna eſt, ſubluſtri ſplendet amictu:
Quum ſuccincta jacit calamos, Latonia virgo eſt,
Quum ſubnixa ſedet ſolio, Plutonia conjux
Imperitat Furiis, & dictat jura Megæræ.
Si verum quæris; Triviæ ſub nomine dæmon
Tartareus colitur.

Eadem ratione a Græcis paſſim vocatur θεὸς ἐν τριόδοις, & Τριοδῖτις. Phurnutus de natura Deorum cap. 34. Ἔνθεῦθεν δ' ἤδη καὶ Τριοδῖτις ἐπεκλήθη, καὶ τῶν τριόδων ἐπόπτις ἐνομίσθη, διὰ τὸ τριχῶς μεταβάλλειν. *Hinc etiam* Diana *Trivia cognominata eſt, putaturque viarum eſſe præſes, quod ternam accipiat mutationem.*

Nec differt à Diva noſtra Hecate triformis, quæ idem nocturnum ſidus, Lunam ſcilicet deſignat, ut Ἕκατος diurnum, Apollinem, ſcilicet, quem Simonides, Poëta Lyricus, magnæ laudis loco, Ἑκατὸν appellavit, auctore Juliano Imp. epiſt. 24. Sic Triviæ religionem, quam in Stratoniceniium civitate cultam ait Tacitus, Hecatæ adſcribit Strabo lib. XIV. & ululatus nocturnos, à matronis, vel ut Turneb. ait, lib. 15. Adv. c. 8. à veneficis in honorem Dianæ factos, Virgilius Hecatæ ſacros facit IV. Æneid. vſ. 609.

Nocturniſque Hecate triviis ululata per urbes.

Eadem quoque διπύρους ἀνέχουσα λαμπάδας, *duplices tenens faces*, apud Ariſtophan. Ran. vſ. 1406. deſcribitur, & δᾳδοῦχος nominatur apud Lycophron. Alex. vſ. 710. Ἐνοδίαν vocat Artemidorus II. c. 42. & Sophocles Antig. verſ. 1213. ubi Scholiaſtes: Ἐνοδίαν θεὸν, τὴν Ἑκάτην, ἢ τὴν περσεφόνην. & Demetrius Triclinius ibidem: Ἐνοδίαν δὲ τὴν Περσεφόνην λέγει,

τὴν

τὴν ἐν ταῖς τριόδοις πορευομένην. ἡ αὐτὴ γὰρ ἐϛι τῇ Ἑκάτῃ. *Enodiam vero dicit Proſerpinam, quæ in triviis verſatur: nam hæc ipſa eſt Hecate.* Meurſius lib. I. Miſcell. Lacon. c. 2 eandem Deam Lacedæmoniis aſſerit ex Athenagoræ legat. pro Chriſtian. initio: Λακεδαιμόνιος Ἀγαμέμνονα Δία, καὶ Φυλονόην, καὶ τὴν Ἐνοδίαν: At Suffridus Petrus mavult ὁδίαν, compitalem Proſerpinam, ſicut Mercurius ὅδιος dictus eſt, viarum præſes. Optime vero Geſnerus & Dechairius Τέννην ὁ Τενέδιος, ex Ciceronis lib. III. de Nat. deor. ibi legendum eſſe oſtenderunt, ut nihil ille locus ad viales deos facere videatur.

Hecaten porro Θεὸν ἐν τριόδοις appellat Theocritus Idyll. β' verſ. 36. quia uti Scholiaſta ibi addit, in viis urbanis ante fores colebatur: ἱδρύοντο, inquit, δὲ Ἑκάτην καὶ πρὸ τῶν θυρῶν, ὡς φησιν Αἰσχύλος,

Δέσποιν' Ἑκάτη, τῶν βασιλείων.
Πρόδομος μελάθρων.

Idque firmat Heſychius: προπύλαια, ἡ Ἑκάτη. Ab eodem Aeſchylo Sept. Theb. v. 455. προϛατηρία: προθυριδία apud Sextum Empiricum adv. Mathem. p. 340. & προθυραία apud Lycophronem appellatur. Ariſtophanes in Veſpis verſ. 798.

Κἂν τοῖς προθύροις ἀνοικοδομήσει πᾶς ἀνὴρ,
Αὐτῷ δικαϛηρίδιον μικρὸν πάνυ,
Ὥσπερ Ἑκάταιον πανταχοῦ πρὸ τῶν θυρῶν,

Et unus ante quiſque cauſidicum fores
Strueret tribunal oppido parvum, velut
Hecatæum ubique delubrum ad fores
ſolent.

Frequentius autem Hecate extra urbes, ruri, in ſilvis, compitis & triviis culta, & ſicut Diana à triviis Trivia, ita ex τρίοδος, τριοδῖτις dicta eſt. Athenæus lib. VII. Δέσποιν' Ἑκάτη τριοδῖτι, τρίμορφε, τριπρόσωπε. *Domina Hecate, Trivia, triformis, triplici facie.* Cauſſa nominis eſt, quia τὴν Ἑκάτην ἐν τοῖς τριόδοις ἐτίμων τὸ παλαιὸν, διὰ τὸ τὴν αὐτὴν Σελήνην, καὶ Ἀρτέμιδα, καὶ Ἑκάτην καλεῖσθαι. *Hecaten antiquitus coluere in triviis: propterea quod eandem & Lunam & Dianam, & Hecaten vocarent*, ait Ariſtophanis Scholiaſtes in Plutum Act. II. ſc. 5. Heic loca umbroſa, luci & nemora, cum aris & ſacellis, Dianæ Hecatæ erant conſecrata; ut ſupra pag. 31. multorum teſtimoniis confirmavimus. *Triviæ lucos, lucoſque Dianæ* generaliter memorat Virgilius: quos apud Epheſios, Epidaurios & Aricinos ſignat ὁ πάνυ ad Callim. pag. 156. Ariciam ſilvam Martialis lib. IX. ep. 65. *Triviæ nemoroſa regna* vocat, & Lucanus lib. III. vſ. 86.

Qua ſublime nemus, Scythicæ qua regna
Dianæ,
Quaque iter eſt Latiis ad ſummam faſcibus
Albam.

In

In triviis etiam ſimulacrum ejus triforme ſtatuebatur, trinis capitibus & multis manibus horrificum: vel ob triplicem, qua pollet, naſcendi, valendi & moriendi poteſtatem: vel quia ſupra terram eſt Luna, in terris Diana, ſub terris Proſerpina: vel ob varias, quas Luna induit, figuras; vel denique quod omnium prope deorum poteſtas triplici ſigno oſtenditur; ut Jovis trifidum fulmen, Neptuni tridens, Plutonis canis triceps, quoniam *Numero Deus impare gaudet*, ait Poëta Ecl. 8. vſ. 75. Atque ita Servius ad Ecl. V. vſ. 66 ex Porphyrio docet, *Apollinis triplicem eſſe poteſtatem, & eundem eſſe Solem apud ſuperos; Liberum patrem in terris; Apollinem apud inferos.* Præ ceteris autem deaſtris tergemina Diana laudatur, ob triviorum curam, cui etiam τρίγλη ſacra fuit, ut Voſſ. in ſyllog. Epiſt. Matthæi p. 102. oſtendit. Inde τρίμορφος apud Chariclidam, in laudato loco Athenæi; *Hecate triformis* à Seneca in Hippolyto, & TRIPLEX DIANA, in epigrammate aræ veteris, apud Gruterum pag. 28. n. 6. nuncupatur. Ovid. lib. 1. Faſt. vſ. 387.

Quæ ſemel eſt triplici pro virgine cæſa Dianæ,
Nunc quoque, pro nulla virgine, cerva cadit.

Idem

Idem Heroid. epiſt. XII. vſ. 79.

Per triplicis vultus arcanaque ſacra
Dianæ,
Et ſi forte alios gens habet iſta deos.

Quæ autem Deæ hujus tergeminæ fuerit forma, de eo non convenit inter eruditos. Lucas Holſtenius, vir doctiſſimus, in explicatione picturæ veteris Nymphæum referentis, tria diverſa ejus fuiſſe corpora exiſtimat, proindeque Deorum trigam, uno ibi ſacello dedicatam, Hecaten triformem interpretatur. At hujus ſententia repugnat ſtatuis, nummis & infinitis Veterum locis, qui Dianam nunquam *trigeminam*, aut *tregeminam*, ut in *l.* 3. *D. ſi pars her. pet.* ſed ter geminam vocant, id eſt triplicem & triformem. Sic Lucretius *tergemini vis Gryonai*, & Catullus de Cerbero, *cui tres ſunt linguæ tergeminumque caput.* Adde Cl. Dukeri, collegæ noſtri, notas ad Florum lib. I. c. 3. Rectius ergo Vir multarum atque adeo reconditarum litterarum notitia Illuſtris, Gisbertus Cuperus, in Monum. antiq. p. 206. unum tantum corpus, cui tria capita fuerint impoſita, ei aſſignat; partim quia ab Orpheo, in Argonauticis τριοσοκέφαλος appellatur, & Artemidorus lib. II. cap. 47. Ἑκάτην τριπρόσωπον, ſuper baſi ſtantem, peregrinationes indicare ſcribit, partim etiam quod Virgilius IV. Æneid. verſ. 511.

Ter-

Tergeminamque Hecaten, tria virginis
ora Dianæ.

Et Ovidius lib. I. Faſt. vſ. 141.

Ora vides Hecates in tres vergentia partes,
Servet ut in ternas compita ſecta vias.

Plenius autem ſic dicendum videtur. Tria Hecatæ fuiſſe corpora, non diverſa tamen, ſed ex uno trunco formata, quibus ſingulis ſuum caput, à ceteris ſeparatum. Huc enim primo epitheta iſta nos ducunt: *Diva triformis*, apud Horat. III. Ode 22. Valer. Flacc. VII. vſ. 395. & Silium I. vſ. 120. *Tergemina Hecate*, apud Auſonium grypho v. 18. *Ternas Hecate variata figuras*, apud Claudianum de raptu Proſerp. lib. I. vſ. 15. Idem præterea multæ illæ (puta ſex) manus, quibus eam horrificam fuiſſe, Minucius in Octavio cap. XXI. prodit, indicare videntur. Illuſtris porro hanc in rem eſt locus Pauſaniæ in Corinthiacis, pag. m. 72. ubi hæc leguntur verba: Θεῶν δὲ Αἰγινῆται τιμῶσιν Ἑκάτην μάλιστα, καὶ τελετὴν ἄγουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος Ἑκάτης, Ὀρφέα σφίσι τὸν Θρᾶκα καταστήσασθαι τὴν τελετὴν λέγοντες. Τοῦ περιβόλου δὲ ἐντὸς ναός ἐστι. ξόανον δὲ ἔργον Μύρωνος, ὁμοίως ἓν πρόσωπόν τε, καὶ τὸ λοιπὸν σῶμα. Ἀλκαμένης δὲ (ἐμοὶ δοκεῖν) πρῶτος ἀγάλματα Ἑκάτης τρία ἐποίησε προσεχόμενα ἀλλήλοις, ἣν Ἀθηναῖοι καλοῦσιν Ἐπιπυργιδίαν. *Præ ceteris vero Diis in primis Hecaten colunt Æginetæ, cujus initia quotannis celebrant. Initiorum auctorem Thracem Or-*

Orpheum perhibent. Maceria templum ambitur; in eo ligneum ſignum factum à Myrone, cujus unicum os, ut corporis truncus unicus. Nam primus, uti ego exiſtimo, Alcamenes Athenienſibus triplex fecit junctis proxime corporibus Hecates ſignum, quam Epipyrgidian Athenienſes appellant. Egregie quoque hoc ipſum patet ex Abraxeis figuris, apud Chifletium n. 56. 57. in quibus unico corpori tria capita & ſex brachia afficta cernuntur. Fabrettus item c. VII. inſcript. pag. 535. lapideam Hecaten ex muſeo ſuo produxit, tergemina manu inſtructam. Optime vero, ad mentem noſtram Rev. Montfauconius tom. I. Antiq pag. 152. ex Peireſcii gaza, triplicem repræſentat, ita ut tres figuræ à dorſo mutuo jungantur, & ora exterius exhibeant, cum cane adſtante. Denique ſententiam hanc confirmant bini nummi, in quibus tres figuræ muliebres exhibentur, obverſis tergis junctæ, tribusque capitibus impoſitis, quarum pedibus canis aſſiſtit. Alterum Philippi Junioris protulit Petrus Abbas Seguinus, in ſelectis ſuis num. alterum Ezech. Spanhemius in lib. de Cæſ. Imp. Jul. fol. 84. Uterque eos ad Furias pertinere credidit; ſed ad Hecaten referendos eſſe, ex aliis ejuſdem generis ſimulacris, oſtendit Michaël Angelus Cauſeus de la Chauſſe, in Deorum ſimulacr. tab. 13.

Pro-

Proxime Dianam Triviam fingebantur canes, tanquam aſſidui ejus in via comites, ut ex laudatis aliisque nummis ſignisque antiquis videre eſt in notis ad Callim. pag. 457. & Cuper Monum. antiq. pag. 197. ubi dea, cum cane ludens, Hecate Enodia eſſe videtur. Origo hujus rei rurſus ab Ægyptiis eſt repetenda; cum enim Iſis Oſirim quæreret, canes eam juverunt, quos ideo in feſto Iſidis pompam præcedere, Diodorus lib. 1. & Ælian. lib. v. Hiſt. anim. c. 45. memorarunt. Similiter Plutarchus, in libro de Iſide, tradit, canes Dianæ ſacratos eſſe; qui Idibus Auguſtis in ejus feſto coronabantur. Papinius lib. 3. Silv. I. v. 57.

- - - ipſa coronat
Emeritos Diana canes, & ſpicula tergit
Et tutas ſinit ire feras: omnisque pudicis
Itala terra focis Hecatæas excolit Idus.

Veri quoque canes, non ſolæ Furiæ, ut Servius non inſcite, Turnebo judice lib. XIII. adverſ. c. 12. interpretatur, Hecates ſacris aderant. Virgilius VI. Æneid. vſ. 25.

- - - viſæque canes ululare per umbram
Adventante dea

Tibullus lib. I. eleg. 2.

Sola feros Hecatæ perdomuiſſe canes.

In ejus ſacrificiis canes immolabantur, non tantum in Samothracia, ſed apud Græcos quo-

quoque & Romanos; uti ex Livio, Plinio, Luciano aliisque Bochartus docuit lib. II. de animal c. 56. Pauſanias lib. III. cap. 14. θύουσι γὰρ, καὶ Κολοφώνιοι μέλαιναν τῇ Ἐνοδίῳ σκύλακα. *Mactant etenim & Colophonii deæ, quam Enodiam appellant, nigrum catulum.* Ovidius lib. I. Faſtor. verſ. 389.

Exta canum Triviæ vidi libare Sapæos,
Et quicunque tuas accolit Hæme nives:

Heſychius ideo etiam canes vocat Ἑκάτης ἄγαλμα, *gaudium Hecates.* Plutarchus probl. cap. 51. *Græci Hecatæ, ſeu Proſerpinæ canem immolabant pro domi naſcentibus.* Et Lycophron denique, in Alexandra, eandem vocat κυνοσφαγῆ, canum mactatricem, verſu 77.

Ζήρυνθον ἄντρον κυνοσφαγοῦς θεᾶς λιπών.

Zerynthi hiatum virginis canariæ linquens. Ubi interpres canes ei ſacros fuiſſe ſcribit, quod ipſorum latratus incantationes ſolvit & monſtroſas viſiones. At Plutarchus probl. 67. purgationis cauſſa id factum autumat. Quidni & ideo, quod canis amicum viatoribus eſt animal, comes fidelis, cuſtos incorruptus & vindex conſtantiſſimus? Narrat Diodorus lib. I. Anubin Deum canina facie repræſentari apud Ægyptios, quod canis Iſidi peregrinanti fuerit corporis cuſtos, dux & ſocius. Et quamvis Plutarchus, in lib. de Iſide & Oſir. vene-

nerationem illam Ægyptiorum circa canes admodum deminutam eſſe, ſcribat, ex quo Cambyſes occiſum a ſe Apim disjici juſſit, & ex omnibus animalibus ſolus canis ad carnes ejus edendas accurrit: id tamen ad quoſdam tractus reſtringendum videtur, nam

- - - *Hic piſcem fluminis, illic*
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam:

Juvenal. Sat. 15. vſ. 8. cecinit. Denique nonne canis, ut viæ ſocius Mercurii Dei Viaci, in nummorum lapidumque monumentis conſpicitur? Ovidius lib. v. Faſtor. verſ. 140. de Lare compitalitio cum cane ſtante:

Compita grata Deo, compita grata cani.

Ceterum illud jam omnibus notum eſt, Hecates iſtud ſacrificium perparcam fuiſſe & impendio frugalem cœnam, quam ditiores quique pauperibus diripiendam in triviis ponebant, trigeſimo cujuſque menſis die. Athenæus lib. VII. cap. 21. Demoſthenes adverſus Cononem pag. 693. & Pollux lib. X. c. 23. ex Sophocle Ἑκαταίας μαγίδας δορπῶν, *Hecatææ magidis cœnam* celebravit. Optime Comici verbis rem omnem declarabimus in Pluto Actus II. Scena V. verſ. 594.

- - παρὰ τῆς Ἑκάτης ἔξεστιν τοῦτο πυθέσθαι,
εἴτε τὸ πλουτεῖν, εἴτε τὸ πεινῆν βέλτιον. φησὶ γὰρ αὕτη

Τοὺς μὲν ἔχοντας καὶ πλουτοῦντας δεῖπνον κατὰ μῆνα προπέμπειν.

Τοὺς δὲ πένητας τῶν ἀνθρώπων ἁρπάζειν πρὶν καταθεῖναι.

- - - ex Hecate hoc ſcire licebit,
Utrum ſatius ſit ditem, quam inopem vivere. Nam ipſamet, inquit,
Opulentos & dites quovis menſe ſibi apponere cœnam.
Inopes vero & egenos prius auferre hanc, quam pæne feratur.

Ubi Scholiaſtes multis tradit: antiquitus cultam in triviis Hecaten, eo quod Luna, & Diana, & Hecate vocabatur. Quolibet autem novilunio divites veſperi cœnam, ut ſacrificium, Hecatæ obtuliſſe, & in triviis collocaſſe, ubi tum pauperes famelici accedentes oblata comedebant, dicentes, Hecaten illa comediſſe.

Ceterum in triviis magis, quam in biviis vel quadriviis, hæc cœna parabatur, quia Luna tres formas generaliſſimas oſtentat, curvatam, dimidiatam & plenam, & tribus nominibus Lucina, Diana & Hecate appellatur. Tempore *novilunii*, quia hoc Lunæ erat ſacrum, quaſi Numini menſium præſidi; notum enim eſt menſes ad Lunæ curſum fuiſſe dimenſos. Intelligitur autem hic tam ultimus menſis dies, quam primus ſequentis: quia tum vetus Luna definit,

ſinit, & nova incipit creſcere ac reparari. *Pauperes* eam comedebant, quia è viliſſimis cibis erat inſtructa, quos inter placentas vidimus ſupra pag. 58. ex farina, melle et oleo confectas. Erant et fictores ſacerdotum, a fingendis libis ita dicti; hæc vero à λείζω, ſtillo, quia pars in ignem ſacrificii injecta, diis libabatur. Plane Diogenes apud Lucianum, in dial. Diog. et Polluc. Hecates cœnam inter Cynicorum cibos refert, et cum purgamentis conjungit, quæ in luſtrationibus ejiciebantur: hæc vero vel calcaſſe nefarium et inauſpicatum habebatur. Inde et Petronius cap. 135. de muliercula pauperrima ait: *Digna ſacris Hecates.* Beatiores enim, qui cœnam inferebant, ipſi nihil inde guſtabant, propter tumultum et fumum, ut prodit Plutarch. Sympoſ. lib. VII. Atque hæc quidem de Hecates cura itinerum terreſtrium ſufficiant.

Priuſquam vero hinc diſcedamus, paucis monendum eſt, Dianam non minus navigationis præſidem et adjutricem fuiſſe: unde λιμενοσκόπός, *portuum inſpectrix*, et λιμένεσσιν ἐπίσκοπος dici meruit apud Callimach. hymn. in Dian. vſ. 39. et 259. ubi notat ὁ πάνυ, tot portuum ac urbium maritimarum nummos, ſicut Epheſi, Smyrnæ, Cumæ, Mytilenes, Cyzici, Byzantii, Ami-

ſi, Syracuſarum, Meſſinæ, Neapoleos, Maſſiliæ, cum ſculptis in iiſdem Dianæ, tanquam tutelaris Deæ, iconibus, in pretioſis nummorum cimelarchiis hac propter reperiri. Nec aliam ob cauſſam ἑξήκοντα χορήτιδας Ὠκεανίνας, *ſexaginta Nymphas Oceaninas*, tanquam comites et pediſſequas, petiiſſe dicitur, apud eundem Callimachum v. 13. et v. 230. μείλιον ἀπλοίας placamentum impeditæ navigationis eidem offertur. Heſiodus Theogonia v. 440.

Καὶ τοῖς οἳ γλαυκὴν δυσμέμφελον ἐργάζονται,
Εὔχονται δ' Ἑκάτῃ, καὶ ἐρικτύπῳ Ἐννοσιγαίῳ.

Et his qui cœruleum mare trajectu difficile exercent,
Votaque faciunt Hecatæ, & valde ſonanti Neptuno.

Venus porro, ſive eadem ſit, quæ Luna, auctore Macrobio lib. VIII. cap. 4. ſive ſtella ſalutaris, à nautis obſervata, et PELAGIA dicta eſt, in lapide Reineſ. cl. I. n. 93. et apud Artemidorum lib. II. c. 42. qui eam, in ſomnis viſam, navigantibus et peregre ituris bonam eſſe ſcribit. φιλορμίστειρα, *navium ſtationi præfecta* dicitur à Philodemo Anthol. I. c. 31. ep. 5. Gnidii *Euplœam* vocarunt, à proſpera navigatione. Ad ejus quoque ſimulachrum Heroſtratus Naucratides, cum tota vectorum turba, ſæviente tempeſtate et navi periclitante con-

confugiens, ſervatus putabatur, apud Athenæ. lib. XV. c. 6. *Marinam Venerem* celebrat Horatius, alii *Pontiam* appellant, quod ortum habet ex ſpuma maris, et ſuſtentata à Tritonibus in cochlea; cujus fabulæ pompam et magnificentiam Rev. Montfauconius repræſentavit tom. 1. Antiq. pag. 166. Huc etiam referri debet, quod ſupra pag. 68. jam attulimus ex Varronis ſecundo rerum divin: *Ex quo de Troja eſt egreſſus Æneas, Veneris eum per diem quotidie ſtellam vidiſſe, donec ad agrum Laurentium veniret, in quo eam non vidit ulterius.* Unde apud Virgilium lib. I. Æneid. vſ. 381. hanc matrem ſuam ducem laudat Æneas:

Bis denis Phrygium conſcendi navibus æquor,
Matre dea monſtrante viam.

Et lib. II. vſ. 801.

Jamque jugis ſurgebat Lucifer Idæ,
Ducebatque diem.

Iſidis denique numen navigantibus maxime ſalutare habebatur, non tantum apud Ægyptios, ſed et Græcos atque Romanos. Erat illa ipſa Natura mater, quæ rerum omnium generationem et conſervationem in ſe continet. *Ego ſum omne quod fuit, eſt & erit*, templo ejus inſcriptum fuiſſe memorat Plutarchus de Iſide. Apud Græ-

cos Megarenſes, Pauſanias in Atticis Iſidis ædem memorat, et in Corinthiacis pag. 48. propter inventam navigationem, eam Pelagiæ nomine honoratam tradit. Nam prope Acrocorinthum ἔστιν, inquit, Ἴσιδος τεμένη ὧν τὴν μὲν Πελαγίαν τὴν δὲ Αἰγυπτίαν αὐτῶν ἐπονομάζουσιν, *ſunt Iſidis fana, alterum Pelagiæ, alterum vero Ægyptiæ cognomento.* Quantus apud Romanos ejus fuerit cultus, vel ſolæ ſtatuæ coloſſeæ evincunt, quas Montfauconius tom. II. Antiq. & diligentius atque elegantius tom. II. ſupplem lib. 6. c. 1. exhibuit. Licet enim Piſo & Gabinius Conſules, A. V. c. 696. ſacra ejus Urbe ejeciſſent, mox tamen vicit ſententia, ut publice coleretur, auctore Dione lib. 40. & 54. idque præter multitudinem templorum & cultorum, de quibus ſupra dixi pag. 99. vel hoc unum evincit, quod quotannis menſe Martio, navigium Iſidi dicari, onuſtumque muneribus largis pelago committi ſolebat. Lactantius lib. I. c. 11. *Certus dies habetur in Faſtis, quo Iſidis navigium celebratur: quæ res docet non tranaſſe illam, ſed navigaſſe.* In Kalendario enim ruſtico apud Fleetwodum pag. 60. feſtum legitur menſis Martii, quod *Iſidis Navigium* appellatur. Qui mos una cum dea ab Ægyptiis petitus. Auctore enim Fulgentio I. lib. Mythol. *Navigium Iſidis Ægyptus colit.*

&

& Lucianus in Navigio teſtatur, Ægyptios naves ſuas grandiores Iſidis ſæpe nomine adpellaſſe, ejuſque effigiem in prora ac pupi effinxiſſe. Hujus etiam tutelæ commiſſos fuiſſe navigantes, idem in dialogis Deorum ſcribit; ſiſtrumque ejus vim ſedandi tempeſtates habuiſſe, doctiſſimus Triſtanus tom. I. Comment. p. 726. ex hoc Petronii loco evincit, cap. 114. *Tu Encolpi, ſuccurre periclitantibus, id eſt, veſtem illam divinam ſiſtrumque redde navigio*, ubi ſimul egregio Commodi nummo lucem fœnerat, in quo Iſis ſiſtrum ſiniſtra, dextra faſciculum frumenti porrigit Commodo, qui navigio pedem impoſitum habet, quaſi promittens tutam navigationem claſſi Africanæ. Inde Delia item ſacra ejus obit, peregre mari abituro amatore, uti Turneb. lib. XVI. Adverſ. c. 4. Propertium recte explicavit lib. I. Eleg. 3. Valerius etiam Flaccus lib. IV. Argonaut. ventorum & maris imperium à Jove ei datum multis deſcribit, atque in hoc finit vſ. 352.

- - Juvet noſtros nunc ipſa labores,
Immiſſiſque ratem ſua per freta provebat Euris.

CAPUT IX.

DE MERCURIO.

Mercurius ὅδιος, ἐνόδιος, εὐόδιος, & ἡγεμόνιος *Græcis, Latinis Viacus, non autem Deus Vius appellatur, uti Scaliger voluit, cujus emendationes rejiciuntur. Mercurius pro Sole cenſitus & magna religione a pleriſque cultus, a Comicis vero conviтiis proſciſſus. Variæ rationes, cur viarum cura ipſi propria, & mari & terra. Fuit petaſatus, deorum internuntius, in triviis cultus, ultor injuriarum viatoribus illatarum. Parœmia* Ἑρμῆς κοινὸς *ex jure Romano, Theophraſto, Phurnuto, Seneca & Novella Leonis illuſtrata. Hermæ in biviis & triviis, a Pelasgis petiti; cur quadrati, ſine lacertis, & veretro longo. Iidem ante januas ædium privatarum, & ante portas urbium. In aliis nulla, in aliis una, in Hipparchicis vero duæ inſcriptiones.* Jer. XXXI. vſ. 21. explicatus. *Quid ſit* ἕρμαιον, κνισσᾶν ἀγυιᾶς, & Ἑρμῆς τρικέφαλος. *Acervi Mercuriales in viis ambiguis accumulati. Ad hos minus recte referri Proverb. XXV. vſ. 8. a Beda, Voſſio & Lipſio. De etymo Mercurii aliorum & nona ſententia allata. Mercurius* κερδῷος, ἐμπολαῖος, *ne-*

negotiator, *nundinator*, *deus mercimonii*, ἐριούνιος *& dives*, *cum marſupio.*

POſt Apollinem & Dianam in viis & ſemitis nobis occurrit Mercurius, Jovis & Majæ filius, gentium univerſarum deus, qui vias, non modo urbanas, ſed & publicas ac militares iter facientibus monſtrat, indeque ὅδιος, *vialis*, ſeu viam monſtrans, ἀπὸ τῆς ὁδοῦ, Græcis dictus eſt, auctore Heſychio et Stephano, in ὁδός; nonnunquam etiam ἐνόδιος, in *via ſeſe offerens* vocatur, iiſdem et Phurnuto teſtibus, cap. XVI. ubi in Aldina eſt εὐόδιος, *bonum fauſtumque iter parans.* Vocatur et ὁδηγὸς, ὁδίτης et ἡγεμόνιος apud Ariſtophanem in Plut. act. V. ſc. 1. vers. 1156. et 1160. Arrianus de venatione cap. 36. inter alia numina à venatoribus haud negligenda, Ἑρμοῦ ἐνοδίου καὶ ἡγεμονίου, Mercurii viarum ducis præſidiſque meminit; item, Pauſania teſte, lib. VIII. apud Megalopolitanos quadrangula figura colebatur Ἑρμῆς τε ἐπίκλησιν Ἀγήτωρ, Huc etiam alludit Maximus Tyrius diſſert. IX. init. ἡγεμόνας παρακαλέσαντες τῆς ὁδοῦ Ἑρμῆν τὸν λόγιον, καὶ Πειθὼ &c. *duces viæ nobis aſſumamus facundiæ præſidem Mercurium*, *Suadam* &c.

Latinis dicitur *Viacus*, in inſcriptione pervetuſta, in Hiſpania Zamoræ reperta,

quam Surita inſeruit præfat. ad Comm. in itin. Ant. p. m. 164. & exſcripſit Gruterus pag. 55. n. 5.

DEO. MERcurio
VIACO
M. ATILIVS
EX. VOTO

De eodem accipiendus videtur lapis, in Brigantum Britannicorum agro inventus, qui eſt in appendice ad marmora Oxonienſia n. 4. pag. 309. & apud Reineſium claſſe 1. n. 141.

DEO. QVI. VIAS
ET SEMITAS. COM
MENTVS. EST. T. IR
DAS. S. C. F. V. L. L. M.

Nam apud Theocritum Senecio Herculi, de Augæo ſciſcitanti, ait Mercurii auſpiciis vias eſſe munitas. Apulejus lib. XI. Mileſ. & in Apolog. *Deum Superûm & Inferûm commeatorem* appellavit.

Quod ſi Joſephum Scaligerum audimus in Catal. Virg. p. m. 242. idem dictus eſt Deus *Vius*. Ita enim colligit ex Epigrammate de mercatore decimas perſolvente Fortunæ Præneſtinæ, quod vet. Epigr. lib. IV. ſic edidit Pithœus & Boiſſard. T. VI. 81.

Fortunæ ſimulacra colens & Apollinis aras
Arcanumque Vii.

Ve-

Verum in inſcriptionibus Mazochii & aliorum eſt *Arcanumque Jovem* : apud Pighium Herc. Prod. pag. 345. & Smetium, teſtes oculatos, exſtat *Ægeriumque Jovem* : atque ita in collectione Gruteriana pag. 72. 5. relatum eſt. Nec magis audiendus eſt Scaliger, cum deos *Vios* apud Servium nobis obtrudit, ad Æn. VII. 678. ubi pro verbis: *Erant etiam fratres, qui DIVI appellabantur*, reponi jubet *Dii Vii*, & apud Solinum cap. 2. ἀντὶ τῶν *Fratrum Digitiorum*, legi vult: *Fratrum Indigetum Viorum*. Reclamant enim Codd. Ms. ut ipſe agnoſcit, & poſt Voſſium de idol. lib. VIII. cap. XI. oſtendit Cl. Henninius, ad Bergierii lib. IV. Sect. 43. Hæc de nominibus Mercurii.

Nunc cauſſas videamus, cur ſtellæ Mercuriali viarum cura tribuatur: ſine his enim putidius forſan videri poſſit, ſtellæ minutæ & rarius apparenti, eum honorem eſſe delatum. Sed multis argumentis oſtendit Macrobius lib. I. Sat. cap. 19. ſecundum gentium Theologiam, Mercurium pro Sole eſſe cenſitum, ejuſque cultum ab eruditis hominibus ad Solis ſidus reduci: hæc vero cum plebs neſciret ex planeta iſto ſingularem ſibi Deum vialem effinxit, & NUMEN SANCTISSIMUM, uti in voto quodam Maximiani Herculii, vel MAXIMUM CON-

SER-

SERVATOREM ORBIS, ob proventus mercaturæ appellavit, apud Reineſ. cl. I. n. 81. Neque mirum videri debet, quod Ariſtophanes in Pluto vſ. 1138. & ſeqq. licentia Comica eum, ut famelicum e trivio lurconem, mangonem fraudulentum, ſordidumque propolam perſtringit: nam & Sophocli apud Athenæ. lib. IX. pag. 409. βοΐκλεψ, *boum fur*, & δόλιος eidem in Philoct. vſ. 134. φηλητῶν ἄναξ, *furum rex* Euripidi Rhæſ. vſ. 217. vocatur; quia una ex Mercurii artibus furtum eſſe credebatur, uti deorum irriſor Lucianus in Cataplo t. 1. p. 423. pluribus monſtravit.

Porphyrius vero apud Euſeb. lib. III. præparat. Evang. cap. 11. oſtendit, Lunam quandoque per Mercurium intelligi, & Hecaten nominari: hæc vero ἐνοδία erat, ut Mercurius Ἐνόδιος. Julianus Imp. Epiſt. 20. *Ducet autem te publicus curſus uno vehiculo & parhippo. Quod ſi eſt præterea optandum aliquid, Enodiam tibi amicam; Enodiumque accerſivimus.* Inde Porphyrius eorum ſacra conjungit lib. II. de abſtin. §. 16. *Unius cujuſque menſis noviluniis Mercurium & Hecaten, coronis ornare & nitidos reddere, quinetiam ture, libis placentis Deos colere.* Patet ergo hic iterum, quam vere Auguſtinus dixerit, quicquid de viarum præſidibus finxerunt

gen-

gentiles, ad Solem & Lunam eſſe referendum. Præſto tamen ſunt & aliæ rationes peculiares, cur vulgus felix fauſtumque iter ab eo expectarit. Credebatur enim eſſe Deorum nuntius, alato qui pede carpit iter, unde Camillum alii, alii in marmore Fellineo p. 190. *meneſtratorem* appellarunt. Loquelæ præerat, ut viam indicare poſſet; hinc ἡγεμόνιος audit, & Lyſtrenſes Paulum credebant eſſe Mercurium, quoniam præibat in loquendo Act. XIV. vſ. 12. Idem ardentem facem manibus geſtans ſolutas corpore animas ducebat illuc, unde negant redire quenquam; auctore Homero, Virgilio, Petronio aliiſque. Hiuc Græci ψυχοπομπὸν, Latini *Orci ſatellitem* vocant, quod animas vehit vel revehit. Ajax quoque gladio incubiturus, apud Sophoclem, invocat πομπαῖον ἑρμῆν καὶ χθόνιον, & femina Ceenſis, mortiferam non prius dicitur hauſiſſe potionem, quam *defuſis Mercurio delibamentis, & invocato Numine ejus, ut ſe placido itinere in meliorem ſedis infernæ partem deduceret*, apud Valer. Max. lib. II. c. 6. n. 8. Denique mercatorum habebatur Deus, qui ejus inſtinctu, ad commerciorum utilitatem, vias munitas eſſe, ejuſque ope fures & latrones arceri vulgabant, ut infra pluribus oſtendam.

Ob haſce igitur rationes Mercurius homines

mines ducere credebatur in via, ejuſque erga viatores ſtudium Homerus Iliad. XXIV. prolixe commendavit: Juppiter enim, de Hectore ſollicitus, eum miſit viæ ducem Priamo, ad Achillem tendenti, illumque ita alloquitur vſ. 437.

Σοὶ δ' ἂν ἐγὼ πομπὸς καὶ κεκλυτὸν Ἄργος ἱκοίμην,
ἐνδυκέως ἐν νηῒ θοῇ ἢ πεζὸς ὁμαρτέων.

Tibi vero ego viæ dux, vel ad inclytum
Argos proficiſcerer,
Sedulo in navi veloci aut via terreſtri comitans.

Ait *navi*, aut *via*: nam θαλάττιος dicitur Euſtathio & aliis apud Begerum num. fol. 87. omneſque libri loquuntur, aſtrorum rationes eum Ægyptios docuiſſe, quod & Manilius cecinit lib. 1. pr.

Tu princeps auctorque ſacri, Cyllenie, tanti,
Per te jam cælum interius, jam ſidera nota,
Major uti facies mundi foret.

Sæpius vero peregrinantis habitu petaſatus exhibetur in nummo gentis Mamiliæ, apud Fulvium Urſinum in hac gente pag. 163. & Choulium pag. 139. in cujus altera facie viator cum baculo & cane, vel, ut alii volunt, Ulyſſes tot peregrinationibus nobilis, & ut multoties alibi, pileatus, ex Nicomachi inſtituto, conſpicitur. vid. Vitruv.

lib.

lib. VII. c. 5. Plin. lib. 35. c. 10. Fabrett. de col. Traj. cap. 7. & in addend. ad tab. Iliad. pag. 379. De Mercurio Arnobius lib. VI. pag. 188. *Cum petaſo gnatus Majæ, tanquam vias aggredi præparet, & Solem pulveremque declinet.* Athenæus lib. XII. eidem petaſum in capite, & caduceum in manu tribuit. Petaſatos autem eſſe ſolitos, qui longo itineri ſe darent, Petrus Victorius lib. 1. var. lect. c. 24. ex Ciceronis lib. XV. Epiſt. 17. declaravit; & vel ex uno Plauto petaſum peregrinantium fuiſſe liquet, Pſeud. Act. II. ſc. 4. ubi fallax ſervus, ut peregrinus videretur, inquit:

Etiam opus eſt chlamyde, & machæra, & petaſo.

Nuntiis præerat, quia ipſe *internuntius* fuit *deorum*, auctore Servio ad lib. VIII. Æneid. vſ. 138. Æſchylus διάκονον, Euripides λάτρον appellavit. Ipſe quoque bonis ſe nuntiis homines afficere affirmat, apud Plautum in prolog. Amphitr.

Nam vos quidem id jam ſcitis conceſſum & datum
Mihi eſſe ab aliis Diis; nunciis præſim & lucro.

In triviis & compitis idcirco cultus a viatoribus, quibuſcum, ut Homerus ait d. lib. XXIV. vſ. 334. ipſi conſueſcere volupe erat. Oreſtes σωτῆρ© nomine cum invocat, apud

apud Æſchylum initio Choëph. Vetus Palladæ epigramma in Antholog. lib. I. cap. 38. n. 9.

Τὸν Διὸς ἐν τριόδοισιν ἐθαύμασα χάλκεον υἱᾶ
Τὸν πρὶν ἐν εὐχωλαῖς, νῦν παρερριπτόμενον.

Jovis in triviis admiratus ſum æneum filium,
Cui prius ſupplicabant, jam vero abjectum.

Idem ſevere vindicabat in eos, qui viam errantibus non monſtraſſent, quod olim in diris erat; & injurias viatoribus illatas ulciſcebatur: nam ira exæſtuat apud Theocritum Idyll. 25. vſ. 3. ubi viatorem lædi videbat:

Ἔκ τοι ξεῖνε πρόφρων μυθήσομαι ὅσθ' ἐρεείνεις,
Ἑρμέω ἀζόμενος δεινὴν ὄπιν εἰνιόδοιο.
Τὸν γάρ φασι μέγιςον ἐπυρανίων κεχολῶσθαι,
Εἴκεν ὁδοῦ ζαχρεῖον ἀνήνηταί τις ὁδίτην.

Tibi vero, hoſpes, libens aperiam quæcunque quæris,
Mercurii gravem iram timens itinerum ducis:
Hunc enim ferunt maxime e cœleſtibus iraſci,
Si quis indigentem itineris averſetur viatorem.

Ab eo etiam proverbium Græcis ἑρμῆς κοινός, de re quam forte in via inveniſſent, & ἕρμαιον, lucrum inſigne, forte objectum,

jectum, & inſperatum, quod ἕρμου δῶρον vocat Libanius in epiſt. 149. ad Belæum, & Mercurio tribuebatur, non tantum quia ἐνόδιος & viarum præfectus erat, ſed etiam LUCRORUM POTENS in vet. inſcript. apud Spon. Miſc. pag. 91. & *Inventor* vocatur, apud Feſtum, voce *Herma*. Hinc Veteres, in jactu quodam, boni ominis cauſa, Mercurium præfari ſolebant, teſte Heſychio, & res inventas ipſi ſacras fuiſſe, Stanlejus ad Æſchyli ſept. contra Thebas 514. oſtendit, qua de re etiam in fine capitis ſequentis quædam dicemus. Phurnutus cap. XVI. Διὰ δὲ τὸ κοινὸν αὐτὸν εἶναι ἔν τε ἀνθρώποις πᾶσι καὶ πᾶσι τοῖς θεοῖς, ὁπόταν τὶς εὕρῃ τι παρά γων ἐν ὁδῷ, σύνηθες ἐπιφθέγγεσθαι, κοινὸν εἶναι τῷ ἑρμῇ ὃς δὴ συνίςωρ. ἐςὶ τῆς εὑρέσεως, ἐνόδιος ὢν, ἐμφαίνοντες ὅτι κοινὸν ἀξιοῦσιν εἶναι, καὶ τῶν εὑρημένων, ἐντεῦθεν καὶ τῶν εὑρημάτων ἑρμαίων λεγομένων. *Ideo autem quod communis tam deorum quam hominum ſit miniſter, ſi quis iter faciens forte fortuna quid invenit, conſuetudo inolevit, ut inventor exclamet: Rei inventæ partem etiam Mercurio competere. Inventionis enim adjutor eſt, cum ſit viarum præſes. Proinde merito acclamant, ſe rei inventæ Mercurium participes facturos: Hinc Græci omnia, quæ forte fortuna reperiuntur,* Ἑρμαῖα, *id eſt, Mercurialia apellant.* Non me fugit tritum illud, apud Ægyptios, Judæos, Græcos

& Biblios celebratum: *Quod non poſuiſti, non tollas*, de quo Joſephus, Ælianus, Laertius aliique: ſed mens hujus legis erat, ne quis animo retinendi tolleret, quod ipſe non poſuiſſet, ſed alius amiſiſſet: talem enim rem qui lucri faciendi cauſa tollebat furti erat reus, etiam Romæ *l.* 43. *§.* 4. *D. de furt.* & Gell. lib. XI. c. 18. Quod autem Plato lib. XI. de LL. hujusmodi res ne quidem tangi, ſed numinis vialis cuſtodiæ relinqui jubet, id nimis Platonicum eſt; cum ubivis gentium res nondum occupatæ vel derelictæ ab inventore tolli, & cum ſociis itineris acclamantibus dividi potuerint. Eleganter ad hunc morem alludit vetus Epigrammatiſta, cujus verſus Antholog. lib. VII. ep. 44. videri poſſunt; & Perſius Sat. VI. *Sum tibi Mercurius.* Alio quidem parœmiam traxit Simplicius in Epict. c. 72. ὁ μὲν λόγος κοινὸς Ἑρμῆς ἐστιν πᾶσι κατὰ τὴν παροιμίαν. *Ratio quidem communis omnibus eſt Mercurius, ut proverbio dicitur.* Uſus etiam vocabuli ἕρμαιον tam late patet, ut non modo lucrum adventitium, ſed rem omnem commodam & utilem notet, uti ex Platone & Athenæo docuit Stephanus, in animadverſ. ad Eraſmi adagia. Verum Apoſtolius triplicem ἑρμαίου ſignificatum, quem omnem explicabimus, recte diſtinguit, cent. 9. Ἕρμαιον κοινὸν, καὶ Ἑρμῆς κοινός] Ἐπὶ τῶν εὑρόντων τι κέρδος.

δ@ ἀποσδόκητον, ἢ κοινὸν ποιησαμένων. ἢ ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς τιθεμένων ἀπαρχῶν, ἃς οἱ ὁδοιπόροι κατεσθίουσι. ἢ ἀπὸ τῶν σωρῶν, οἱ τῷ Ερμῇ ἀνέκειντο. *Mercuriale commune, & Mercurius communis) De iis, qui lucrum aliquod præter opinionem nacti ſunt, idque in commune partiuntur. Aut de primitiis, quæ in viis ponuntur, quas viatores comedunt. Aut ab acervis, qui Mercurio dedicabantur.*

Mercurius ergo Communis proclamabant ſocii itineris & inventoris, non diſſimili parœmia, qua nunc pueri in Germania utuntur, *Halb fund iſt mein.* E Græcis hunc morem notarunt Lucianus in Votis: Κοινὸς Ἑρμῆς, φασὶ, ἢ ἐς μέσον κατατίθει φέρων τὸν πλοῦτον. Heſychius: Κοινὸς Ἑρμῆς, παροιμία ἐπὶ τῶν κοινῇ τι εὑρισκόντων. Theophraſtus in charact. Eth. cap. XI. Καὶ τῶν εὑρισκομένων χαλκῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς πρὸς τῶν οἰκετῶν, δεινὸς ἀπαιτῆσαι τὸ μέρος, κοινὸν εἶναι φήσας τὸν Ἑρμῆν. *Quod ſi quos pueri nummos æreos, ut fit, in via repererint, partem inde ſibi poſcet* (avarus) *illud uſurpans, Mercurium eſſe communem.* ubi Caſaubonus in commentario addit ex Leonis conſtit. Nov. 70. *Itinerum comites cum ſæpe fortuito in rem quampiam incidunt, tametſi uno illo momento pariter non conſpiciant, ejus tamen jus, propter itineris communionem, inter ſe communicant.* De Romanorum non abſimili formula, Phædrus lib. V. fab. 6.

 In-

Invenit calvus forte in trivio pectinem,
Acceſſit alter, æque defectus pilis,
Eja, inquit, in commune quodcunque eſt lucri.
Oſtendit ille prædam, & adjecit ſimul.

Seneca epiſt. 119. *Quotiens aliquid inveni, non expecto, donec dicas, in commune: ipſe mihi dico.* Vide ibi Gronovium in notis, Spanhem. ad Callim. hymn. in Dian. vſ. 70. & Clar. Noodt lib. II. probabil. cap. 6.

Porro in biviis, triviis atque quadriviis in honorem Mercurii erigebantur ſtatuæ quadratæ, quibus impoſitum caput humanum, infra autem epigramma inſcriptum erat, quod viatorem doceret, quo ſingulæ viæ ducerent. Phurnutus de N. D. dict. cap. XVI. ἵδρυται δὲ καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς, καὶ Ἐνόδιος λέγεται, καὶ Ἡγεμόνιος, ὧς ἂν τῷ εἰς πᾶσαν πρᾶξιν ἡγεμόνι χρῆσθαι. Mercurius *vero etiam & in viis collocatur, & Enbodius dicitur & Hegemonius, ſive Dux Viatorum, quia eo duce & auſpice ad omne negotium utuntur.* Simulacra iſta *Hermas* appellant Thucydides lib. VI. & Andocydes orat. περὶ μυστηρίων. Uſum eorum non ab Ægyptiis, ſed a Pelaſgis Græcos mutuatos eſſe, ſcribit Herodotus lib. II. c. 51. Modum eos ponendi & dedicandi elixis leguminibus, Comicus indicat, in Pace pag. 660. Cur quadrati fuerint cubi ſpecie, optime explicat Sui-

Suidas in Ἑρμῶν. Quare brachiis & pedibus caruerint Servius diſquirit ad VIII. Æneid. vſ. 138. Cauſam rigentis faſcini, a feminis, procurandæ ſibi fecunditatis cauſa, culti & exornati, Plutarch. libello εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον & Macrobius lib. I. Sat. c. 18. dederunt. Philippus Athenienſes ſtatuis his comparabat, quæ tantum os habebant & magna pudenda, auctore Stobæo Serm. 2. Strabo lib. XV. hominem brachiis truncatum Hermam appellat; Dio lib. 54. Μειράκιον ἄνευ ὤμων, οἵους τοὺς Ἑρμᾶς ὁρῶμεν. *Adoleſcens ſine humeris, quales Hermas videmus.* denique Pauſanias ἀκώλους ἑρμᾶς vocavit lib. I. c. 4. Depinxit eos, poſt Sponium Miſcell. ſect. 1. art. 4. ex gemmis, nummis ceteriſque monumentis, Montfauconius tom. I. Antiq. pag. 136. & ſupplem t. III. lib. 2. c. 6. n. 6.

Ante januas ædium privatarum, aut in earum atriis & veſtibulis, ἐπὶ τῆς αὐλῆς, in primo domus aditu, ſub dio, eoſdem viſos, docent Athenæus lib. X. c. 10. Cornelius Nepos in Alcib. cap. III. Plutarchus in vit. ejuſdem c. 31. & Heraclitus Epheſius apud Clement. Alexandrin. protrept. ad gentes p. 33. ed. Morell. quorum verba huc adducere nihil attinet. Hinc Comicus in Pluto vſ. 1154. Mercurium στροφαῖον vocat, ſive quod fures a foribus repelleret,

 ut

ut Scholia ibi putant, ſive potius quod στροφεὺς de cardine ædium vulgo diceretur, qua ratione feſti Dianæ στροφαίας etiam meminit Athenæ. lib. VI. pag. 259. Et forſitan, ſi conjecturis indulgere placeat, hinc ratio petenda eſt, cur convivæ diſceſſuri, ultimum poculum, quod Ἑρμῆς, dicebatur, ei libarunt, teſte Athenæo & Polluce. Vid. Meurſ. l. III. animadv. c. 19. & Caſaubon. ad Athenæ. lib. I. c. 25. Audiamus Ælianum lib. II. cap. 41. καὶ τὸν στέφανον λαβὼν, ὅτε ἐπανήει μετὰ τὸ δεῖπνον, τῷ Ἑρμῇ τῷ πρὸ τῶν θυρῶν ἑστῶτι ἐπέθηκεν αὐτὸν, κατὰ τὸ ἔθος τῶν ἔμπροσθεν ἡμερῶν. *Sumta corona, cum à cæna reverteretur, Mercurio, qui ſtabat ante fores, eam impoſuit, juxta priſcam conſuetudinem.* Veteres Critici ad Comicum Σφηκ. 699. ἔθος εἶχον Ἑρμῆν ἱδρύοντες πρὸ τῶν θυρῶν, *erat iis in more, Mercurium erigere ante fores ædium.* In veſtibulo Cœli, & in aditu Dionyſii regiæ, ejuſdem προπυλαίου ſtatuam exſtitiſſe, docet Virorum maximus ad Callimachum pag. 231. Scholiaſtes Juvenalis ad Sat. VIII. verſ. 49. *Hermas Athenienſes ante januas pro religione poſitos habuere.* Athenis item ad porticum, Mercurius ex ære fuit, Ἑρμῆς ὁ πρὸς τῇ Πυλίδι, *Mercurius, qui ad portulam* dictus; cujus Demoſthenes contra Euergum, Pauſanias, Harpocration & Suidas meminere. Alius erat Mer-

cu-

curius, in Delphinio, ante templum poſitus, qui Ἑρμῆς ἐπ' Αἰγέως πύλαις, *Mercurius ad Ægei portam* dicebatur, auctore Plutarcho, in vita Theſei.

Duas vero inſcriptiones ſtatuæ hæ Mercuri aliquando habebant, unam in ſiniſtro latere, quæ exponeret, cur in medio Urbis ſtaret populive, altera, quæ præceptum aliquod ſapientiæ contineret, ut *Noſce te ipſum*, *Ne quid nimis*. Auctor hujus rei fuit Hipparchus, Piſiſtrati filius, quo eos, qui in agris habitabant, erudiret, ſi in Urbem veniſſent, ut Plato in Hipparcho pluribus docuit, allatis etiam inſcriptionum exemplis v. c.

Μνῆμα τόδ' Ἱππάρχου στεῖχε δίκαια φρονῶν.
Præceptum Hipparchi eſt, Juſtitiam colito.

Verum hoc accipiendum eſt de Mercuriis, qui Ἱππάρχιοι Ἑρμαῖ apud Harpocrationem, Suidam & Heſychium dicuntur. In aliis vero una, in aliis nulla inſcriptio legebatur. Ulpianus Demoſthenis Scholiaſtes: ξύλα ἢ λίθοι τετράγωνοι ἦσαν, ἔχοντες ὄψιν Ἑρμοῦ ἐπάνω, κάτω δὲ ἐν τῷ πλάτει τὰ ἐπιγράμματα. *Hermæ erant ſtipites, aut lapides quadrati, habentes ſurſum vultum Mercurii, deorſum, in latiore trunco, inſcriptiones.*

Illud non prætereundum eſt, quod ad hoſce Mercurios Junius & Tremellius re-

tulerint ציונים ſtatuas, Jeremiæ XXXI. vſ. 21. *Statue tibi hermas, diſpone tibi pyramidas; adhibe animum tuum ad iſtum aggerem, qua via iviſti: revertere virgo Iſraelis*; alii vero ex nexu intelligunt ſtatuas ſepulchrales, de quibus Nicolaus de ſepulchr. Ebræor. l. IV. c. I. Ego commendo Siculi Flacci monitum de condit. agror. p. 4. conſuetudines Judæorum intuendas eſſe: *quoniam*, inquit, *ſepulchra in extremis finibus facere ſolebant, & cippos ponere, ne aliquando cippus pro termino, aut herma errorem faciat: nam & in locis ſaxoſis & ſterilibus ſepulchra faciunt.* Notum eſt illud Maronis:

Monte ſub hoc lapidum tegitur Balliſta
ſepultus.

Ad Hermulas Græcorum porro in viis, ad recreandos viatores, & in honorem Mercurii, primitiæ apponebantur, quemadmodum ad Hecates ſtatuas cœna. Suidas: ΕΡΜΑΙΟΝ, τὸ ἀπροσδόκητον κέρδος ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς τιθεμένων ἀπαρχῶν, ἃς οἱ ὁδοιπόροι κατεσθίουσι. HERMAEUM, *lucrum inſperatum ex poſitis in viis primitiis, quas peregrinantes comedunt.* Vicorum quoque luſtratio Athenienſibus oraculo mandata ad ſtatuas has fiebat. Demoſthenes adv. Midiam: χοροὺς ἱστᾶναι κατὰ τὰ πάτρια, κνισσᾶν ἀγυιάς. *Choros ritu patrio inſtituere, vicos nidore implere.* Quod Ulpianus

anus, doctiſſimus ejus Scholiaſtes, explicat, ſacrificare ad ſtatuas Mercuriales. Αγυιὰς enim vocabant Mercurios per privationem; eo quod neque pedes, neque membra haberent, γυῖα enim membra ſunt, & hæc non ſolum in genere, ſed pedes in ſpecie ita dici, notant Nicandri Enarratores ad Ther. p. 56. γυῖα δὲ νῦν τοὺς πόδας. quod Vlpiani explicationem valde confirmat, quia Hermæ ſine pedibus fuerunt. Harpocration tamen, in v. ἀγυιᾶς, circumflectendum putat, tanquam deductum ab ἀγυιεύς, juxta Atticorum dialectum: tunc vero ſignificabit Apollinis columnas, ante fores collocatas. Ceterum ejuſdem phraſeos meminit Ariſtophanes, in Equitibus vſ. 1317. & Avibus vſ. 1233. Apud Lucianum quoque Prometheus inter alias rationes, cur ignem e cœlo ſuſtulerit, & hominibus uſum ejus indicaverit, hanc adfert, ὅπως ἔχοιεν κνισσᾶν ἀγυιᾶς, quo in biviis & ante fores adium, Diis nidorem pararent. vid. Pollucem lib. 1. ſect. 28.

Ad Hermas porro quod attinet, illi unum plerumque caput æneum vel marmoreum habebant, auctore Cicerone ad Attic. I. 7. & Juvenale Sat. VIII. verſ. 53. bifrontis autem Mercurii meminit Nazianzenus ad Nemeſium, & Athenis Mercurius, ex inſtituto Patroclidæ, ad viam Veſ-

tam, tribus capitibus fuit cultus; vel quia rem habuit cum Hecate tricipiti, atque tres ex ea filias ſuſtulit, vel quia in trivio poſitus, uti τετρακέφαλος in quadriviis, & in ſingulis capitibus inſcriptionem habebat, quo duceret hæc via, quo rurſus illa. Meminit Etymologici Auctor in τρικέφαλος ὁ Ἑρμῆς, Apoſtolius Cent. XIX. Prov. 51. Suidas, & pleniſſime Harpocration: Τρικέφαλος ὁ Ἑρμῆς ὥσπερ διδάσκων τὰς ὁδοὺς, καὶ ἔχων ὑπογραφὴν, ποῦ μὲν αὕτη φέρει ἡ ὁδὸς, ποῦ δὲ ἐκείνη. ἴσως δὲ πρὸς ἑκάστην ὁδὸν κεφαλὴν εἶχεν. ἔστι δὲ ὁ ἀναθεὶς τὸν Τρικέφαλον Ἑρμῆν (ὡς φιλόχορός φησιν ἐν τρίτῃ) Πατροκλείδης, Ἱππάρχου ἐραστής. *Triceps Mercurius, ut monſtrator viarum, & cui ſubſcriptum, quonam hæc via, & quonam illa duceret. Forte autem caput ad viam unamquamque converſum habuit. Qui Mercurium Tricipitem dedicavit, ut Philochorus refert libro tertio, eſt Patroclides, Hipparchi amator.*

Circum Hermulas, aut ſi illi deficiebant, loco eorum accumulabantur acervi lapidum; quos paucos primum conjectos ac diſpoſitos, dein ex pietate, an ſuperſtitione, viatorum quiſque præteriens crebro jactu, in honorem Mercurii, augebat; eos vero Ἑρμαῖα, Ἑρμαίους λόφους, & Ἑρμακας vocabant, ut Etymologici Magni auctor, Suidas & Euſtathius docuerunt. Meminit eo-

eorum Strabo lib. XVII. pag. 1173. Homerus Odyſſ. II.

Ἤδη ὑπὲρ πόλιος, ὅθι δ' Ἑρμαῖος λόφος ἐστιν,

Jam ad locum urbi imminentem, ubi Mercurialis eſt acervus.

Tzetzes Chiliad. XII.

Ἑρμῆς ἡ σύμπας ἀνδριὰς, ἡ ὁ σωρὸς τῶν λίθων.

Herma eſt, & omnis ſtatua, & acervus lapidum

Heſychius: Ἑρμαῖος λόφος, τοὺς σωροὺς τῶν λίθων Ἑρμᾶς τοὺς ἐν ταῖς ὁδοῖς γινομένους εἰς τιμὴν τοῦ Θεοῦ, Ἐνόδιος γάρ ἐστι. *Mercuriales acervi.* intellige *acervos lapidum Mercurii, qui fiunt in viis, ad honorem ejus dei; eſt enim Deus Vialis.* Ipſe cumulus de ſe ita loquitur in Anytæ epigrammate IV. Antholog.

Ἱερὸν Ἑρμείῃ με παρερχόμενοι ἔχευαν

Ἄνθρωποι λίθινον σωρὸν - - -

Sacram Mercurio me prætereuntes fuderunt

Homines lapidum congeriem.

Quemadmodum innumeræ terminorum erant differentiæ, ita ſimiles acervis his erant monticelli, pro terminis erecti, quos Auctores de agris limitandis vocant *ſcorpiones*, quia in metam deſinebant. Siculus Flaccus pag. 4. de condit. agror. *Alii congeries lapidum pro terminis obſervant, & ſcorpiones appellant.* Sed horum lapides ſemel congerebantur, acervi autem Mercuria-

riales ſenſim ex jactu prætereuntium creſcebant, ut cecinit Severus Ætna vſ. 104.

- - - *Qualis acervus*
Exilit, imparibus jactis ex tempore ſaxis.

Loca ubi congerebantur erant viæ ambiguæ, trivia & quadrivia, etiam collium montiumque cacumina, quo è longinquo videri poſſent, teſte Frontino, de coloniis, & Iſidoro in Gloſſis: *Mercurius*, inquit, *lapidum congeries in cacumine collium.* Rupertus ad Flor. l. 1. c. 7. mavult *in cacumen collium*, id eſt, in formam cacuminis collium; ſed forſan aliter fuit apud alios, & plerique acervi in viis planis, rariores in collibus: nam, ut jam obſervavit Aleander, Mercurius in clivo quodam poſitus ita conquerens inducitur eod. lib. IV. Antholog.

Non enim montibus delector Hermes, nec
in collibus verſor ſummis
Sed ut plurimum itineribus gaudeo.

Ἕρμακες dicuntur Nicandro in Theriaca, ubi Scholiaſtes explicat λιθοὺς σεσωρευμένους εἰς τιμὴν τοῦ Ἑρμοῦ. Rabbinis מרקולים *Merkolis*, ſive *Marcolis*, voce ex Mercurii nomine depravata, vt omnes facile agnoſcent. R. Maimonides de idololatria cap. III. §. 2. ex interpretatione Dionyſii Voſſii. *Mercurius cujus cultus in eo erat, quod lapides in eum conjectarent, vel coram eo ſpargerent.* Ad hunc

mo-

morem reſpexiſſe ſapientiſſimum Iſraëlitarum Salomonem Proverb. XXV. vſ. 8. exiſtimat vulgatus interpres, quem tuetur Martinus Delrius in Adagial. ſacris. Nec ab eo diſcedunt Beda, Voſſius lib. II. de idol. cap. 32. Lipſius cent. v. epiſt 5. aliique Sed varie is locus tranſlatus eſt a Græcis, & interpretum recentiores, vocem Hebræam מרגמה *Margemach*, cum Chaldæo *fundam* aut *baliſtam* tranſtulere; nec quicquam ille Sapiens de profano hoc ritu. Vide Seldenum De Diis Syris Synt. 2. cap 15.

Ceterum cauſſas horum λόφων Ἑρμαίων Mythologi gentilium attulerunt non unas, quas ipſis eorum verbis proponam. Et ecce tibi Phurnutum dicto cap. XVI. cujus verba, quia prolixiora ſunt, ſemel, id eſt, latine tantum, ex verſione Conradi Clauſeri appoſuiſſe ſufficiat; ſunt autem iſta: *Statuis Mercurialibus accumulant lapides. Quilibet namque eorum, qui ejus ſtatuam prætereunt, lapidem adjicit. Cauſæ autem ejus rei ſunt plurimæ. Una eſt, quod quilibet utile quiddam faciat, quod ad communem omnium ſpectet utilitatem, dum viam purgat. Altera, quod obteſtetur Mercurium lapidis adjectione, & ſuum declaret in ipſum honorem, quaſi nihil nunc occurrat quod offerat. Alia eſt, quod ſtatuam Mercurialem prætereuntibus manifeſtiorem faciat adjectione lapidum.*

Por-

Porro alia eſt, ut per lapides ſignificetur, ex parvis & modicis partibus conſiſtere orationem. Addamus Euſtathium ad Odyſſ. Π. verſ. 11. Οἱ δέ φασιν, ὅτι Ἑρμαῖος λόφος σωρὸς λίθων ἐστὶν ἐνόδιος, καὶ βωμὸς ἢ λόφος ὑποκείμενος Ἑρμοῦ ἀνδριάντι. Ἄλλοι δὲ νοοῦσιν Ἑρμαίους κοινῶς λόφους, σημεῖα ὁδῶν κατὰ ποσήν τινα διάστασιν μιλασμοῦ τυχὸν ἢ σταδιασμοῦ. Ἑρμῆς γάρ φασι πρῶτος, οἷα κήρυξ καὶ διάκτορος καθήρας τὰς ὁδοὺς, εἴπου λίθους εὗρεν ἀπελίθε ἔξω ὁδοῦ. ὅθεν τοὺς τοιοῦτόν τι ποιοῦντας, καὶ τὰς ὁδοὺς τῷ Ἑρμῇ, ὡς διακτόρῳ ἐκκαθαίροντας, εἰς τιμὴν Ἑρμοῦ τοὺς τοιούτων λίθων σωροὺς Ἕρμαια ἢ Ἑρμαίους λόφους καλεῖν. Hoc eſt: *Alii dicunt, quod Mercurialis tumulus ſit acervus lapidum, in via collocatus, aut ara, aut tumulus Mercurii ſubjectus ſtatuæ. Alii vero Mercuriales communiter accipiunt tumulos pro ſignis viarum, juxtam aliquantam earum intercapedinem, milliari fortean, ant ſtadio reſpondentem. Ferunt enim primitus Mercurium, tanquam caduceatorem & internuntium, purgandis itineribus lapides, ſi quos inveniret, extra viam ſepoſuiſſe: unde exiſtimant, ſi qui id imitentur & internuntio . eorum Mercurio vias expurgent, eos in honorem Dei ejuscemodi ſtrues Hermæa, vel colles Hermæos appellare.* Plura de his annotarunt Stephanus in Theſ. linguæ Græcæ, Aleander in expoſit. Tab. Heliacæ, ſub titulo *Cumuli lapidum*, Bergierius de publ. & milit.

imp.

imp. R. viis lib. IV. c. 43. & ad eum Henninius, Ouzelius ad Minutium, & quos præterea longa referre mora eſt. Addo tantum verba laudati Aleandri, ſolertiſſimi antiquitatum indagatoris, dicto loco: *Ceterum profanus hic mos ad hanc usque diem viget quibusdam locis penes ruſticos, ac prorſus ignaros homines: Siquidem iter facientes ſaxa aut glebas ad ſacella congerunt, quæ in triviis aut quadriviis excitari ſolent. Interrogati quidam in agro Patavino, cur id agerent? nimirum reſponderunt, ut viæ faſtidium allevetur. Idque ajebant ab antiquis quaſi per manus traditum.*

Antequam Mercurium mittamus, non injucundum erit vidiſſe, unde is nomen tulerit, id quod a viris doctis nondum ſatis demonſtratum eſt. Qui a *margemah* deducunt nimis aberrant. Plerique quaſi *mercium curam* dictum volunt. Servius ad Virgil. lib. VIII. Æneid. vſ. 138. quoſdam ait, *Mercurium*, quaſi *Medicurrium*, a Latinis dictum velle, quod inter Cœlum & Inferos ſemper incurrat. Doctiſſimo Thomaſſino placet radix *machar*, vendidit, unde & *mercari* derivat, non inconcinne! niſi majori jure verbum רכל *Rachal* ejus originem ultimam ſibi vendicare poſſit: a rachal enim in uſu eſt *marcoleth* negotiatio. Abjecto thau ultimo reſtat *marcol*,

col, aut *mercol*, quo magis an quid cum *mercur* conveniat, viderint Eruditi. Mecum ſane hanc conjecturam, inter familiares ſermones, olim communicavit Vir. Cl. Joh. Philippus Heinius, cui hæc μήνυτρα lubens meritoque ſolvo, nulluſque dubito, quin plures mecum habiturus ſit adſtipulantes. Neque enim vendentibus tantum, ſed omnibus negotiantibus præeſt Mercurius, propter eloquentiam: atque ideo *Deus mercimonii* apud Servium ad VIII. Æneid. vſ. 138. NEGOTIATOR in lapide Gruteri I. pag. 55. & in alio NUNDINATOR appellatur. apud Reineſ. cl. I. Inſcr. 80. & Spon. Miſcell. pag. 92. Græcis Ἑρμῆς ἐμπολαῖος, ἀγοραῖος, κερδῷος & ἐμπολαῖος dicitur, apud Ariſtophan. in Pluto vſ. 1156. Lycophron. in Caſſandr. vſ. 208. & Ariſtidem, hymno in Mercur. p. 26. In nummo Poſtumi marſupium tenet, ut & in ſtatua, apud Gallos reperta, quam Chamillardius ſingulari diſſertatione illuſtravit. Τῶν ἐμπορικῶν Ἔφορον ὅθεν τὸ ἄγαλμα, αὐτοῦ ἱςῶσι βαςάζον μάρσιπον, ajunt Suidas & Codinus. Κέρδιςον ἐν ανθρώποισι νόημα, *lucroſiſſimum inter homines ingenium* vocatur Oppiano ἁλιευτ. III. 9. Nauſicles, mercator Ægyptius, ſacrificat Ἑρμῇ ἀγοραίῳ καὶ ἐμπορικῷ apud Heliod. lib. V. Æthiop. c. 4. ἐριούνιος, *valde utilis* apud Homer. Iliad. ω. vſ. 457. & in vetere in-

inſcriptione apud Fleetwood pag. 50. dicitur, quam Reineſius illuſtrat ad cl. 1. n. 81. Auſonius in epiſt. ad Paullinum *Divitem* appellavit. Eidem mercatores Romani, ad aram Cyllaram, in via Appia, prope Almonem fluvium, mactabant agnum. reperta fuit ara illa in vinea Valentinorum, cujus inſcriptio eſt apud Gudium pag. 36. n. 3. Ovid. lib. V. Faſtor. vſ. 671.

Te quicunque ſuas profitetur vendere merces,
Ture dato tribuas ut ſibi lucra, rogat.
Eſt aqua Mercurii portæ vicina Capenæ:
Si juvat expertis credere; numen habet.

Denique pulcra eſt inſcriptio, Lugduni in Gallia reperta prope portam, apud Menetr. præp. hiſt. Lugd. p. 36. &c, qui eam explicat, Fleetwoodum pag. 167.

MERCVRIVS HIC LVCRVM
PROMITTIT APOLLO SALVTEM
SFPTUMANUS HOSPITIUM
CUM PRANDIO QUI VENERIT
MELIVS VTETVR POST
HOSPES VBI MANEAS PROSPICE.

CAPUT X.

De Hercule.

Inter deos medioxumos, virtutis ergo, in cœlum receptos, eminet Hercules, ab Harochel, mercator, Tyriis dictus. Relatus eſt inter deos viales, quia viatoribus iter aperuit, & Phyſice idem eſt, qui Sol. Cur Tricoſus & Aſtrologus dictus. Ab auxilio, quod viatoribus præſtabat, σύμμαχος, σωτήρ, ἀλεξίκακος *& Servator vocatur. Quare tituli Marti proprii, Pollentis, Invicti & Defenſoris ei tributi. Sæpius Comes, Conſervator, Cuſtos & Claviger appellatus. Hercules ſanctus, & ſanctiſſimus, idem qui Semo Sancus, in lapide, perperam a Juſtino martyre deſcripto. Cur Saxanus dicatur variorum ſententiæ excuſſæ. Templa & aræ ejus in viis, ripis & litoribus maris; nec tamen proprius deus marinus. Ara ejus Maxima Romæ, in foro boario, ad quam viatores pro itu & reditu, mercatores pro lucro, & Imperatores ex ſpoliis decimas vovebant. Ejus rei origo num a Judæis, an vero a Tyriis. Herculis quæſtus maximus, ex decimis ſolenniter ipſi ſolutis. l. 2. §. 2. D. de*

de pollicit. explicatur. Sacrificium propter, id eſt, prope viam, cum Paſchate collatum, ad Exodi XII. vſ. 10. *Macrobii locus corruptus, ab Eraſmo non intellectus. Statuæ Herculis in biviis, Hermis ſimiles, vel ob muneris affinitatem ſtatuis Mercurii junctæ. Hercules* κερδῷος *à ſtudioſis rei faciendæ cultus, tanquam dator theſaurorum, qui idcirco Dei beneficium & θεȣ̃ δῶρον appellantur, in l. un. C. de theſaur. & Nov. Leon.* 61.

Enarravimus principes viarum Deos, qui ad Solem & Lunam referuntur. Nunc & heroës, ſemidei & indigetes, propter virtutes cœlo recepti, in tabulas mitti poſtulant. Qui enim de genere humano bene erant meriti Viri præſtantes, fœda adulatione, apud Græcos & Romanos, in Deos referebantur. Cicero lib. I. de nat. Deor. cap. 15. *Perſæus, Zenonis auditor eos, dicit, habitos Deos, à quibus magna utilitas ad vitæ cultum eſſet inventa, ipſaſque res utiles & ſalutares Deorum eſſe vocabulis nuncupatas.* & lib. II. de Nat deor. c. 24. *Suſcepit vita hominum conſuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Caſtor & Pollux.* Plinius lib. II. Hiſt. nat.

gentes ſuperarunt, &, Tibullo teſte: *prima ratem ventis credere docta Tyrus;* ſic & eorum mercatores longinquis profectionibus, & coloniis deductis, mariſque imperio adeo erant celebrati, ut Lucianus in Toxari ſcribat, nullos eſſe θειοτέρους ἐμπόρους *diviniores mercatores* Phœnicibus. Strabo lib. XVI. pag. 749. eos ἐμποριкоὺς, Ælianus lib. IV. c. 20. ἐμπόρους appellavit, & ſtudium mercaturæ in iis Homer. Odyſſ. o. vſ. 414. & Joſephus lib. I. contra Apion. celebrarunt. Eorum itaque fama per colonias Phœnicum in Cypro, Ægypto, Bithynia, Græcia, Illyrico, Sicilia, Hiſpania, Gallia, Africa & alibi divulgatâ, atque indies magis magiſque increbeſcente, Mercatorum ac peregrinantium Præſes, à genere vitæ, *Hercules* dictus eſt. Dein cum *omnes qui fecerant fortiter, Hercules vocabantur*, ut Varro ait apud Servium ad VIII. Æn. 564. numerus eorum ad tres & quadraginta excrevit, et Herculum Argivi, Libyci, Tyrii, Ægyptii, Thebani et aliorum, qui feruntur, facta cœperunt inter ſe confundi. Quapropter Græci uni Thebano omnium res geſtas, cum Phœnicio hoc nomine, tribuerunt, non tam genus vitæ, quam famam reſpicientes. Varro lib. IV. de LL. Herculis vocem Græcam eſſe, ait, ſed ipſis Græcis ejus vocis

ſignificatio latebat: unde tam varias et frivolas etymologias commenti ſunt; quarum copiam videre eſt apud Ælianum lib. II. cap. 32. ubi ſuadeo ut videas, quæ annotavit Eruditiſſimus Perizonius in notis. Illud conſtat, quod Thebanus iſte, dum inter homines egit, ab infantia dictus eſt. Ἀλκαΐδης, *Alcides*; παππωνυμικῶς, ut Suidas ait, ab avo ſcilicet, patre Amphitryonis, qui nonnullis Ἀλκαῖος, vel Ἀλκεὺς dicitur. A robore et viribus qui nomen ei inditum volunt, refelluntur à Servio ad VI. Æneid. vſ. 392. *Sane Alciden volunt quidam dictum*, ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, *id eſt, à virtute, quod non procedit: quia à prima ætate hoc nomen habuit ab Alceo patre Amphytrionis. Et ſcimus agnomina ab accidentibus dari.*

Hic vero Hercules per apotheoſin etiam inter deos viales eſt relatus; quod credebatur peragraſſe totius univerſi terras, vias muniiſſe & ſtraviſſe, ac latrones, belluas, monſtra, hoc eſt tyrannides, vitia & quidquid viatoribus infeſtum eſſe poteſt, domuiſſe. Eleganter Dionyſius Halicarnaſſ. lib. I. Antiquit. cap. 41. non ex fabulis, ſed ex opinione vulgata, quæ ad veritatem propius accedit; *Hercules*, inquit, in editione Joannis Hudſoni, *quum omnium ſuæ ætatis imperatorum eſſet præſtantiſſimus, magnasque copias ductaret, peragravit quidquid*

quid terrarum Oceanus cingit, evertens omnem tyrannidem, ſi qua populis ſubjectis gravis ac moleſta eſſet, aut ſi quæ civitas ſuis contumeliis ac injuriis vicinos principatus inveſtaret immanis vitæ genere, & nefariis hoſpitum cædibus gaudens: & regna legitima & moderatas reſpublicas conſtituit, & mores humanos ac ſociabiles in vitam induxit. Præterea verſatus eſt cum Græcis & barbaris, cum maritimis & mediterraneis hominibus, qui ante ſine fide & ſine ullis contractibus commercium inter ſe habebant: & in locis deſertis urbes condidit & fluvios avertit, qui campos inundabant; & in montibus, ad quos nullus patebat aditus, rupes ſecuit; UT VIATORIBUS ITER APERIRET; & cetera molitus eſt, ut omnis terra & mare omnibus commune eſſet, omniumque uſibus inſerviret.

At vero quod Macrobius ait lib. I. cap. 17. *appellationes Deorum ad Solem, certa & ARCANA ratione referri*, id & in noſtro Heroë obſervare licet. Tot enim fabulis & mendaciis hiſtorica fide comtis eſt involutus, ut vix dignoſci queat. Ipſe à vanis tricis *Tricoſum* ſe appellatum conqueritur, in epigrammate vetuſto, ſub ſigno ejus in baſi marmorea Romæ, Grut. pag. 50.

ALCMENAE. JOVIS. ET. MAGNI
FORTISSIMA. PROLES
TRICOSUS. SUBITO. POST. MEA
FACTA. VOCOR

Si vero ſublatis Poëtarum involucris, miſſaque hiſtoria, rem phyſice conſideremus, Hercules nil aliud eſt, quam Solis vis, poteſtas & varia virtus in inferiora mundi corpora. Inde *Aſtrologus* appellatur, et ſtellifer, et horarius in ſtatuis repræſentatur, qui cœlum geſtat, aſtra temperat, atque diei ſtationes æquas partitur. Inde Græcis Ἡρακλέης, quaſi Ἥρας κλέος, *aëris decus & gloria* dictus apud Macrob. lib. I. cap. 20. et labores duodecim ſunt totidem Zodiaci ſigna, quæ annuo circuitu Sol perambulat. Euſebius lib. III. Præparat. Evangel. admiratur impudentiam Ethnicorum, qui *ſolem*, *modo Apollinem*, *modo Herculem*, *modo Bacchum* dicere non vereantur. Non aliam vero ob cauſam ſagittis et arcu armatur. vid. Hieronymum Aleandrum in expoſit. tab. Heliacæ, ſub. tit. *Hercules Sol*, Voſſium lib. II. de orig. idol. cap. 15. & Pighii Hercul. Prodic. p. 257.

Non mirum ergo, quod Hercules, pariter ac Apollo, peregrinantium ſocius, ſatelles, comes & cuſtos habitus eſt, ac σύμμαχος Apollodoro I. Biblioth. Σωτὴρ καὶ Παραστάτης Pauſaniæ Eliac. I. II. χρηστὸς καὶ σωτήριος

τοῦς

τοὺς ἀνθρώπους, *benignus & ſalutaris hominibus* Philoſtrato vocatur, vit. Apollon. lib. 8. c. 7. In nummis quoque Thaſiorum, Stymphaliorum Arcadum, et Smyrnæorum ΗΡΑΚΛΕΩΣ ΣΩΤΗΡΟΣ memoria occurrit, apud Vaillant. num. Græc. Imp. p. 26. eamque appellationem ipſi Dio Chryſoſtomus, ut Tyrannorum everſori, alii ut Soli vindicarunt. Is enim radiis ſuis, potentia ac calore viatores comitatur, mala quævis diſpellit, ac novas vires corporibus feſſis infundit. Unde et Hercules non minus atque Apollo, ἀλεξίκακος appellatur, apud Lucianum, Heſychium et Macrobium; ἀποτροπαῖος apud Philoſtratum dict. c. 7. ibique Olearius in notis. Porphyrius apud Euſeb. III. Præp. Καθ' ὃ δὲ ἀλεξίκακός ἐστι τῶν ἐπιγείων ὁ ἥλιος, Ἡρακλέα αὐτὸν προσεῖπον, *eo quod mala ab inferioribus hiſce Sol procul expellat, Herculem ipſum dixerunt.* Hinc quoque Hadrianus Auguſtus, in nummis HERCULES SERVATOR., ſive AVERRVNCVS dictus eſt, quod provincias circumiens Procuratores et Præſides, quovis monſtro ſæpe deteriores, ſeveriſſimis ſuppliciis affecit, *nec quiſquam fere principum tantum terrarum tam celeriter peragravit*, ait Spartianus in Hadriano cap. 13. ubi plura Caſaubonus notavit, Spanhemio ſuffragante Diſſ. XII. de Præſt. p. 492. Alibi titulis

Marti propriis ornatur, quia Martis planeta a multis Herculis ſtella dicebatur, ut Plinius, Apulejus & alii docuere. Inde HERCVLI. POLLENTI. POTENTI dedicatur inſcriptio apud Gruter. pag. 50. 3. & pag. 315. 7. locus ſepulturæ cultorum HERCVLIS. DEFENSORIS. POLLENTIS. INVICTI memoratur. Severus *HERCULIS DEFENSORIS* elogio honoratus eſt, in antiquo numiſmate, apud Triſtanum t. III. p. 71. ſicut vero Herculi deo, cognomine eodem, gratum ſe præſtat redux viator, apud Gruter. pag. 45. 12.

HERCVLI. DEFENSORI
PRO. REDITV. ET. ITV
. D. CLODI. SEPTIMI

Sæpius Hercules *Comes* & *Cuſtos* dicitur. Ineditam adfert Celeb. Grævius, in præfat. ad tom. X. Theſ. Antiq. Rom.

HERCULI. COMITI
. CONSERV. SACR
L. AELIVS. L. F. ESQ. PENIO
MIL. COH. VI. VIG. EX. V. S.

Similes complures dedit Gudius pag. 32. & 33. ubi n. 4. L. Curius Aſper. PRÆFECT. PEREGRIN. HERCULI CUSTODI. COMITI. CONSER. ita COMES OMNIUM DEORUM vocatur in marmore antiquo Synt. Reineſii pag. 112. COMES ET

ET CONSERVATOR DOMINORUM NOSTRORUM, apud Grut. p. 45. n. 7. COMES ET CUSTOS n. 8. & pag. ſeq. 46. n. 10. Fabianus & Firminus pro ſalute Antonini, *Herculi invicto, quod proficiſcentes expeditionibus ſacris voverant, regreſſi cum commanipulis, libentes votum ſolverunt.* COMES AUGG. appellatur, in nummo Maximini, quia Imperatores ejus ſigna in expeditionibus ſecum ferebant. *Cuſtos* dicitur in fragmento veteris Calendarii: HERCULI MAGNO CUSTODI IN CIRCO FLAMINIO, & apud Ovidium Faſt. VI. 209.

Altera pars Circi cuſtode ſub Hercule tuta eſt,
Quod deus Euboico carmine munus habet.

Idem Naſo lib. XV. Metam. vſ. 248. *Clavigerum* vocat; quemadmodum ſupra pag. 126. & 131. Mithram, Janum & Dianam clavem gerentes vidimus:

Vulnera clavigeri quæ fecerat Herculis arcus.

Et Ib. vſ. 255.

Quantaque clavigeri Pæantius Hercules heres.

Saxanus cognominatur in Tiburtino lapide vetere Grut. pag. 49. n. 3.

HER-

HERCULI. SAXANO. SACRUM
SER. SVLPICIVS. TROPHIMVS
AEDEM. ZOTHECAM. CVLINAM
PECVNIA. SVA. A. SOLO. RESTITVIT.
IDEMQVE. DEDICAVIT.

Cui ſimilem inſcriptionem adfert Illuſtris Cuperus monum antiq. pag. 228.

HERCVLI. SAX
SANTO. SACRVM

Et tertiam Montfauconius tom. II. ſuppl. Antiq. lib. 3. c. 2. ex ara A. 1721. prope Muſſipontum effoſſa:

I. O. M ET. HER-
CVLI. SAXA
SACRUM

Herculem vulgo *Sanctum*, *Sangum*, *vel Sancum* vocari, ex Phædro ac Propertio conſtat, & proprium à lingua Sabina id nominis ei fuiſſe, ſcribit Varro lib. IV. de L. L. SANCTISSIMUS dicitur apud Reineſ. cl. 1. n. 64. 65. & Gudium pag. 33. n. 5. SANCTUS pag. ſeq. n. 6. ſicut DIANA SANCTA apud Reineſ. d. cl. 1. n. 260. Romanos utique *Semonis Sanci* appellatione Herculem coluiſſe, notum eſt, ex inſcriptione, apud Gruterum relata, pag. 96. n. 5 eidemque ſacrificium *propter viam*, ſeu proficiſcendi gratia factum eſſe, tradit Feſtus. Dudum vero erroris accuſatus eſt Juſtinus, quod in Apol. 2. pro Chriſtianis c. 34. adfirma-

mavit, populum Romanum Simoni Samaritæ, inſami mago, temporibus Claudii, ſtatuam ad Tiberim poſuiſſe, cum hac inſcriptione SIMONI DEO SANCTO. Idem perſuaſum fuit Tertulliano, Euſebio & Auguſtino, ejusque fabulæ defenſionem nuper ſuſcepit Styanus Thierlebius, in edit. Juſtini pag. 40. ſed infeliciter! cum in baſi, ad Tiberim reperta, legatur: SEMONI SANCO DEO FIDIO, & hac de re inter Eruditos satis conſtat. vid. Muret. lib. III. epiſt. 82. Reineſ. ad cl. 1. inſcr. n. 1. Fabrit. Cod. apocr. novi teſt. tom. 1. pag. 419. & Interpretes ad illud Ovidii Faſt. lib. VI. vſ. 213.

Quærebam Nonas Sanco Fidione referrem,
An tibi, Semo pater: cum mihi Sancus ait:
Cuicumque ex illis dederis; ego munus habebo.
Nomina trina fero: ſic voluere Cures.

Cur vero Hercules *Saxanus* appelletur, de eo in omnia alia abeunt eruditi. Ill. Cuperus à loco quopiam, cui *Saxani* nomen, epitheton illud derivat. Aleander Junior in expoſit. Tabulæ Heliacæ, à magna vi lapidum, quibus ille hoſtes fugaſſe in fabulis memoratur, repetit: vel à lapidibus, quibus in obſidione Ilii aram Herculi excitavit Telamon. Nicolaus Bergierius de publ. & mil. viis lib. IV. ſect. 43. inde cauſam petit, quod vias muniverit

rit in difficilibus acceſſu montibus, & ſaxa aperuerit; vel quod ei acervi lapidum & ſaxorum congeries per vias dedicarentur. Marcus Zuierius Boxhornius Quæſt. Rom. I. quod in ſaxeto coleretur, ut ſaxetanus dixit Martialis lib. VIII. Sed Stephanus Vinandus Pighius in Hercule Prodicio pag. 394. Saxanum Herculem, ait, eſſe Tiburis Deum tutelarem, qui HERCULES TIBURT. VICT. in alia inſcript. Grut. p. 49. n. 6. dicitur, & ideo Saxanum nuncupatum, quod ejus ædes in edito ſaxo poſita fuerat: diverſa enim cognomina vel a factis, vel à locis, in quibus colebatur, ſortitus. Apud Iberos Gaditanus, apud Zelandos Maguſanus, vel Macuſanus, à μάκκος, rex, alibi Deuſonienſis, à caſtro Duiz; apud Argentinenſes Krutzmannus, id eſt, vir magnus et validus, Monœcus apud Ligures, Baulius et Surrentinus apud Campanos, et ita Tiburs, vel Saxanus, apud Tiburtes dictus eſt, ipſumque Tibur, dei hujus ſacris initiatum, viciſſim *Herculeum*, et colles Tiburtini *Herculei* nominantur. Thomas vero Reineſius ſimpliciter intelligit, Herculem è ſaxo Tiburtino factum, *ſaxeum*; ut Mars *argenteus* dicitur, et Venus *Gabinia* ex lapide Gabino formata. Utrique ſententiæ favet ac pondus addit Cl. Grævius in Proleg. Theſ. tom. V.

Opti-

Optimum forſan eſt, ut Herculem, exemplo Tiburtini, Saxanum appellari dicamus, ubicunque in ſaxis & rupibus poſitus colebatur: nam & Bonæ deæ *Subſaxanæ* ædicula erat Romæ, ſub rupe montis Aventini, & apud Inſubres Mediolani, a ſitu templi, *Hercules in petra* dictus eſt, in lapide Grut. pag. 49. n. 2. Neque Tiburi tantum ejus templum fuit, ſed & paſſim per vias; uti ſupra pag. 29. vidimus, ædes ejus extra portas Collinam & Latinam exſtructas. Fani modici, ſed multitudine adorantium viatorum ferventis, meminit Martialis III. 47.

Et qua puſilli fervet Herculis fanum.

Dionyſius lib. I. Rom. Antiq. cap. 40. aras addit: *In multis etiam aliis Italiæ locis templa huic Deo (Herculi) ſunt conſecrata, & in urbibus, ac in ipſis VIIS ARAE ſunt erectæ, nec facile reperias ullum in Italia locum, ubi deus iſte non colatur.* Sic aram inſignem Herculi Saxano ſacram, in Lotharingia prope vicum Norri repertam, explicavit Auctor eruditus Gallici operis de religione Gall. lib. III. c. 9. Aliam, ob difficilis itineris memoriam, in Alpibus reliquerant Graji; de qua Cornelius Nepos in Alcibiade & Petronius cap. 12.

Alpibus aëreis, ubi Grajo nomine pulſo
Deſcendunt rupes, & ſe patiuntur adiri,

Eſt

Eſt locus Herculeis aris ſacer.

Idem in littoribus & portubus fuit adoratus, tanquam navigationis deus; cui etiam Tyrii navem ſacram habuerunt, teſte Arriano lib. II. de Exped. Καὶ τὴν ναῦν τὴν Τυρίαν, τὴν ἱερὰν τοῦ Ἡρακλέος, ἥντινα ἐν τῷ ἐπίπλῳ ἔλαβε, καὶ ταύτην τῷ Ἡρακλεῖ ἀνέθηκε, καὶ ἐπίγραμμα ἐπ᾽ αὐτῇ ἢ αὐτὸς ποιήσας, ἢ ὅτου δὴ ἄλλου ποιήσαντος οὐκ ἄξιον μνήμης τὸ ἐπίγραμμα, διὰ τοῦτο καὶ ἐγὼ αὐτὸ ἀναγράψαι ἀπηξίωσα. *Navem etiam Tyriam ſacram Herculi, quam navali incurſione ceperat, Herculi dicat, cum inſcriptione, quam ſive ipſe, ſive alius quiſpiam fecerit, quod nihil habeat memoria dignum, commemorandam minime putavi.* Idem Marcum Octavium contra piratas defendit, ſi audimus Servium ad Æneid. VIII. vſ. 363. qui ex Maſurio Sabino apud Macrob. lib. III. Sat. c. 6. refert: *Marcus Octavius Herſennus, in prima adoleſcentia tibicen, poſtquam arti ſuæ diffiſus eſt, mercaturam inſtituit: bene re geſta decimam Herculi dicavit, poſtea cum navigans hoc idem ageret, à prædonibus circumventus fortiſſime pugnavit & victor receſſit, quem in ſomnis Hercules docuit ſua opera ſervatum, cui Octavius, impetrato à Magiſtratibus loco, ædem cum ſigno ſacravit.* Quid? quod Virgilius VIII. Æneid. verſ. 542. Æneam profecturum ignes Herculeos, id eſt, per Hypallagen, aras

aras Herculeas, in quibus ignes erant ſopiti, ſuſcitaſſe canit:

Et primum Herculeis ſopitas ignibus aras
Excitat, heſternumque Larem parvoſque Penates
Lætus adit, mactant lectas de more bidentes
Evandrus pariter, pariter Trojana juventus.
Poſthinc ad navis graditur ſociosve reviſit:

Denique Herculis Macuſani figura, prout a Cl. Keislero depicta eſt, cum furca loco tridentis, cum delphino in dextra, alioque piſce marino ad pedes ejus, ſatis indicat, ipſum, una cum dea Nehalennia, ab illis, qui ſe mari committebant, invocatum eſſe. Proprie vero Hercules non erat nautarum præſes, ſed terræ firmæ affixus. Fuit is quidem prope portus, navalia, fluminumque præcipitia cultus, ſed vulgo ut alveum compeſceret, & agros ab inundationibus tueretur. Statius lib. II. Silv. 2. villam Surrentinam Pollii ſui deſcribens:

Ante domum tumidæ moderator cærulus undæ
Excubat, innocui cuſtos laris: hujus amico
Spumant templa ſale, felicia rura tuetur
Alcides, gaudet gemino ſub numine portus;
Hic ſervat terras, hic ſævis fluctibus obſtat.

Inter aras ergo omnes veneratione præcipua erat, ingens illa & Maxima, quæ in foro boario, poſt januas Circi maximi conſpiciebatur, cujuſque, præter Livium & Tacitum, meminere Virgilius lib. VIII. Æneid. vſ. 270.

Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri,
Hanc aram luco ſtatuit, quæ Maxima ſemper
Dicetur nobis, & erit quæ maxima ſemper.

Ovidius lib. 1. Faſtor. vſ. 581.

Conſtituitque tibi, quæ Maxima dicitur, Aram,
Hic ubi pars Urbis de bove nomen habet.

Alii eam non ipſi Herculi a ſemet, ut cum Naſone Propertius ait, ſed Jovi inventori ab Hercule dicatam, alii Evandrum Herculi dicaſſe volunt. Dionyſius dicto cap. 40. Ὁ δὲ βωμὸς, ἐφ᾽ οὗ τὰς δεκάτας ἐπέθυσεν Ἡρακλῆς, καλεῖται μὲν ὑπὸ Ῥωμαίων Μέγιστος, ἔστι δὲ Βοαρίας λεγομένης ἀγορᾶς πλησίον, ἁγιστευόμενος εἰ καί τις ἄλλος ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων. Ὅρκοι τε γὰρ ἐπ᾽ αὐτῷ καὶ συνθῆκαι τοῖς βουλομένοις βεβαίως τι διαπράττεσθαι, καὶ δεκατεύσεις χρημάτων γίνονται συχναὶ κατ᾽ εὐχάς. *Ara vero, ſupra quam Hercules decimas obtulit, a Romanis Maxima vocatur, eſtque prope forum, quod Boarium appellatur, quam regionis illius incolæ, ſi quam aliam, venerantur. Qui enim aliquid firmi ac validi tranſigere volunt, ad hanc aram & jusjuran-*

randum & pactum faciunt, hic etiam ſuarum facultatum decimas ex voto ſæpe offerunt.

Enimvero auſpicatiſſimum & fortunatiſſimum ducebant viatores, mercatores & alii, *decimam* partem bonorum, lucri aut fructuum Herculi vovere, ut ejus favore fierent auctiores. Diodorus Siculus lib. V. cap. 2. Pulcherrima eſt lamina ærea, in Latio reperta, apud Vignolium inſcript. ſelect. pag. 337.

CN. FLACCUS. Q. FVL. F. DE
CUMAM. PARTEM. HERCU-
LI. ET. PRO. REDITV. FELI-
CISSIMO. EX. AFRICA. VI-
BI. FRATRIS. ET. PRO. SAL-
PETINAE. MATRIS. SIGNA.
AVREA. FORTVNAE. PRAEN.
ET. FERONIAE. SANCTIS
SIMAE. D. D. T. VINIO. COS.

Hæc vero conſuetudo decumam, id eſt decimam bonorum ſuorum partem donandi, non inde nata eſt, quod Hercules moriturus dixerit, eos opulentos fore, qui ſibi decimam bonorum ſuorum partem conſecraſſent; neve quod is boum, quos Geryoni abſtulerat, in Palatino decimam partem immolarit; vel quod Romanos ab He-

truſcis decimari ſolitos liberaverit, ut Plutarchus Problem. c. 17. exiſtimavit: potius enim mos ad Græcos & Romanos a Judæis manavit, qui ex Moſis inſtituto, in uſum Levitarum, decimas colligebant: quinimo antiquiſſimum Abrahami exemplum initium potuit feciſſe conſuetudini decimæ partis ſpoliorum conſecrandæ, niſi malis ipſum morem inter Chananæos receptum obſervaſſe. Diodorus enim Siculus lib. XX. c. 14. Tyriorum inventum facit, quorum coloni Carthaginienſes quotannis decimam omnium proventuum Tyrum mittere ſolebant, quod etiam Polybius Excerpt. leg. 114. & Juſtinus lib. 18 c. 7. ſcripſere. Inde ergo ad alios uſus forſan perlatus eſt: Apollini enim in inſulam Delum quotannis decimas miſſas, auctor eſt Callimachus hymn. in Delum v. 278. eidem Dictator Camillus, ex præda Vejenti, eas vovit, apud Livium V. cap. 21. & Crotonienſes apud Juſtinum lib. XX. cap. 3. Ex Arabum lege, omnes thuris mercatores thus ſuum ad metropolin Sabothan ferre cogebantur, ejuſque decimam deo ejus Sabi prius offerre, quam illud venderent, auctore Plinio lib. XII. H. N. c. 14. De fano Dianæ in Scilunte & conſecratis ei fructuum agri decimis, agit Xenophon Ἀναϐ. l. V. pag. 350. Minervæ decimas Athenis con-

conſecratas tradit Demoſth. adv. Timocrat. p. 447. Similia id genus exempla Seldenus in diſſ. de decimis, plena manu collegit, quocum omnino Spencerus de LL. Moſ. rit. l. 3. c. 10. jungendus eſt, qui etiam in rationes Pythagoricas numeri denarii inquiſivit.

Sed noſtræ Herculis decimæ licet neutiquam ex Jure Civili aut Pontificio ſolverentur, magis tamen erant vulgares & quotidianæ. Plautus eas Trinummo Actus II. Sc. 7. vſ. 11. *Herculaneam partem vocat*, & in Moſtell. IV. Sc. 2. vſ. 68. *Herculis quæſtum* pro magno ponit, eumque ex innumerabilibus decimis conflatum à Tranione, ſervo ſacerrimo, & maxime prodigo, ait, conteri poſſe. L. Mummius cum Corinthum cepiſſet SANCTO SEMIPATRI DE DECVMA DONVM DEDIT MORIBVS ANTIQVEIS, teſte inſcriptione Gruter. pag. 69. Decimationis illius, tum ex ſpoliis, tum ex lucris mercaturæ conſecratio, Romæ apud Maximam aram, quam ſupra vidimus, ritu ſolenni & cum hilari convivio fieri ſolebat, ita ut convivæ laurea, in honorem Dei, redimiti cubitum mitterentur. Huc pertinet, quod Varro ait, apud Nonium, in *caudum*: *Majores ſolitos decumam Herculi vovere, nec decem dies intermittere, quin pollucerent, populumque* ἀσύμβολον *cum coro-*

na laurea demitterent. Cicero lib. 2. de offic. cap. 17. *Oreſti nuper prandia in SEMITIS, decumæ nomine, magno honori fuerunt.* & Octavius Herennius, auctore Macrobio lib. III. ſat. cap. 6. *Inſtituit mercaturam, & bene re geſta decimam Herculi profanavit.* Atque ad haſce, pro arbitrio, ob rem bene gerendam, votas, non ad noſtri ævi decimas, ut Accurſius volebat, referenda eſt l. 2. §. 2. D. de pollicitat. *Si decimam quis bonorum vovit, decima non prius in bonis eſſe deſinit, quam fuerit ſeparata. Etſi forte qui decimam vovit deceſſerit, ante ſepoſitionem* Quæ poſteriora verba Jacobus Gutherius lib. IV. de vet. jure Pont. cap. 23. ex Nævio interpretatur: Si prius mortuus fuerit, quam tibia publicando epulo Herculi decumaſſet; Ita enim ille in Colace, apud Priſcianum lib. IX. *Qui decumas partes quantum alieni fuit polluxit, tibia publicando epulo Herculis decumas.* Varro lib. V. de L. L. *Profanum quod in ſacrario pollutum, atque inde Herculi decuma data ab eo eſt, quod ſacrificio quodam ſanatur.* Plautus in Bacchid. act. IV. Sc. 4. vſ. 15.

Si frugi eſt Herculem fecit ex patre: decumam partem ei
Dedit, ſibi novem abſtulit.

Præ-

Præterea ad aras ejus, ubivis poſitas, ſacrificia & cœnæ à peregrinantibus offerebantur. Feſtus: *Propter viam fit ſacrificium, quod eſt proficiſcendi gratia, Herculi aut Sanco, qui ſcilicet idem eſt Deus.* Tunc: *Profecturi viam Herculi aut Sanco ſacrificabant*; ubi *propter viam* eſt prope, juxta, ſecundum viam, ut Varro apud Nonium: *propter Fortunæ aram ea hoſtia cæſa erat.* Lucret. lib. IV. vſ. 1018. *aut fontem propter amœnum adſidet.* Laberius Paupertate, apud Nonium: *Viſus hac nocte bidente propter viam facere.* Græcis ſubinde hoc dicitur τὰ ἐξιτήρια θύειν, eoque referenda eſt *culina*, quam ſupra ex Tiburtina inſcriptione vidimus ædi Herculis junctam, ut in ea ſacrificia pararentur: nam quod Sponius Vojage de la Grece tom. III. pag. 47. ex Feſto eam ad locum, in quo dapes funerum parabantur, retulit, non placebit omnibus. Vide Turre de diis Aquilej. pag. 308. Quicquid autem ex pollucta dape ſuperat, non pauperibus relinquebatur diripiendum, ut in Triviæ ſacris, ſed flammis abſumebatur. Hæc enim lex erat ſacrificii ad agendas gratias, etiam apud Hebræos, Levit. VII. vſ. 15. & ſcite Grotius ad Exodi XII. vſ. 10. obſervat, Paſcha quoque naturam εὐχαριστικῆς habuiſſe, ex quo non remanebat quicquam uſque mane, verum

rum ſi quid reſiduum eſſet, igne comburebatur. Philo Paſcha διαβατήριον, id eſt profectivum appellavit, ſive *propter viam*, ut Latini loquuntur. Macrobii locus Sat. II. cap 10. eam in rem illuſtris eſt, & à multis obſervatus, hic tamen minime omittendus: *Sacrificium*, inquit, *apud veteres fuit, quod vocatur propter viam. In eo mos erat, ut, ſi quid ex epulis ſuperfuiſſet, igne conſumeretur. Hinc Catonis jocus eſt. Nam Q. Albidium quendam, qui ſua bona comediſſet, & noviſſime domum, quæ & reliqua erat, incendio perdidiſſet, propter viam feciſſe dicebat; quod comeſſe non potuerit, id combuſſiſſe.* Vulgo hic *proterviam* legitur, quam lectionem ſecutus eſt Eraſmus, in adagio *Proterviam fecit*, recte jam olim a Paulo Leopardo eapropter notatus lib. XV. Emend. cap. 19. Etiam Turnebus lib. IX. Adverſ. cap. 4. monuit, unius Feſti auctoritatem ſatis cauſæ habere, cur lectionem illam eſſe mutandam putemus: ſed in medium præterea venire jubet Sceparnionis jocum in eos, qui naufragium omnium bonorum fecerant, apud Plautum Rudente I. ſc. 2. v. 61.

S. Propter viam illi ſunt vocati ad prandium.

D. Qui. S. quia poſt cœnam credo laverunt.

Denique præter aras & templa, ſtatuæ in

in honorem Herculis collocabantur, quarum trunci quadratis Mercurii Hermis erant perſimiles. Pauſanias in Corinthiacis, in Gymnaſio Sicyoniorum videbatur, ait, Ἡρακλῆς τὰ κάτω τοῖς Ἑρμαῖς τοῖς τετραγώνοις εἰκασμένος. *Hercules inferiore trunci parte quadratis Mercurii ſignis perſimilis.* Cicero eas *Hermeraclas* vocat ad Attic. I. ep. 18. *Signa noſtra & Hermeraclas, cum commodiſſime poteris, velim imponas.* Hujusmodi Herculem, quadrati Hermæ figura factum, Romæ in ædibus Jacobi Benzonii delineavit, & operis ſui frontiſpicio expreſſit Pighius, cui ſubſcriptum epigramma Græcum, quod is ita latine reddit:

Solibus exiguis puerum me noſcite. Felix
Herculeum ſignum collocat, & *Prodici.*

Recte *Prodici*. Nam Hercules Prodicius à Prodico Sophiſta fingitur in bivio dubius, quam vivendi viam ingredi melius eſſet, & quia virtute duce optimam elegit, hinc poſtea quaſi Deus vialis in biviis celebratus. Ad illum certe alludit Perſius ſat. V. vſ. 34.

Cumque iter ambiguum eſt, & vitæ neſcius error
Diducit trepidas ramoſa in compita mentes
Me tibi ſuppoſui.

Conjunctio autem Mercurii cum Hercule in una ſtatua, quam Pauſanias refert, idem

Illum ipſum mercatus aravit, dives amico Hercule.

Sicut enim Mercurius apertis lucris & negotiationi præeſt, ita Hercules opertis lucris, ſive theſauris, ſi veteribus Scholiaſtis ad hunc locum credimus; Arnobius vero lib. IV. adv. gent. utrumque lucra promovere monuit, & Philoſtratus, in Sophiſtis, ἑρμαῖον appellavit theſaurum, in ædificio repertum. Plerique etiam utrumque juſto cultu, ut κερδῷον & πλȣτοδότlω venerabantur, Herculem quidem hac inſuper ratione, quia divitiæ non ſine virtutibus acquiruntur, quodque Hercules labore proprio adeptus eſt omnia. Alludit Perſ. ſat. 2. vſ. 10. in voto avari: *O! ſi ſub raſtro crepet argenti mihi ſeria, dextro Hercule!* Ex quo loco, uti & ex illo Horatii diſcimus, quis ille fuerit deus, cujus liberalitati theſauri, tanquam *Dei beneficia*, tribuuntur in *l.* 63. *§.* 1. *D. de A. R. D. l.* 3. *C. Th l. un. C. de theſaur.* Θεȣ̃ δῶρον eos Leo vocavit *Nov.* 61. Alibi Juppiter quoque theſaurorum inventor laudatur, ut in inſcriptione de theſauris Decebali, in medio flumine Sargelia abſconditis, & a Trajano, indicio proditoris repertis, quæ a Johanne Tröſtero laudatur lib. I. Daciæ c. 13. ſed cujus fidem non levi ratione ſuſpectam habet

Marqu.

Marqu. Gudius in corp. inſcript. pag. 2. n. 7. Verba ejus hæc ſunt:

IOVI. INVENTORI. DITI. PATRI
TERRAE. MATRI.
DETECTIS. DACIAE. THESAURIS.
CAESAR. NERVA. TRAJANVS.
AVG. SAC. POS.

CAPUT XI.

De Laribus vialibus et Geniis viarum.

Lares viatorum dii, quia Mercurio geniti. Varia Larum genera, Cœleſtes, Domeſtici, Militares, Rurales & Publici, quorum imagines argenteæ. l. 6. & 19. D. de auro & arg. leg. elucidatur. Lares viales proprie ſunt animæ defunctorum, qui vivi vias curaſſent. Horum ſepulchra ad vias. Alias dicuntur Manes, Heroës & Genii. Tres horum claſſes. Genius loci, Genius viarum eſt angelus vialis. Gen. 24. verſ. 7. Mal. 3. vſ. 1. Pſalm. 91. vſ. 11. & liber Tobiæ illuſtratur. Larum vultus & ſigillaria deorum vialium geſtabant peregrinantes: nummus Auguſti & Horatius exponuntur.

Au-

Auguſtus Divus, dum vivus. Mos viatorum ναΐσκους *capſulas & parva templa ſecum ferendi, ad Amos V. vſ. 26. & Act. XIX. vſ. 24. Publici lares fingebantur habitu peregrinantium, cum cane adſtante. Cœnæ & ſacrificia eorum cibus prope vias. Culinæ in ſepulchris. Compitalia illorum feſta, non ſtata, ſed conceptiva. quanta cum religione illa celebrata. l. 12. C. Th. de pagan. multa luce donatur.*

Jure quidem ſuo & merito nunc Lares nobis memorandi ſunt, viarum & compitorum dii incerti, plebeji & inferioris ordinis, ſemideis certe minores, quos Charinus itineri accinctus compellat apud Plautum Mercat. V. ſc. 2. vſ. 23. *Invoco vos, LARES VIALES, ut me bene juvetis.* & Milite. glor. IV. ſc. 8. Palæſtrio, rebus omnibus ad iter compoſitis, ad Larem:

Etiam nunc ſaluto te, familiaris, priuſquam eo.
Conſervi conſervæque omnes bene valete & vivite.

Demipho apud Terentium Phormione Actus II. ſc. 1. vſ. 81. prima poſt reditum prece, quaſi de via, ut explicat Donatus, Lares & Penates it adoratum:

At

At ego deos penates hinc ſalutatum domum
Devortar: inde ibo in forum

Claudianus lib. I. de laud. Stilic. vſ. 118.

Vixque ſalutatis laribus, vix conjuge viſa.

Inſcriptio apud Gruterum pag. 78. 1.

FORTUNAE
REDUCI. LARI
VIALI. ROMAE
AETERNAE.

Recte Turnebus lib. VII. Adverſ. cap. 15. ſuſpicatus eſt, Lares viales eſſe, qui viis præſunt, quoſque invocant, qui peregre proficiſcuntur; at cauſam muneris addit nullam. Vulgi judicium adfert Arnobius lib III. adverſ. gentes: *Lares*, inquit, *arbitratur vulgus vicorum atque itinerum deos eſſe, ex eo, quod Græci vicos cognominant lauras.* Sed voces populi vanæ non ſunt audiendæ. Veram rationem ex Theologia Romana nobis indicat Ovidius lib. II. Faſt. vſ. 615. quod Lares ex furtivo concubitu Mercurii, Viarum præſtitis, cum Lara Nympha ſunt procreati. Hanc enim, dum ad inferos ob garrulitatem deferre juſſus, reluctantem violat,

Fitque gravis, geminoſque parit, qui compita ſervant,
Et vigilant noſtra ſemper in Urbe Lares.

Lar

Lar autem Hertruſca vox eſt, & principem, præſtitem ac προστάτην ſignificat, ut docuit vir ſummus Joſephus Scaliger, in caſtigat. ad Propert. lib. IV. Gloſſæ Philoxeni: *Lares*, θεοὶ κατοικίδιοι. *Lares familiares*, ἥρωες κατοικίδιοι. Ovidius lib. V Faſt. verſ. 129

Præſtitibus Majæ Laribus videre Kalendæ
Aram conſtitui, parvaque ſigna Deum.
Cauſſa tamen poſiti fuerat cognominis illis,
Quod præſtant oculis omnia tuta ſuis.
Stant quoque pro nobis, & præſunt mœnibus noſtris
Et ſunt præſentes, auxiliumque ferunt.

Hinc variarum rerum Antiſtites Dei Lares dicebantur, quorum numerus et nomina ſunt ignota: alios enim privatim, poſt fores, alios in atrio, aut veſtibulo, alios in cubiculo, ad focum, vel in domo intima, & alios denique publice in templis colebant. Hieronymus in Eſaiam: *Nullus erat locus, qui non Idololatriæ ſordibus inquinatus fuerit, in tantum, ut poſt fores domorum Idola ponerent, quos domeſticos appellant Lares, & tam publice, quam privatim animarum ſuarum ſanguinem iis funderent.* Et primum quidem (ut *lares permarinos*, a Livio memoratos præteram, de quibus cap. 13. infra agam.) erant Lares *Cœleſtes*, quos

quos verſari credebant in eo ſpatio, quod Lunam & terram interjacet. *Inter Lunæ gyrum & nimborum ac ventorum cacumina aërias eſſe animas, ſed eas animo, non oculis videri, & vocari Heroas, & Lares, & Genios*, ex Varrone ſcribit Auguſtinus lib. VII. de Civ. Dei c. 6. Tertullianus de ſpectac. c. 5. ex antiqua inſcriptione, Romæ in Circo defoſſa: LARES. COILLO. POTENTES vocat, lapis vero Gruteri 6. pag. 1004. habet COMITIO POTENTES: inepte Salmaſ. Exerc. Plin. pag. 641. *colio potentes* legendum eſſe putavit. vid. Illuſtr. Spanhem. in Diatriba de Veſta cap. XV. Erant et lares *Familiares*, domeſtici, queis foci, tecti & familiæ cura, de quibus in ſaxo Tiburtino, apud Gudium pag. 62. n. 10. DIIS DEABUS LARIB. FAMILIAR. Tertullianus Apol. c. 13. *domeſticos deos*, Propertius l. IV. 1. 133. *matris deos*, Tibullus lib. 1. Eleg. XI. vſ. 15. *Lares patrios*, Suetonius *Lares cubiculi* vocat, additque eorum cuſtodiæ apponi ſolitum puerum, in Domit. c. 17. Erant lares *militares*, præſides eorum, qui caſtra ſequebantur. Martianus Capella lib. 1. de Philol. & Merc. nupt. *In ſecunda itidem, inquit, cœli religione manſitabant, præter domum Jovis, quæ ibi quoque ſublimis eſt, ut eſt in omnibus prædiatus, Quirinus Mars, lares*

lares militareis, *Juno ibi quoque domicilium poſſidebat.* Eosdemque eſſe puto, quorum meminit Livius, in devotione Decii, lib. VIII. c. 9. *Jane*, *Juppiter*, *Mars pater*, *Quirine*, *Bellona*, *Lares*, *Divi Novenſiles*, *Dii indigetes*, *Divi*, *quorum eſt poteſtas noſtrorum*, *hoſtiumque Diique Manes*, *vos*, *precor*, *veneror* &c. Erant præterea Lares *Grundules*, à grunniendo, & Rurales, agrorum præfecti, in lapide luculento Gruteri memorati pag. 251. *vicus larum ruralium.* Hi inter Deos CAMPESTRES referendi, quorum meminit lapis apud Fabrett. de aquæd. pag. 106. Virg. lib. III. Georg. vſ. 343. de paſtore armentorum:

- - - Omnia ſecum
Armentarius Afer agit, tectumque, Laremque,

Tibullus lib. 1. Eleg. 1. vſ. 23.

Vos quoque felicis quondam nunc pauperis agri
Cuſtodes, fertis munera veſtra, Lares.

Calpurnius Ecl. 11. vſ. 64.

Nos quoque pomiferi Laribus conſuevimus horti
Mittere primitias, & fingere liba Priapo.

Denique erant quoque Lares *Urbis Romæ*, Senatus auctoritate conſecrati: *Patrii penates familiaresque*, *qui huic Urbi &*

O *Rei-*

Reipublicæ præſidetis, Cicero inſit pro domo c. 57. & *Hoſtilii*, urbium cuſtodes, à quibus hoſtes arcebant. Atque hi ſunt *Publici* illi, de quibus pulchra inſcriptio exſtat apud Gruterum pag. 106. n. 4. LARIBUS. PUBLICIS. SACRUM. & alia apud Spon. Miſc. erud. antiq. pag. 114.

GENIO. DOMNOR. CERERI
T. POBLICIUS. CRESCENS. LARIBUS
PVBLICIS. DEDIT. IMAGINES. ARGENTEAS. DUAS

Imagines enim eorum erant ex argento. Petronius cap. 29. *Præterea grande armarium in angulo vidi, in cujus ædicula erant Lares argentei poſiti.* Ubi clariſſimus Burmannus in notis erudite monuit, ad lares hoſce pertinere quod Marcellus ſcribit in l. 6. in f. D de auro & arg. leg. *Heredem meum volo fideique ejus committo, ut in patriam meam faciat porticum publicam, in qua poni volo imagines argenteas.* & in l. 19. eod. *Sed nec candelabra, nec lucernæ argenteæ, vel ſigilla, quæ in domo repoſita ſunt, vel imagines argenteæ argenti appellatione continentur.* Hinc in veteri lapide LARIBUS PUT. CIV. apud Grut. pag. 10. & apud eundem pag. 174. n. 7. quidam municipibus Rheginis legat inter alia LARES. ARGENTEOS. SEPTEM. Horum

quo-

quoque fuit *ſacellum Larium* Romæ, de quo Tacitus XII Annali 24. & AEDES. LARUM. IN. SUMMA SACRA. VIA., cujus in fragmento Ancyrano meminit Auguſtus.

Ad hos etiam publicos referendos puto, *Lares* illos *viales*, quibus publicum ſacrum fiebat, à Servii Tullii temporibus, ut ſtatim dicemus. Primitus quidem omnis Larium cultus privatus fuit & domeſticus. Unuſquiſque enim in ſua familia, animas majorum, qui prioris vitæ adjuti fuerant honeſtate, in Lares convertit, eaſque, tamquam auxilium laturas, eſt veneratus. Servius ad VI. Æn. v. 152. *Apud majores omnes in ſuis domibus ſepeliebantur; unde ortum eſt, ut Lares colerentur in domibus.* Poſt vero animæ Heroum, virorum illuſtrium & Imperatorum, qui regia, vel Optimatium, vel populi auctoritate in Deos relati eſſent, inter Lares cultæ. Feſtus in *laneæ*: *Lares animæ putabantur eſſe hominum redactæ in numerum Deorum.* Divus Auguſtinus lib. IX. de Civ. Dei cap. II. ex Plotino, inſigni Platonico tradit: *ex hominibus fieri Lares, ſi meriti boni ſunt.* Apulejus de Deo Socratis ſcribit, animam defuncti larem dici, *ſi quieto ac pacato numine domum poſſidet.* Eos vero qui male vixiſſent, aut violenta morte periiſſent, in malos dæ-

monas converti, quibus loco carnificum Dii utantur, in puniendis flagitioſis & impiis hominibus, ſecundum Plutarch. Quæſt. Rom. 51. communis opinio erat, quam etiam in Chriſtianis Antiochenis Chryſoſtomus reprehendit, homilia 11. in Lazar. Servius ad III Æneid. verſ. 168. *Labeo, in libris, qui appellantur, De Diis Animalibus (quibus origo animalis eſt) in quibus ait: Eſſe quædam ſacra, quibus animæ humanæ vertantur in Deos, qui appellantur animales: quod de animis fiant. Hi autem ſunt dii Penates & VIALES.* Ecce lares Viales animas, ait, humanas eſſe, nempe eorum, qui, dum in vivis eſſent, viarum fuerant curatores. Jam autem Viocurorum quantus apud Romanos fuit numerus! quo enim quiſque pietate in patriam magis valuit, eo majorem in viis muniendis & ſternendis operam impendit. Prætereo Appios, Gracchos & Cottas, ipſe Julius Cæſar viæ Appiæ curator fuit; Auguſtus viarum, quæ circa Romam, curator conſtitutus milliarium aureum fecit; Claudius vias, inter montes excifas, maximis impendiis fecit, Trajanus κατ' ἐξοχὴν dicitur curator viarum, apud Gruterum pag. 199. n. 1. & quotquot ad Conſtantinum uſque fuerunt Imperatores, vias vel novas fecerunt, vel veteres collapſas inſtaurarunt; ut parte II. hujus opuſcu-

opuſculi, pluribus congeſtis veterum teſtimoniis, oſtendam.

Horum igitur animas cœlo locatas, tanquam deos tutelares, colebant, qui peregre proficiſcebantur. Heſiodus ἔργ. 123. aliique Græci δαίμονας appellant homines, aureæ ætatis ævo functos. Gloſſæ veteres interpretantur ἥρωας κατοικιδίους; Cenſorinus de die nat. cap. 3. ſcribit: *Eundem eſſe Genium & Larem, multi veteres memoriæ prodiderunt.* Id vero an recte fecerint, dubitari poſſet, niſi diverſas vocis Genii ſignificationes diſtinguamus: nam genii viventium ſunt. GENIO ET LARIBUS eſt in lapide Reineſii cl. 1. n. 158. & alibi in deſcriptione Urbis in Quirinali Reg. VI. ædicula GENII LARUM memoratur. Optime vero Apulejus de Deo Socratis oſtendit, Genium aliquando accipi pro animo humano, exuto corpore ſuo, & libero ſtipendiis vitæ, quem plerique immortalem eſſe, alii ad extremam mundi conflagrationem durare exiſtimabant. Hunc veteres Lemurem, vel Deos Manes honoris gratia vocabant, eumque poſteriorum ſuorum curam agere, & nunc pacato quietoque numine domum poſſidere, nunc ſepulchra inhabitare & lucos juxta vias, ibique viatoribus prodeſſe ſibi perſuadebant. *In lucis habitant manes piorum, qui Lares viales ſunt*, ait Serv. ad

III. Æneid. vſ. 302. Maxime autem animas melioris meriti, & Divis adſcriptas, θείȣς vel θεȣ̀ς, vel Ἥρωας vocabant, uti Xiphilinus de Auguſto et Hadriano id teſtatur: At Plinius lib. VII. cap. 55. irridet *vanitatis humanæ conamina, ſenſus inferis dandi, & Manes colendi, deumque faciendi, qui jam etiam homo eſſe deſierit.* Alius hujus nominis ſignificatus eſt, ut Genii ſint mediæ quædam poteſtates inter ſummum æthera & infimas terras, in iſto interſiti aëris ſpatio, per quas deſideria noſtra & merita ad Deos commeent, qui ultro citroque portent hinc petitiones, inde ſuppetias, ceu quidam utrinque interpretes & ſalutigeri: talem cuique a Jove attributum eſſe præſidem ducemque futurum, ait Marcus Antoninus lib. V. §. 27. Hominum cuſtodes eos vocat Heſiodus, *præſtites* Minucius Felix, quod præſint hominum actionibus; Plinius vero rurſus innumeros deos reprehendens lib. II. c 7. ait: *Major cœlitum populus, quam hominum intelligi poteſt, cum ſinguli quoque ex ſemetipſis totidem deos faciant, Junones Genioſque adoptando ſibi.* Tertius denique intellectus eſt, ut Genium accipiamus pro Deo, qui vim obtineret rerum omnium gerendarum, quique cuivis Numini, populo, loco, urbi, & viæ, tanquam gubernator, præſes & cuſtos tutela-

tela-

telaris adſcriptus eſt. Hinc GENIO VIARUM Lutatius in via Appia poſuit apud Reines cl. 1. n. 299. & L. Lucretius Fauſtinianus, in lapide Vorburgi in Hollandia effoſſo, copulat Larem vialem cum genio loci apud Spon. Miſcell. pag. 113. & Matth. Sylloge. epiſt. 66. FELICITATI. LARI VIALI ET GENIO LOCI. Multa de geniis dixi in Diſſert. *De perjurio per genium Principis cap.* 2. & alia plura monuerunt eruditione præſtantes viri, ſed unus nobis ſufficiet Prudentius, qui lib. II. contra Symmach. vſ. 444. omne hac in re Romanorum ſtudium complexus eſt:

- - - Cur Genium Romæ mihi fingitis unum?
Cum portis, domibus, thermis, ſtabulis ſoleatis
Adſignare ſuos Genios, perque omnia membra
Urbis, perque locos Geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra.

Ut vero triplex ille Genii ſignificatus, in hac Deorum vialium materia, clarior evadat, ſciendum eſt, veteres cum Hebræis ſciviſſe, omnia Angelorum miniſterio geri, atque hos comitari iter facientes. Abrahamus ſervo ſuo, uxorem Iſaaco petituro Geneſ. 24. vſ. 7. infit: *Jehova, cœlorum Deus,*

mittet Angelum ſuum ante te. Pſaltes c. 91. vſ. 11. *Angelis ſuis præcipiet de te, ut conſervent te in omnibus viis tuis.* Malachias 3. vſ 1. *Ecce ego miſſurus ſum Angelum meum, qui expediat viam ante me.* Angelus Dei quoque anteceſſit caſtra Iſraëlitarum Exod. XIV. vſ. 19. & XXIII. vſ. 20. *Mitto angelum ante te, ut te cuſtodiat in via, & ducat in locum illum, quem præparavi.* Plurima etiam de Raphaele, angelo viali, fabulis ex Perſarum ſuperſtitione adſperſis, reperiuntur in libro Tobiæ, cujus votum erat c. 5. vſ. 24. *Qui in cœlo habitat Deus, proſperet iter veſtrum, & Angelus Dei proficiſcatur vobiſcum.* Ex his deſumtum & depravatum eſt, quicquid gentiles de geniis viarum, & diis deabusque præſidibus provinciarum ſomniarunt; nam & animas, corpore ſolutas, in cœlum ſe conferre, & interpretes inter deos & homines agere, Genioſque toti mundo & cuivis loco præſidentes, hominum votis adeſſe, prout quique egerent in vita, tradiderunt, uti ex Platone, Maximo Tyrio, Jamblicho aliiſque vulgatum eſt. Diogenes Laert. lib. VII. ſegm 151. de Stoicis: *Quoſdam item eſſe dæmones dicunt, qui hominum affectibus tangantur, inſpectores humanarum rerum. Heroas quoque relictas proborum animas.* Virg. lib. VII. Æneid. vſ. 135.

--- *fron-*

- - - frondenti tempora ramo
Implicat & Geniumque loci, primamque deorum
Tellurem, Nymphaſque & adhuc ignota precatur
Flumina.

Horat. lib. II. ep. 2. vſ. 187.

Scit Genius, natale comes, qui temperat aſtrum,
Naturæ Deus humanæ.

Calpurn. Ecl. V. vſ. 25.

- - - tum ceſpite vivo
Pone focum, Geniumque loci, Faunumque Laremque
Salſo farre voca.

Petronius genium loci abſolute *tutelam* vocat c. 57. *Ita tutelam hujus loci habeam propitiam.* Inſcriptio Grut. pag. 105. n. 2. DEO TUTEL. GENIO LOCI. In alia Fratrum Arval. apud Turre pag. 389. SIVE DEO SIVE DEAE IN CUJUS TUTELA HIC LUCUS LOCUSVE EST. Sed quod Raphaël apud Tobiam ait, c. 12. vſ. 15. unum ſe eſſe ex ſeptem angelis illis, qui referunt preces ſanctorum & egrediuntur coram gloria ſancti, ex eo, ut & ex ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni Agni miſſi dicuntur in omnem terram, apud Johann. Apoc. I. vſ. 4. & V. vſ. 6. ſcriptores Eccleſiaſtici quidam ſep-

tem finxerunt ſupremos & generaliſſimos totius univerſi adminiſtratores, τὰς τὴν μεγίστην δύναμιν ἔχοντας, ut Clemens Alexandrinus ait, lib. VI. Strom. Euſebius lib. IV. Præparat. Evang. c. 7. verba Moſis Deut. 32. vſ. 8. ad hoſce Genios tranſtulit; Origenes Principes Tyri, Perſarum & Græcorum, apud Ezechielem & Danielem memoratos, gentium dæmonas interpretatur, homil. 35. in Lucam, eoſque *communes mundi aurigas*, Homil. 14. ſuper Num. appellavit Vid. Reineſ. ad cl. 1. Inſcr. n. 4. Antiqui vero Aſtronomicæ diſciplinæ magiſtri Genios ſoli tribuebant, uti ex Macrob. lib. 1. ſat. c. 19. & Firmico lib. IV. c. 11. oſtendit Petrus Daniel Huetius ad Origenis pag. 212. Atque hæc de Geniis viarum ſufficiant.

Nunc alia non minus amœna obſervatio ſequatur, eos, qui iter ſuſciperent, Larum, deorumque vialium & viocurorum vultus, in nummis ſignatos, νομίσματα χαλκᾶ ut vocat Chryſoſtomus, aut ſigillaria, id eſt, parva minutaque ſimulacra, ſalutis cauſa ſecum tuliſſe, quod crederent ab iis ſe juvari. Monuit hoc doctiſſimus Chifletius in Anaſtaſi c. 4. ubi nummum exhibet, a duobus amicis diviſum, cujus partem dextram, Auguſti capite ſignatam, ſervabat, qui Romæ manebat, ſperans Auguſtalis vul-

vultus, ut publici Laris cultu, amicum abeuntem in itinere ſuo felicem fore. Siniſtram cum Agrippæ effigie ſecum ferebat proficiſcens, ſe fortunatum putans, ſi hunc in pera haberet viarum curatorem. Sic Plutarchus de Sylla ſcribit, eum imaginem Apollinis ſecum tuliſſe. Alexander M. Herculem & *comitem occaſus ſecum portabat & ortus*, auctore Statio lib. IV. Sylv. carm. 6. Virgilius lib. I. Æneid. vſ. 382. pium Æneam *raptos ex hoſte Penates* ſecum vexiſſe refert, quos Varro *ſigilla lignea* vocat. Seneca epiſt. 40. ait, amicos peregre euntibus imagines dediſſe. Plinius lib. 35. c. 2. *Vultus Epicuri per cubicula geſtant ac circumferunt ſecum.* Sic numiſmata amuletis inſervientia habebant foramen ad trajiciendum funiculum, quo ad collum geſtarentur, & credebantur *juvari in omni actu ſuo, qui Alexandrum expreſſum vel auro geſtitant vel argento*, ſcribit Trebell. Pollio in trig. tyrann. c 14. fin. Aſclepiades Philoſophus idem moris habuit, teſte Ammian. Marcellino lib. XXII. *Deæ cæleſtis argenteum breve figmentum quocunque ibat, ſecum efferre.* De ſe Apulejus in Apol. *Morem mihi habeo, quoquo eam, ſimulachrum alicujus Dei inter libellos conditum geſtare*, quem mox *Mercuriolum* vocat. Sic quoque ille nummi diviſi portator in pera viatoria geſtabat ſimulacrum

vio-

viocuri. De Auguſto Suetonius cap. 30. *Deſumta ſibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia ſternandas diſtribuit.* et cap. 47. *Non eſt, ut opinor, provincia, excepta duntaxat Africa & Sardinia, quam non adierit.* Ad illius quoque publici beneficii memoriam apud poſteros propagandam, multi nummi ſunt cuſi, cum Auguſti effigie, & titulo ab una parte; ab altera cum arcu dithyræo, vel bifori, id eſt duarum portarum, in via ſuper pilas fornicatas poſito, in cujus ſupremo faſtigio victoria quadrigam triumphalem agitans conſpicitur, cauſſa honoris adſcripta his verbis: QVOD. VIAE. MVNITÆ. SINT. Sed nummus ille, de quo loquimur, ſimul præfert effigiem Agrippæ, viri citra controverſiam optimi, Auguſto ſocero, Senatui ac populo gratiſſimi, quique ſtupendis ſumtibus vias fecit ac refecit. Laudat eum Strabo lib. IV. quod viis militaribus Galliam munivit. Dio lib. XLIX. *Agrippa ultro factus Ædilis, omnia ædificia publica omnesque vias privatis impendiis refecit.* Mirum in modum explicationem hanc confirmat inſcriptio apud Gruterum pag. 106. & Gudium pag. 63. *n*. 4. LARIBUS. AVGUSTIS. Alia apud Spon. Miſcell. pag. 114. LARES. AVGVST. AGRIP-

GRIPPA. Ovidius non modo lib: II. Faſt. vſ. 634. & ſeqq. Auguſtum Laribus adjungit, ſed etiam in quovis compito & larario domeſtico cum duobus Laribus ejus Genium fuiſſe, tum alibi, tum lib. v. Faſt. 145. notat:

Mille Lares, Geniumque ducis, qui tradidit illos,
Urbs habet; & vici numina tria colunt.

Appianus lib. v. Bell. civ. p. 746. ſcribit, Auguſtum *oppidatim inter deos tutelares conſecratum eſſe*, cum Pompejum fugaſſet ex Sicilia & Lepidum in ordinem redegiſſet. Sed Horatius lib. IV. Ode 5. *ad Auguſtum*, diſerte eum Laribus inſeri, & ab unoquoque inter Deos viales coli, ſcribit:

Te multa prece, te proſequitur mero
Defuſo pateris: & LARIBUS tuum
Miſcet numen; uti Græcia Caſtoris
Et magni memor Herculis.

Ubi in tranſcurſu obſervandum eſt, Poëtas eſurientes & ſuperſtitioſos provinciales Auguſtum adhuc viventem pro Deo habuiſſe, eique aras, templa, quæque alia in adulationem maximi Principis excogitari poterant, exhibuiſſe, cum apud Senatum, & in publico civium cultu, non niſi poſt apotheoſin, Divus fuerit. Horat. lib. II. ep. I. eum ita alloquitur:

Præ-

Præſenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Virgilius Eclog. I. ubi de eodem ſermo eſt:

- - - - *Deus nobis hæc otia fecit:*
Namque erit ille mihi ſemper Deus: illius aram
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.

Non ſinit argumenti affinitas, ut tacito pede hic prætercam morem Veterum, qui præter imagines Deorum eorumque ſymbola, etiam ναΐσκους, ædiculas, capſulas, parva templa & tentoria in peregrinationibus ſuis circumferre ſolebant, ut magis ſibi propitios haberent deos, viarum & periculorum ſuorum comites. Huc enim tendit obſcurus Amoſi locus cap. 5. vſ. 25. 26. *An ſacrificia & munus obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis, domus Iſraëlis? Immo portaſtis tabernaculum Molochi veſtri, & Kiun imaginem veſtram ſtellæ, deos veſtros, quos feciſtis vobis.* Omnes in eo conſentiunt per סכות hic intelligi σκηνὴν, tabernaculum inſtar noſtrorum papilionum factum; atque ita LXX. vertunt & Stephanus Protomartyr exponit Act. VII. vſ. 43. In hoc autem Judæi, incertis laribus oberrantes, & hoſpites portarunt ſimulachra Solis et Saturni, tanquam lares aut penates,

tes, Ægyptiorum vel Phœnicum more. De utriſque Servius ad VI. Æneid. vſ. 68. ubi *errantes Deos* interpretatur ξόανα, *id eſt ſimulacra brevia, quæ portabantur in lectiçis, & ab ipſis mota infundebant vaticinationem, quod fuit apud Ægyptios & Carthaginienſes.* Ad Carthaginienſes, Tyriorum colonos, & *Chijun* Saturni cultores, pertinet Hannonis oratio Punica apud Plautum in Pœn. act. v. ſc. I. quam Petitus lib. II. Miſcell. c. I. ita Latine reddit:

Et hoſpitalis teſſera, Saturni imago (hanc fero)
Inter nos: Eſto aliquis finis itineris mei, quo tandem integritati meæ requies concedatur;
Ne ſolus, & miſer, afflictusque errem huc illuc.

Sic Philiſtæos idola ſecum in prælium duxiſſe, conſtat ex 2 Sam. v. vſ. 21. & Epheſi venundata eſſe argentea Dianæ templa, ναὺς ἀργυρᾶς Ἀρτέμιδος, in quibus iter facientes parvula deæ vialis ſimulacra, & admodum minuta, ut puparum ſupellex, ſecum portarunt, auctore Luca Act. XIX. vſ. 24. ubi plura dabunt eruditi Interpretes, quibus jungatur Spencerus de LL. Hebr. rit. l. III. c. 3. diſſ. I. & Cuper. Harpocr. p. 131.

Nos vero ut in viam, ad Lares Græcorum & Romanorum revertamur, ſatis ex num-

nummo Auguſti ſupra explicato oſtendimus, non tantum Deos animales, ſed & indigetes ac majorum gentium Deos à familiis in tutelam eſſe adſcitos. Ἐφέστιον Δία memorat Sophocles in Ajace Flagellifero vſ. 494. Rubria familia Herculem et Mercurium, Cordia Caſtorem et Pollucem inter Penates adoptavit, ut ex eorum denariis apud Fulvium pag 248. et 83. colligit Philippus à Turre de inſcriptione M. Aquilii cap. 1. Idem confirmat Macrobius lib. III. Sat. cap. 4. et Arnobius Jovem, Minervam, Apollinem, Neptunum et Cererem in hanc claſſem refert lib. 3. cis. fin. Nolim tamen inde colligas, Lares hos ſimul viales fuiſſe, quilibet enim pro lubitu ſibi Lares et Penates adſciſcebat: Vitellius Narciſſi et Pallantis imagines inter lares coluit, Sueton. cap. 2. et Severus Alexander, ut ſcribit Lampridius c. 29. *In larario ſuo & divos principes, ſed optimos electos, & animas ſanctiores; in queis & Apollonium, Chriſtum, Abraham, Orpheum & hujusmodi ceteros habuit.* Præter hoc alterum ei lararium fuit, in quo præclaros viros locabat, Virgilium, Ciceronem aliosque; cujusmodi lararium Antonini Philoſophi Capitolinus quoque in ejus vita memoravit.

At Lares viales proprie erant animæ eorum,

rum, qui vias curaſſent, dum inter homines agerent; & horum cultus & figura ſingularis, aut ſaltem a forma larum privatorum diverſa fuiſſe videtur. Publicorum ſtatuæ, cane adſtante, peregrinantium habitu fingebantur, pellibus amictæ. Plutarchus Problem. cap. 51. *Laribus, quos proprie vocant Præſtites, canis præficitur, ipſi autem caninis pellibus veſtiuntur.* Secundum hanc formam Montfauconius unicum tantum Larem repertum putat, quem ex muſeo Ill. Boni exhibet tom. 1. Supplem. Antiq. lib. 5. c. 8. at ſimillimam ei imaginem æneam, prope Xantham effoſſam, Marcus Zuerius Boxhornius dedit, Quæſt. Rom. 6. Perſius ſuccinctos vocat Sat. 5. vſ. 32.

Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit.

Canis addebatur, tanquam liminum cuſtos & fidiſſimum animal, quod rem familiarem cuſtodire ſolet; unde Græcis cuſtos κύων appellatur. Iidem ſunt pii in dominum, & ſagaces in hominibus cognoſcendis; quapropter Ægyptii Anubim canino capite repræſentabant, non modo quod Oſiridi & Iſidi corporis fuerit cuſtos, ſed etiam quod canes Iſidi, quando Oſirem inveſtigabat, duces fuerint, & fidos inquiſitionis ſocios cum ululatu ſe præbuerint: idcirco etiam in Iſidis feſto canes pompam

antecedebant, auctore Diodoro lib. 1. cap. 87. Ad rem præſentem maxime pertinet Ovidius lib. V. Faſt. vſ. 137.

At canis ante pedes, ſaxo fabricatus eodem,
Stabat: quæ ſtandi cum Lare cauſa fuit?
Servat uterque domum, domino quoque fidus uterque,
Compita grata deo, compita grata cani.
Exagitant & *Lar,* & *turba Diania fures:*
Pervigilantque Lares, pervigilantque canes.

In foribus quoque & atriis domorum Lares, pariter ac Apollo et reliqui viales, ſalutati, ibique ſtatuta lararia. Plautus Mercatore Actus V. ſc. 1.

Limen ſuperum inferumque ſalve, ſimul autem vale.
Hunc hodie poſtremum extollo mea domo patria pedem.
Dii penates, meum parentem, familiæque Lar pater,
Vobis mando parentem meum, rem bene ut tutemini.

In portis etiam, vel prope portas urbium, ſigna eorum à proficiſcentibus votis & precibus culta. Ad noſtros enim refert Broukhuſius illud Arethuſæ, ſive Læliæ Gallæ, pro reditu Lycotæ, apud Propertium lib. IV. Eleg. 3.

Omni-

Omnibus heu portis pendent mea noxia vota.

In ſepulcretis, prope vias & compita, inferiæ, id eſt, ſacrificia diis inferis ferebantur, quæ conſtabant ex hoſtiis mactatis, liquoribus ſparſis, lacte item, melle, oleoque, quas libationes Græci χόας appellant. Epulum quoque funebre Laribus ponebatur, à prætereuntibus diripiendum, idque *menſam ponere* vocabant. Sic apud Fleedwood pag. 346. Fabia Secunda filio ſuo dulciſſimo *contra vot. menſam poſuit*, id eſt, funebre convivium paravit, more apud ipſos Chriſtianos diu adhuc uſitato, & qui rurſus illuſtrare poteſt quod ſupra pag. 60. ad Eſaiam diximus. Catalecta vet. Poët.

Neque in culinam & uncta compitalia,
Dapeſque ducis ſordidas.

Cœnæ illæ variæ. Dabatur aliquando viſceratio, id eſt crudæ carnis largitio, & cum ludis epulum funebre ſplendidum ac ſumtuoſum, à populo abſumendum. Præcipuam, ſive novendialem, Cicero contra Vatinium *epulas dignitatis* vocat; reliquas vero ab herede ad viam paratas, & *ſilicernium* dictas, pauperes rapiebant. Catullus carm. 59.

Uxorne Meni, ſæpe quam in ſepulcretis
Vidiſtis ipſo rapere de rogo cœnam.

Perſius ſat. VI.

- - - ſed cœnam funeris heres
Negligit iratus.

Culinæ ſepulcris hunc in finem applicabantur. Feſtus: *Culina vocatur locus, in quo epulæ in funere comburuntur.* Græci ϐύςρας vocant. Vide Scaligerum ad dict. loc. Catulli pag. 54. Umbris autem & Manibus cœnas has ferales apparabant, quod eas ex fumo victimarum ali credebant. Inde cum Charon rogaſſet, cur ad tumulos parentent, Mercurius, apud Lucian. in Contemplantibus, reſpondet; quia ſuperſtitibus perſuaſum eſt, umbras ab inferis reduces cœnare quidem utcunque liceat, circa nidorem volitando, bibere autem è foveis mulſum. Hinc etiam factum, ut in ſacris literis, κατ᾽ ἀνθρωποπάθειαν, ſacrificia *lehhem*, panis & cibus Dei vocentur. Levit. III. vſ. 11. Num. XXVIII. vſ. 2. Ezech. XLIV. vſ. 7.

Magis proprie ad noſtros pertinent *uncta* illa *compitalia*, quæ cum culinis Poëta conjungit. Hæc enim, ſecundum Philoxeni gloſſas, ſunt Θεῶν ἀγυιαίων ἑορταὶ αἱ γινόμεναι ἐν ταῖς τριόδοις, ὑπὸ τῶν προσηκόντων τοῖς νεκροῖς. *Compitalia Deorum viarum feſta in triviis celebrari ſolita ab affinibus mortuorum.* Varro lib. V. de L. L. *Compitalia dies attributus Laribus, ut alibi: ideo ubi viæ competunt, tunc in compitis ſacrificatur* Plinius

nius lib. XXXVI. 27. & Cicero in Piſonem cap. IV. *ludos* compitalitios vocant. Aſconius ibi annotat, à magiſtris vicorum eſſe factos; etiam Calpurnius ecloga 4.

Ut quoque turba boni plaudat ſaginata magiſtri,
Qui facit egregios ad pervia compita ludos.

Hi quotannis non certo, ſed incerto die concipiebantur, auctore Auſonio apud Pithœum l. l. Adverſar. cap. 9. Feſtus: *Conceptivæ feriæ feſta dicebantur, quæ incertis diebus ſervabantur quotannis, ut Sementinæ, Compitaliciæ.* Verba, quæ more majorum Prætor pronuntiabat, nobis ab interitu ſervavit Gellius lib. X. cap. 24. & Macrobius lib. I. Saturn. c. 4. ubi leguntur illa: DIE. NONI. POPOLO. ROMANO. QUIRITIBUS. COMPITALIA. ERUNT. QUANDO. CONCEPTA. FUERINT. NEFAS. Ciceronis ætate incidebant in IV. Non. Januar. ut ipſe refert ad Attic. VII. ep. 7. Auguſtus *Compitales Lares ornare bis in anno inſtituit, vernis floribus & æſtivis.* Sueton. cap. XXXI. In Faſtis autem Kalendaribus, in feriis menſis Decembris LAR. legitur, quod Siccama cap. 18. *Laralia* interpretatur. Quanta cum religione illa fuerint celebrata Dionyſius Halicarnaſſ. tradit, lib. IV. cap. 14. *Servius Tullius per omnia compita juſſit*

à vicinia Laribus propitiis ſacella exſtrui; & lege ſtatuit, ut quot annis ſacrificia fierent ſingulis familiis liba conferentibus. Illis vero, qui pro vicinia ſacra facerent in compitis, ſtatuit non homines ingenuos, ſed ſervos adeſſe, & illos in ſacris faciendis adjuvare, quod famulorum ac ſervorum miniſterium Laribus eſſet gratius. Quem diem feſtum Romani ad mea usque tempora conſtanter celebrabant, paucis poſt Saturnalia diebus, cum primis venerandum atque magnificum, à compitis Compitalia eum vocantes.

Magnificentia illa forte in lautis conviviis & multo igne conſiſtebat; nam Sacrificia erant quaſi convivia deorum, & LUCERNA LARUM eſt in vetere inſcriptione. *Larga feſtos lucet ad lares ſylva*, inquit Martialis. Ceteroquin pro luxu iſtius temporis ſat frugalia & ruſtica fuiſſe videntur. Sextus Pompejus: *Pilæ & effigies viriles & muliebres, ex lana Compitalibus ſuſpendebantur in compitis: quod hunc diem feſtum deorum inferorum (quos vocabant lares) eſſe putarent, quibus tot pilæ, quot capita ſervorum; tot effigies, quot eſſent liberi, ponebantur, ut vivis parcerent, & eſſent his pilis & ſimulacris contenti.* Ecce ſervos, qui nec caput, nec perſonam habebant, diſtinguit a liberis hominibus, atque illis pilas

pilas ſtramentitias aut fœneas, his vero effigies ex lana ſuſpenſas eſſe ait, quibus Merillius lib. V. Obſ. cap. 28. addit manias, id eſt, ficta quædam ex farina, in hominum figuras, ex Macrobio lib. 1 ſat. c. 7. Menalcas apud Virgilium Ecl. V. 67. pocula bina novi lactis & pinguis olivi crateras eis promittit. Theodoſius Imp. in l. 12. C. Th. de paganis, vetat, ne quis *ſecretiore piaculo Larem igne, mero Genium, Penates nidore veneratus, accendat lumina, imponat tura, ſerta ſuſpendat*: quæ verba Carolus Annibal Fabrot. ad h. t. tom. III. Theſ. jur. civ. pag. 1121. & diligentior Jacobus Gothofredus, in comment. illuſtrant. Horat. lib. III. od. 23.

Si ture placaris & horna
Fruge Lares, avidaque porca.

Idem lib. II. ſat. 5. vſ. 12.

- - - - dulcia poma
Et quoſcunque feret cultus tibi fundus honores,
Ante Larem guſtet venerabilior Lare dives.

Ipſi Lares vel focus eorum corona exornabantur. Plaut Trinumm. 1. ſc. 2. pr.

Larem corona noſtrum decorari volo.

Cato de Re ruſt. cap. 143. monet villicum, ut *Kalendis, Idibus, Nonis, feſtus dies*

cum erit, coronam in focum indat, perque eos dies Lari familiari pro copia ſupplicet.

Juvenalis ſat. IX. vſ. 137.

O parvi, noſtrique Lares, quos ture minuto
Aut farre, & tenui ſoleo exornare corona.

Tibullus lib. I. eleg. 3.

At mihi contingat patrios celebrare Penates,
Reddereque antiquo menſtrua tura Lari.

Lares etiam inungebant. Idem Tibull. lib. I. Eleg. 7.

Illius e nitido ſtillent unguenta capillo,
Et capite & collo mollia ſerta gerat.

Neque manus a ſanguine abſtinebant, ut cum die natali munus annale Genio ſolverent: nam VERVECES LARIB. & MATRI LAR. OVES immolatas vetus fratrum Arvalium inſcriptio docet: *agni* meminit Plautus Rud. act. 4. ſc. 6. *agnæ* Tibullus lib. I. eleg. 1. *porci* Propertius lib. IV. el. 1.

Parva ſaginati luſtrabant compita porci.

Tabula marmorea Gruteri pag. 106. n. 13.

LARIBVS
PRO. SALVTE. ET. INCOLU
MITATE. DOMVVS
Q. SERTORII
COMPETALIB. LVDOS
ET. EPVLVM. VICINEIS
JVN. DONACE. DO-
MESTICA. EIIVS.

CAPUT XII.

De Silvano, priapo, fortuna, bivia, quadrivia, &c.

Inter plebejos & patellarios deos, Silvanus fuit numen viale, quia finium tutor, & deus ſilvarum, habitans in lucis & montibus. Symbolum ei cupreſſus. Variæ Inſcriptiones, Cajus lib. 1. *Inſt. tit.* 2. *§.* 2. *& l.* 17. *§.* 9. *D. de act. emt. illuſtrantur. Priapus hortorum deus, vias monſtrabat ad fontes exciſos. Idem nautarum, & piſcatorum numen, deuſque litoralis. Fortuna Redux nondum Homeri ætate, ſed diu ante Domitianum in Dearum claſſem relata, quod Pitiſcus negavit. Viatorum conſervatrix, ſalutaris & omnipotens credebatur; cum rota &*

 guber-

gubernaculo picta. Reapſe autem nihil fuit, ejuſque cultores à ſapientibus irriſi. Dea Bivia depravato Arnobii loco ex inſcriptionibus redditur. Is Dea vialis Priſcis ignota; contra Boxhornium. Dii Bivii, Quadrivii, Quadriviæ, Deæ Mairæ. Mater Stata, Adeona, Feſſonia & Iterduca puerorum greſſus cuſtodiebant.

Hoc capite reliquos itinerum terreſtrium Deos Deaſque, Silvanum, Priapum, Fortunam, Biviam, Quadriviam, Matrem Statam, Adeoneam & Feſſoniam, uno velut faſciculo complectar, nec ingrata, ut ſpero, varietas erit. Omnes hi plebeji & minorum gentium dii, de ſe ipſis apud veterem Poëtam ajunt; *Nos vappæ ſumus, & puſilla culti Ruris numina.* Plautus Ciſtell. act. II. ſc. I. vſ. 45. *minutos & patellarios deos* vocat, quibus non in pateris, ſed patellis epulæ appoſitæ. Martialis lib. VIII. Epigr. 50. *Plebem Deorum* dixit, imitatus Ovidium lib. I. Met. vſ. 173. & in Ibin vſ. 81.

Vos quoque plebs ſuperûm, Fauni, Satyrique, Lareſque,
Fluminaque & Nymphæ, ſemideûmque genus.

Quod Silvanus viatorum numen fuerit, ejus

ejus rei fidem facit lapis in via publica, qua Tuderto Corbariam itur, apud Gruterum pag. 62. n. 11. & Romæ inter marmora exſtat hoc, referente eodem pag. 63. n. 9.

SILVANO
AUG. SACR.
PRO SALUTE
ITUS. AC. REDITUS
IMP. CAES. DIVI. F.
AVGVSTI.

Aliud in vinea Julii tertii apud eundem pag. 1071. PRO. SALUTE. ITV. ET. REDITU. BUTRAE. N. SILVANO. ET. DIIS. OMNIBUS. Adde inſcriptionem elegantem à Guichenone Hiſt. Sab. & Jacobo Sponio ignot. Deor. aris n. 7. allatam; quæ in urbe Aixme Tarantaſiæ in Alpibus reperta:

Silvane ſacra ſemicluſe fraxino,
Et hujus alti ſumme cuſtos hortuli,
Tibi haſce gratas dedicamus muſicas. (alii *maximas*)
Quod nos per arva perque montis Alpicos
Tuique luci ſuaveolentis hoſpites.
Dum jus guberno, remque fungor Cæſarum
Tuo favore proſperanti ſoſpitas
Tu me meoſque reduces Romam ſiſtito.
Daque Itala rura te colamus præſide.
Ego jam dicabo mille magnas arbores
T. Pomponii Victoris Proc. Auguſto.

Ejuſ-

Ejuſdem Silvani nomen, cum Herculis & Liberi nominibus, circulo inſcriptum legitur, apud Prideaux Marmor. Oxon. pag. 308. ne deorum cuiquam loci prærogativa daretur. Ita enim cum Seldeno ſentit Jac. Gothofred. de jure præc. p. III. c. 4. Verum Reineſ. ad cl. I. n. 108. id nimis argutum vocat, cum clypei figura aliter inſcribi nomina deorum non patiatur. Alias vero id fieri ſolitum, docet Auſon. de ludo ſept. ſap. *Ut in orbe tereti nomina eorum inſcriberet, Ne primus eſſet, ne vel imus quiſquam.* Sic etiam explicari debet, quod Cajus, lib. I. Inſt. tit. 2. §. 2. ait, neminem ſervorum liberum eſſe, quorum manumiſſio in circulo adſcripta eſt: etſi Joſeph. Nerius lib. I. Anal. c. 27. & Merill. lib. VII. Obſ. c. 40. cum locum aliter interpretentur.

At quid illud monſtri Silvanus? Latinum numen erat, ruſticum, ſilvaticum & agreſte, finium tutor. Virgilius lib. II. Georg. vſ. 493.

Deos qui novit agreſtis,
Panaque, Silvanumque ſenem
Nymphaſque ſorores.

Idem lib. VIII. Æn. verſ. 600.

Silvano fama eſt veteres ſacraſſe Pelaſgos
Arvorum pecoriſque Deo, lucumque diemque,

Qui

Qui primi finis aliquando habuere Latinos.

Alibi, in monumentis lapideis ſub CAMPESTRIBUS diis comprehenditur, apud Gruter. pag. 1015. n. 2. & Spon. Miſcell. p. 107. Vetus ſcriptor agrorum in collectione Goeſii pag. 294. tres Silvanos facit: *Omnis poſſeſſio quare Silvanum colit? quia primus in terram lapidem finalem poſuit. Nam omnis poſſeſſio tres Silvanos habet: unus dicitur domeſticus poſſeſſioni conſecratus: alter dicitur agreſtis, paſtoribus conſecratus: tertius dicitur orientalis, qui eſt in confinio luci poſitus.* Cum enim Silvano ſive Pani, velut univerſali materiario, omnia ſubjacere crederent, hinc poſſeſſiones ſuas, in tres claſſes diſtinctas, ſecundum aruſpices, totidem Silvanis, velut præſidibus, adſignabant. SILVANI DOMESTICI meminerunt lapides apud Grut. p. 64. n. 12. & Reineſ. cl. 1. n. 102. 103. Atque hic à Lare non multum differebat, & familiæ curam habebat, uti ex ambarvali ſacrificio, Marti Silvano facto, apud Caton. de R. R. c. 141. intelligitur: *Paſtores pecuaque ſalva ſervaſſis* &c. Alterum *agreſtem* Servius ad Virgilii lib. 1. Georg. vſ. 20. *deum ſylvarum*, Ovidius lib. I. Metam. vſ. 192. *monticolam* appellavit:

Sunt mihi Semidei, ſunt ruſtica numina Nymphæ, *Fau-*

Faunique Satyrique & monticolæ Silvani:
Quos quoniam cœli nondum dignamur honore
Quas dedimus, certe terras habitare ſinamus.

Tertius autem, in luci confinio ſepoſitus, idem eſt, qui *tutor finium* appellatur Horatio Epod. II. vſ. 22. Silvanus autem non a ſilvis, ſed ἀπὸ τῆς ὕλης, quod univerſæ materialis ſubſtantiæ dominator cenſeretur, nomen accepit, ſecundum Macrob. lib. I. Saturn. c. 22. iſque velut univerſæ rei ruſticæ, ſilvarum & viarum DEUS SILVANUS, SALUTARIS, SALUTIFER; ELEUTHERIUS, itemque SILVANUS CUSTOS in antiquis Inſcriptionibus appellatur, pag. 64. & 65. Gruteri, & Gudii pag. 42. n. 6. Jungitur quoque Herculi &Mercurio, tanquam muneris ſociis, apud Gruter. p. 62. n. 7. 8. & Gud. pag. 41. n. 5. 6. Symbolum ejus cupreſſus, quam amabat, ut Apollo daphnin, Pan ſyringam. Virgil. lib. I. Georg. vſ. 20.

Et teneram ab radice ferens, Silvane, Cupreſſum.

Alium vero habitum ei dedit Ecl. x. vſ. 24.

Venit & agreſti capitis Silvanus honore
Florentis ferulas & grandia lilia quaſſans.

In primis autem Larum Præſtes erat, ut Pluto Manium, Juppiter Deorum, & Janus Geniorum: ita ſane Meurſius putat exercit.

ercit. crit. part. 2. c. 1. Hinc apud Grut. pag. LXV. 2.

SILVANO
SANCTO. SACRO
LARUM. CAESARIS
N. ET COLLEGI MAGNI

Ubi male Reineſius ad cl. 1. n. 101. *ſacro larum* invertit, legendo *ſcholarum*: male etiam Scaliger Silvanum Larum, corrumpendo aliam inſcriptionem Gruteri pag. 66. n. 1. ſibi fingit, Prideaux applaudente in append. marm. Oxon. pag. 113. Fabrettus enim in II. Diſſert. de aquæd. n. 190. & de col. Trajan. cap. 7. oſtendit, Silvanum collegii magni Larum & Imaginum tutelarem fuiſſe, ſic enim lapis ab eo prolatus: SANCTO. SILVANO SACR. EUTYCHES COLLEGII. MAGNI. LAR. ET. IMAG. Cur vero Silvanus ſodalitii hujus tutor lectus ſit, ratio eſſe poteſt, quod & Lares & Manes cum Silvano in nemoribus, lucis & ſilvis habitare credebantur. Propertius lib. III. El. 1.

Callimachi manes & Coi ſacra Philetæ
In veſtrum, quæſo, me ſinite ire nemus.

Atque ex his lucem accipit Galli Favonii Jocundi teſtamentum, quod exſtat apud Gruter. pag. 871. n. 2. & Briſſonium de form. lib. VII. pag. 674 in quo is filios, Jocundum & Pudentem, ea conditione he-
redes

redes inſtituit, ut oſſa ejus intra quinquennium à Luſitania exportent, & via Latina condant; ſin ſecus, omnia *templo Dei Silvani reparando* inferri, *maneſque* ſuos opem Pont. Max. implorare jubet, ut ſacerdotes *Dei Silvani* oſſa in urbem referant, & ſepulchro condant. Ceterum illud obiter addam, apud Ulpianum in *l.* 17. §. 9. *D. de act. emt.* perſonas, ex quarum roſtris aqua ſalire ſolet, Cujacium lib. XI. obſ. c. 2. explicaſſe Tullios & Silvanos, Lucretii, Feſti & Celſi auctoritate; ſed quia roſtrum non convenit ruſtici illius numinis figuræ, alibi rectius eos interpretatus eſt *Silanos*, lib XIV. obſ. cap. 13. nam veteres Gloſſæ ſilanum κρήνλω vertunt, et meliores illorum Auctorum Codices non *Silvanos* habent, ſed *ſilanos*, id eſt fiſtulas, unde aqua ſalit.

Inter ruſticos Lares porro fuit Priapus, hortorum Deus, dextra tenens falcem, ut avibus et furibus terrorem incuteret. Unde *cuſtos furum atque avium cum falce ſaligna* vocatur apud Maronem IV. Georg. 110. Horatius. Epod. 2. vſ. 19.

Ut gaudet inſitiva decerpens pyra,
Certantem & uvam purpuræ;
Qua muneretur te, Priape, & te, pater
Silvane, tutor finium.

Ti-

Tibullus lib. I. El. 1.

Pomoſiſque ruber cuſtos ponatur in hortis,
Terreat ut ſæva falce Priapus aves.

Virgilius Ecl. VII. 33.

Sinum lactis, & hæc te liba, Priape, quotannis
Expectare fas eſt: cuſtos es pauperis horti.

Prudentius l. I. contra Symm. vſ. 111.

Hic Deus, & patrio prænobilis Helleſponto,
Venit aduſque Italos ſacris cum turpibus hortos
Sinum lactis, & hæc votorum liba quotannis
Accipit, ac ruris ſervat vineta Sabini.

In aditu enim hortorum ad fures, ut dixi, abigendos collocabatur prope viam; unde ſimul inter Deos viales honoratus. Apud Horat. lib. I. ſerm. Ecl. 8. vſ. 3. Priapus de ſe

- - - Deus inde ego, furum aviumque
Maxima formido: nam fures dextra coërcet.

Inde & in lucis colebatur, ſicut *Miphletzeth* apud Judæos idololatras; vid. III. Reg. 15. & II. Paral. XV. 16. ubi in Latina, quæ Hieronymo tribuitur, verſione legitur: *quod feciſſet in luco ſimulacrum Priapi.* Seniores vero idolum hoc Aſtartem interpretantur: alii Belum Phegorium Priapum fuiſſe crediderunt, qua de re Seldenus de diis Syris Synt. I. cap. 5. & II. c. 2. 5. adeundus eſt.

Porro quia Priapus juxta vias, ideo apud auctorem carminis liberi in Priapejis 29. ignarus viarum inquit:

Falce minax & parte tui majore, Priape,
Ad fontem, quæſo, dic mihi qua ſit iter?

pariter etiam ac Hermæ in compitis, triviis & quadriviis ponebatur, cum virga in manu, quæ monſtraret iter. Quin ipſis Mercuriis & Terminis Vialibus veretra longa & immania, ut Priapis, attribuebantur, quod Scaliger in notis ad h. l. Romæ in ædibus Cardinalis de Cæſiis ſe vidiſſe teſtatur. Inde &, ut puto, in Elide apud Cyllenenſes Mercurius ſpecie membri arrecti cultus, auctore Pauſania in Eliac. 11. & Artemidoro l. I. 47. Εἶδον, inquit: δὲ καὶ ἐν Κυλλήνῃ γενόμενος, Ἑρμοῦ ἄγαλμα, οὐδὲν ἄλλο ἢ αἰδοῖον δεδημιουργημένον λόγῳ τινὶ φυσικόν. *Sed & quum Cyllenæ eſſem, vidi Mercurii ſimulacrum, nihil aliud quam pudendum: fabricatum ratione certa naturale.* Fontes autem ad reſtinguendam ſitim viatoribus exciſos, ne quis dubitet, en! adſcribo venuſtum epigramma quod Ocricoli, ad fontem oppido illi vicinum, conſpici refert Henr. Salmuth ad Panciroll. lib. I. tit. 21.

Monte ſub hoc triplici cunctis fluit unda ſalebris
Quæ levet arentem, ſi cupis, unda ſitim.

Siſte

Siſte gradum, repara vires, hoc fonte, viator
Dic, precor, ut vireat mons ſimul iſte diu.

Prorſus ut Ovidius lib. III. Amor. eleg. 6. ad amnem propter viam fluentem:

Quis te tum potuit ſitiens haurire viator?
Quis grata dixit voce: perennis eas?

Denique ſicut Priapum a nautis et piſcatoribus adoratum, ex Theocrito et Pindaro diſcimus, ita eundem portuum præſidem et litoralem Deum fuiſſe, Jac. Nic. Loënſis lib. III. Miſcell. c. 15. ex Græcorum Epigrammatibus probavit. Antipater Sidonius:

Λαίφεα δ' ἐνύφεα περιτονίζεται· ταῦθ' ὁ Πελήπος
Ὕμμιν εὐορμίταις παῖς ἐννέπω Βρομίου.

Vela bene texta rudentibus tendite, hæc ego Priapus
Puer Bromii vobis nactis portum dico.

Marcus Argentarius:

- - - τῷ σὺ Πελήπῳ
Πειθόμενος πασῆς ἅπτεο ναυτιλίης.

- - - tu Priapo
Fretus omnem arripito navigationem.

Satyrus Thyllus:

Ταῦθ' ὕμιν πλώουσιν ἐπ' ἐμπορίην ὁ πελήπος
Ὁ λιμενορμίτης ναυτιλίῃ τρέφομαι.

Sic vobis navigantibus ad portum ego Priapus
Portuum appulſor a nauticis feris.

 Idem

Idem quoque marinum munus, ut cetera Epigrammata Græca, a Loënſe conducta mittam, ex Petronio cognoſcere licet cap. 104. *Videbatur mihi ſecundum quietem Priapus dicere, Encolpion, quod quæris, ſcito a me in navem tuam eſſe perductum.* Catullus denique, in carmine de Priapo, apud Maurum Terentianum in carmine de Metris, omni eum oræ Helleſpontiacæ præficit:

Hunc lucum tibi dedico conſecroque, Priape,
Qua domus tua Lampſaci ſita eſt, quaque Priape
Nam te præcipue in ſuis urbibus colit ora
Helleſpontiaca, ceteris oſtreoſior oris,

Nunc miſſis Diis iſtis nimium maſculis ad Deas accedamus. Quas inter eminet Fortuna Redux, majorum gentium Numinibus adſcripta. Proſtant de ejus itinerum tutela teſtimonia complura; at Dioni primas dabo, ut ſtatim moneam tirones, ne cum Samuele Pitiſco in lex. Antiq ſub Domitiano demum id cognominis Fortunæ tributum exiſtiment. Dio enim lib. LIV. hunc in modum de Auguſto ſcribit: *Ob reditum ejus, ac propter ea, quæ abſens egiſſet, multa ac varia in honorem ejus decreta ſunt: quorum ille nihil accepit, niſi quod Fortunæ Reduci aram conſecrari, diemque ſui reditus inter ferias referri, & Auguſtalia dici*

ci paſſus eſt. Martialis VIII. 65. ob Domitiani reditum:

Hic ubi Fortunæ Reducis fulgentia late
Templa nitent, felix area nuper erat.

Claudianus Hon. Cons. VI.

Aurea Fortunæ Reduci ſi templa priores
Ob reditum vovere ducum; num dignius unquam
Hæc dea pro meritis amplas ſibi poſceret ædes?

Eandem obſecrat Horatius, ut Cæſarem conſervet in Britannos iturum lib. I. Ode 35.

Serves iturum Cæſarem in ultimos
Orbis Britannos, & juvenum recens
Examen, Eois timendum
Partibus, Oceanoque rubro.

Item in Catalectis Virgilianis p. m. 242. & apud Pighium Hercul. Prodic. pag. 385. T. Cæſius primus negotiator frumentarius, ex voto centenas coronas annuatim donabat Fortunæ Præneſtinæ, in epigrammate ſequente:

Omnibus hic annis votorum more ſuorum
Centenas adicit numero creſcente coronas,
Fortunæ ſimulacra colens & Apollinis aras.

Veterum quoque monumenta, & nummi Auguſti, Getæ et Gordiani; tum gemmæ, apud Auguſtinum, Triſtanum, Gronovium, Gorlæum & Choulium FORTUNAM REDUCEM nobis exhibent, modo cum

gubernaculo, modo cum rota: illud iter maritimum, hæc terreſtre deſignat; ubi vero rota & gubernaculum conjunguntur, iter mari terraque peractum intelligitur. Vide Cl. Henninium, in notis ad Bergierium lib. IV. ſect. 43. ubiex Boiſſardo A. R. VI. fig. 114. & Baudelotio de Dairval Util. des Voyages tom. I. pag. 337. ejus figuras repræſentat, cum inſcript. SALVOS. IRE. SALVOS. REDIRE. Denique marmora antiqua plus vice ſimplici ejus meminere. Gruteriana 2. pag. 8.

I. O. M. ET
FORVUNAE, REDUCI
PRO. SALUTE. ITU. ET.
REDITU

In 1. pag. 88. junguntur lares viales:

FORTUNAE
REDUCI. LARI
VIALI. ROMAE
AETERNAE

In lapide 4. pag. 8. *genius loci.* in 8. 50. *Deus Mercurius:* in 6. pag. 77. *Juppiter Serenus* eidem aſſociantur. ApudCl.Heſſelium, in appendice præfationis, ad Gudii corpus Inſcript. *n.* 10. talis invenitur, ex baſi columnæ marmoreæ, in horto Turcici cujusdam gynæcei, Conſtantinopoli deſcripta:

FORTUNAE REDUCI
OB DEVICTOS GOTHOS

&

& ab altero latere

IC̄ XC̄ NI KA (with Ω above IC and XC)

Sed omnes elegantia ſuperat epigramma vetuſtum, quod Cl. Græviuſ in Proleg. ad tom. X. Theſ. & Ill. Gudius pag. 49. n. 4. ex Ligorio, cum orbe erudito communicarunt:

FORTUNAE. REDUC. VIATOR
CONSERVATRIC. SACR.
SEX. PERCILIUS. SEX FIL.
PRISCUS. MAGISTER
VICI. NOVANI. FABRICI
EX. V. S.

Vides Fortunam reducem *viatorum conſervatricem* vocari. Hoc enim ut alia infinita cognomenta accepit, poſtquam Servius vim ejus divinam extulit cœloque locavit, auctore Plutarcho in Quæſt. Rom. cap. 71. & 72. Homeri ætate nondum illa in deorum numerum erat relata, uti Pauſan. lib. IV. c. 30. & Macrob. lib. V. ſat. c. 16. monuerunt; poſteris autem temporibus late regnavit apud Græcos & Romanos, omniſque Italiæ ora maritima, ab Antio ad magnam Græciam, inter communes Deos & familiares eam retulit, ut ex Cæſio Priſco tradit Arnobius lib. 3. & Plut de fort Rom. Inde *Torquatiana* & *Tulliana* dicitur in ſaxis

apud Sponium ſect. 3. n. 73. Idque nummus Pertinacis oſtendit apud Oiſelium tab. 42. n. 3. in quo viſitur Fortuna, dextera navis gubernaculum tenens, cum inſcriptione DIS CUSTODIBUS. Vocatur ADJUTRIX & SALUTARIS in lapidibus antiquis. *Omnipotens* & *rerum humanarum domina*, apud Virgilium VIII. Æneid. & Ciceron. pro Marcello. Inſcriptio apud Reineſ. cl. 1. inſcr. 119. Fabrett. c. 10. n. 107. & Gudium pag. 47. n. 6.

FORTUNAE. AUG.
PRO. SALUTE. ET. REDITU.
DOMINORUM. N
SEVERI. PII. ET. AN-
TONINI. PII. AUG.

Si quis autem ex me quærat, quid Deæ hujus nomine intellexerint veteres? ei reſpondebo verbis Democriti apud Euſebium: τύχης εἴδωλον πλάσαντο, πρόφασιν ἰδίης ἀγνοίης. *Finxerunt idolum Fortunæ, propriæ ignorantiæ velamentum.* Antiphon orat. adverſus Herodem, eam opponit Providentiæ; contra Pindarus in numerum Parcarum retulit. Pauſanias dearum potentiſſimam in rebus humanis prædicavit: aliis τύχη vocatur. Quidam quoque ei, ut ceteris diis, apud Martial. lib. 1. ep. 13. & Sueton. Veſpaſ. c. 10. exprobabant, ſi minus ſecundam experirentur. Pedo Albinovanus Eleg. 1. vſ. 371.

Fortu-

Fortuna arbitriis tempus diſpenſat iniquis,
Illa rapit juvenes, ſuſtinet illa ſenes.
Quaque ruit, furibunda ruit, totumque per orbem
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.
Regna deæ immitis parce irritare quærendo,
Sollicitare animos parce potentis heræ.

Qui vero citra certi alicujus Dei vialis invocationem iter fauſtum eſſent experti, ad hoc, quod ipſi ignorabant, numen recurrebant; unde FATUM BONUM ei junctum in 7. pag. 1017. & ipſa Fortuna BONA vocatur in lapide 5. pag. 74. nam omnem Deum, quem ſibi propitium & faventem vellent, aut jam eſſent experti bonum vocabant: ut *bona Juno* apud Virgil. 1. Æneid. vſ. 738. *precor Lympham & bonum eventum* apud Varron. lib. 1. de R. R. init. Vide Joh. Clerici art. crit. p. 11. ſ. 1. c. 9.

Cicero quidem in Topicis cap. XVII. *Latent*, inquit, *quæ ſubjecta ſunt Fortunæ, cum enim nihil ſine cauſa fiat, hoc ipſum eſt Fortunæ eventus, obſcura, quod latenter efficitur.* Sed Ariſtoteli abſurdum videbatur Fortunam eſſe Deam: quia ubi plurimum eſt mentis, ibi minimum ſæpe Fortunæ, ubi autem plurimum Fortunæ, ibi minimum mentis. Ipſe Plinius veſanos ejus cultores irridet lib. 2 cap. 7. *Toto quippe mundo & locis omnibus, omnibuſque horis,*

omniumque vocibus Fortuna ſola invocatur. Una nominatur, una accuſatur, una agitur rea, una cogitatur; ſola laudatur, ſola arguitur, & cum convitiis colitur; volubilis, à pleriſque vero & cœca exiſtimata, vaga, inconſtans, incerta, varia, indignorumque fautrix. Huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta; & in tota ratione mortalium, ſola utramque paginam facit. Adeoque obnoxii ſumus ſorti, ut Sors ipſa pro Deo ſit, qua Deus probatur incertus. Juvenalis etiam per vulgi imprudentiam inter numina illam relinqui indicat ſat. X. in fin.

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia: ſed te
Nos facimus Fartuna Deam, cæloque locamus.

Fortunam excipiet Dea Bivia, quæ in biviis, ubi carri & ciſia conducebantur, antiquitus fuit celebrata. Arnobius lib. IV. adverſus gentes: *Ab erroribus viarum Dea Bivia liberat.* Editio Batava habet *Vibilia*, quod placuiſſe Cl. Scriverio ex notis ejus oræ adſcriptis vidi inter MStos illuſtris Maſtrichtii, Reip. Bremenſis nuper Syndici, quem propter ſingularem pietatem, variam eruditionem & compluria in me merita, ample ſatis laudare non poſſum. At quia de *Vibilia* altum apud omnes eſt ſilen-

ſilentium, ego olim legendum ſuſpicabar *Vitellia*; hanc enim multis locis pro numine cultam, ſcribit Suetonius. In variantibus Arnobii lectionibus video & legi *Upilia* vel *Upibilia*. Sed nunc omnino cum Scaligero legendum puto *Bivia*, quæ biviis præfuit, ut Diana Trivia triviis. Sic enim in titulo apud Gruterum 5. pag. 84.

H. D.

IS. DEA

BIVIS. TRIVIS

QUADRIVIS. AVREL

VICTORINUS &c.

Marcus Zuerius Boxhornius, in Quæſt. Rom. 12. elegantiæ cauſſa à milite Deam IS hic fictam putat, ἀπὸ τοῦ *ire*, quod forſan videret *is* in ſequentium vocabulorum ſyllaba poſtrema id denotare, quod aut ire aut viam dicimus. Verum optime vidit eruditiſſimus Reineſius, in epiſtola 27. ad Rupertum, legendum eſſe I. H. D. D. DIS. DEAB *in honorem divinæ domus, diis Deabus*. quam emendationem amplectuntur Marquardus Gudius in not. & Joh. Georg. Grævius in proleg. theſ. tom. V. Certe IS DEA omnibus gentibus & ſeculis eſt ignota: Dii autem Deæque ſemitales, Bivii, Trivii & Quadrivii in alia inſcriptione pag. 1015. 1. nominantur apud Gruterum:

IN.

IN. H. D. D.

BIVIIS. TRIVIIS.

QUADRIVIIS. &c.

Quadriviis vicani Bibienſes ſtatuam, aut tale quid, ponunt, in hoc epigrammate apud Reineſium Cl. 1. n. 140.

DIIS. QUADRIVIIS VICANI

BIBIENSES. D. S. P.

Aliud prope Viennam Auſtriæ effoſſum apud Jacobum Sponium Miſcell. pag. 84. & ignot. Deor. ar. 7. eadem feminumina præfert:

SILVANAB. ET

QUADRIBIS. AVG. SACRUM

C. ANTONIVS. VALENT.

cetera.

Huc etiam quodammodo pertinent tres Deæ Mairæ campeſtres, quibus Metenſes, in pacis vico habitantes, votum faciunt apud Boiſſardum:

IN

HONOREM

DOMUS DIVI

NAE DIIS MAIRABUS

VICANI VICI PACIS.

Eodem referenda eſt *Mater Stata*, quæ ſtratis viarum præfecta. Feſtus: *Statæ Matris*

tris ſimulacrum in foro colebatur, poſtquam id colluſtravit, ne lapides igne corrumperentur, qui plurimus ibi fiebat nocturno tempore. Magna pars populi in ſuos quiſque vicos retulerunt ejus deæ cultum. Scaliger pro *colluſtravit* legi jubet *Cœlius ſtravit.* Nonnulli Veſtam intelligunt, quæ a ſiſtendo Statæ nomen acceperit, Ἑςία παρὰ τὸ ἑςάναι; ſed invito Lipſio, de Veſta & Veſtal. cap. 1. Illud liquet, hanc vicorum Deam fuiſſe, & Fortunæ *ſtatæ* meminit lapis Romanus Grut. p. 79. n. 5.

His addam denique minutas quaſdam puerorum Deas, quodammodo ad claſſem vialium pertinentes, ex Auguſtino lib. IV. de civ. Dei cap. 21. ubi magnam Deorum turbam ridens, *Quid neceſſe erat*, inquit, *Opi deæ commendare naſcentes, deo Vaticano vagientes, deæ Cuninæ jacentes, deæ Ruminæ ſugentes, deo Statilino ſtantes, deæ Adeonæ adeuntes, Abeonæ abeuntes?* Et: *Cur enim eſſet invocanda propter feſſos diva Feſſonia?* lib. VII. cap. 3. *Juno ſelecta & regina, Joviſque ſoror & conjunx, hæc tamen Iterduca eſt pueris, & opus facit cum deabus ignobiliſſimis Abeona & Adeona.* Alius forſan Afræ, non Romanæ ſuperſtitionis puſilla hæc numina eſſe putarit, ſed Attica juventus per *Hegemonen*, velut comitem & ducem ſuam jurabat, auctore Pau-

ſania

ſania in Bœoticis & Polluce l. 8. c. 9. & ſicut Janus *Patulcius* vocatur Ovidio, ita *Junonis Patulciæ* meminit Titus Fabatius, Procurator Fiſci, in lapide apud Reineſ. cl. I. n. 33. Nec aliter *Pandam* vocabant, quæ Tito Tatio, ut Capitolinum caperet collem, viam panderat, auctore Arnobio lib. IV.

CAPUT XIII.

De Neptuno, Dioscuris et ceteris diis marinis.

Via, iter & curſus de navibus. Oceanus & Thetys deorum marinorum antiquiſſimi: tum Neptunus, majorum gentium Ponti deus. Feriæ & ludi in ejus honorem celebrati. Ei ſupplicabant navigantes, gratias agebant, & vota ſolvebant. Neptunus Redux, Conſervator & Σώτηρ *dictus. Dii Cabiri, nec non Caſtor & Pollux nautarum ſervatores; templa & cultus eorum. Horum ſtellæ non niſi in extremo periculo apparebant; quotquot illis initiati a naufragio tuti; vota iis ſoluta. Dii marini minores Glaucus, Proteus, Nereus, Panopea, Portunus, qui & Melicerta. Nereidês Nymphæ in claſſes diviſæ. Dii marini in imo mari, ſenes*

& cœrulei, an a diis littoralibus diverſi. Flumina, Venti, Fluctus & Tempeſtates inter divos. Victimæ Diis marinis oblatæ, aliis nigræ, aliis albæ. Neptuno taurus, Thetidi juvenca, ceteris hœdus. Exta in mare projecta: vinum in fluctus fuſum. Quomodo tutela navis differat ab ejus inſigni, & ubi collocata. Actor. XXVIII. vſ. 11. *illuſtratur. Navium nomina a ſignis animalium. Navigantes irato mari ungues reſecabant & capillos. Naufragorum tabulæ & veſtes in templis & arboribus ſuſpenſæ.*

Hactenus de diis & deabus, quæ itinera terreſtria aperuere, nunc Deos marinos, majorum gentium & medioxumos, inania nautis præſidia, ut paucis explicemus, ſupereſt. Proprie quidem Dii viales, ut via, ad terram pertinent; at *curſus*, *currere*, *iter* & *via*, apud Homerum, Ariſtophanem, Virgilium & Catullum nautis crebro tribuuntur, uti Cerda ad III. Æn. vſ. 190. n. 4. obſervavit: quinimo ſicut Græci naves *currus* & *vehicula marina* appellarunt, teſte Polluce lib. I. c. 9. ita Varro apud Nonium, nautas *equiſones nauticos* dixit, & Prætor edicto vetuit, *ne iter in flumine fiat deterius*. Virgilius: *Tendit iter*

velis,

velis, portumque reliquit, lib. VII. Æneid. vſ. 7. Cum ergo veteres hæc nautarum itinera, velut rem diram, contemplarentur, & mortem in aquis fœdam haberent, quotquot dolato confiſi ligno vitam fluctibus committebant, & vim tempeſtatum nulla ope humana ſuperabilem experiebantur, Deorum ſibi auxilio opus eſſe videbant, ut à naufragio, ſyrtibus, ſcopulis & aliis mille, quæ navigantes comitantur, Scyllæ & Charybdis periculis eſſent tuti. Horatius Ode 1. 14.

- - - non tibi ſunt integra lintea,
Non Dî, quos iterum preſſa voces malo.

Propert. III. Eleg. 20.

Ergo ego nunc rudis Adriaci vehar æquoris hoſpes,
Cogar & undiſonos nunc prece adire deos.

Statius lib. II. Achill. vers. 297.

Tunc ex more deis (ita namque monebat Ulyſſes)
Æquoreis, Auſtrisque litat, fluctuque ſub ipſo
Cœruleum regem tauro veneratur avumque
Nerea, vittata genitrix placata juvenca eſt.
Hic ſpumante ſalo jaciens tumida exta profatur.

Quanquam porro alii fuerint Dii Viales terreſtres, alii marini, & à neutris id quod non ſuæ ſit poteſtatis & muneris poſtulatum,

tum, Sol tamen & Luna, ſub Apollinis & Dianæ nomine, in hac rurſus claſſe principatum tenent, velut communes peregrinantium duces, ut ſupra vidimus pag. 119. & 147. Mercurio item & Herculi navigantes commendatos fuiſſe, oſtendimus p. 158. & 192. Silvanum denique & Priapum, tanquam ab hoc munere non alienos, depinximus capite præcedente. Oceanus autem & Thetys Deorum marinorum antiquiſſimi memorantur, quia veteres credebant universa ex aqua principium habere; quam ob rem eoſdem, ut communes deorum hominumque parentes coluere, ſicut Potterus ad Lycophron. Caſſ. vſ. 145. ex Orphei Hymno in Oceanum & Homeri Iliad. ξ. monſtravit. Juniores quoque deos magno in honore eos habuiſſe Ovidius indicat 11. Metam. vſ. 509.

- - - & ad cœnam deſcendit in æquora Thetyn,
Oceanumque ſenem, quorum reverentia movit
Sæpe deos.

Deinde primus inter pelagi Deos fuit Neptunus, a *nuptu* dictus, quod terras ac maria obnubit; vel ἀπὸ τοῦ νίπτειν, ut Scaliger lib. 2. de cauſ. plant. vel ab Ægyptiorum νέφθυν, quod terræ extrema & mare contingentia notabat, interprete Plutarcho de

R Iſid.

Iſid. & Oſirid. nam quod Cicero a Latino *no* vel *nato* derivat, nimis longe petitum eſt. Ita ille lib. II. de nat Deor. c. 26. *Datum eſt Neptuno, alteri Jovis, ut volunt, fratri maritimum omne regnum: nomenque productum, ut Portunus à portu, ſic Neptunus à nando, paululum primis litteris immutatis.* Muneris originem nobis refert Diodorus Siculus lib. v. cap. 69. *Inter alios Deos, Saturno & Rhea genitos, ajunt Cretenſes, Neptunum primum maris negotium tractare cœpiſſe, claſſemque inſtituiſſe, hanc præfecturam à Saturno adeptum. Ideoque fama apud poſteros increbuit, quæ in mari geruntur, in hujus arbitrio eſſe: & propterea eum ſacrificio nautæ honorant.* Ipſe de ſe apud Virgilium I. Æneid. 137.

Maturate fugam, regique hæc dicite veſtro:
Non illi imperium pelagi ſævumque tridentem,
Sed mihi ſorte datum.

Inde Neptunalia in ejus honorem X. Kal. Auguſti navigiis celebrabantur, teſte Kalendario vetere. DIES NEPTUALIORUM vocatur apud Gruter. pag. 460. n. 3. eoque ferias inſtitutas tradit Varro lib. 5. de L. L. & Auſonius in Ecloga de feriis 17.

Aut duplicem cultum, quem Neptunalia dicunt,
Et quem de Conſo, conſiliiſque vocant?

Feſta

Feſta hæc navigiis, aut quæ celebrata quadrigis
Jungunt Romanos, finitimoſque duces.

Eidem *itineris duci*, ut Scipio apud Livium vocat lib. 26. c. 45. ſupplicabant nautæ, νοςὸν ἐπειγομένοις δόμεναι, *ut reditum velit laborantibus reddere*, Orpheus Argon. vſ. 1365. Ei fauſtum iter tribuebant, Homer. Iliad. IX. vſ. 362. & qui ex itinere maritimo ſalvi redierant, gratias habebant maxumas eidem. Plaut. Trinumm. actus IV. 1.

Salſipotenti & multipotenti Jovis fratri & Nereo Neptuno,
Lætus, lubens, laudes ago, & grates gratiaſque habeo & fluctibus ſalſis
Quos penes mei poteſtas boni, naviſque foret & meæ vitæ
Quod ſuis me ex locis in patriam urbiſque mœnia reducem faciunt.

Atque ego, Neptune, tibi ante omnes alios
Deos gratias ago atque habeo ſummas.

Rurſus Gripus piſcator Rudent. IV. ſc. 2. vſ. 1.

Neptuno has ego meo patrono gratias,
Qui ſalſis locis incolit piſculentis,
Cum me ex ſuis pulchre ornatum expedivit
Templis reducem, plurima præda onuſtum.

Eidem votum ſolvebant ex itinere reduces. Marmor Capuæ, via publica in baſi ſeu ara apud Gruterum 62. n. 6.

 NEP-

NEPTUNO
SACRUM
VOT. IN. SICULO. FRETO
SUSCEPTUM. SOLVIT.

Huic etiam propitio & benevolenti, pro ſalute L. Minicii Fundani, Proconſulis Aſiæ ſub Hadriano, L. Marius ex voto poſuit hanc pag. 1014. 6.

D. M. PROPI... OLENT
NEPTUNO. SACR.
PRO. FELICI. ITU. AC. RED.

Nec mirum ergo eſt, quod Neptunus REDUX, ET CONSERVATOR, in nummis Auguſti, Titi & Poſtumi vocatur. Et ſicut propriam Deorum appellationem apud Græcos vocat Euripidis interpres, ut Ἄνακτες, hoc eſt Σωτῆρες dicerentur, ita Neptunum σωτῆρα dictum, apud Herodotum legas, lib. VII. c. 193. eique ædem hoc nomine apud Artemiſium erectam; nimirum, ut ipſe de ſe loquitur, apud Lucianum, in Jove Tragœdo t. II. pag. 141. σώζων τοὺς πλέοντας, *ſervans navigantes*. Vid. Spanhem diſſ. VII. de Præſt. & uſu num. p. 416. Eidem *reduci*, id eſt, *reducenti*, etiam poſitus lapis, Oſtiæ erutus, adfertur à Grævio in præfat. ad tom. X. Theſaur. Antiq. Fabretto c. 5. pag. 405. & Gudio pag. 41. n. 4.

NEP-

NEPTUNO. REDUC.
SACRUM
Q. MANILIUS. Q. F. PAL.
SEVERIANUS.
VI. VIR. AUG. ET. FLAM.
TITIAL. V. S. L. M.

Rurſus eidem Neptuno propitio ſemper deo Antipatri filius, in inſcriptione Chalcedonenſi, libens poſuit ΑΓΑΘΗΣ ΣΥΜΒΟΛΟΝ ΕΥΠΛΟΙΗΣ, *felicis ſymbolum navigationis.* Uterque, & Sponius in Miſcellan. pag. 332. & Wehlerus vidit & exſcripſit hoc monumentum; ſed non unis oculis: utriuſque explicationem conjunxit Fleedwoodus ſyll. inſcript. pag. 52. 53. Dligentius vero eandem emendavit, expoſuit & Euripidis ſimili loco in Troadibus vſ. 78. illuſtravit vir Cl. Gottlib. Sigefridus Bayer, de diis vial. Græcor. c. 7.

Proximos Neptuno facimus Deos Cabiros fratreſque pileatos, Caſtorem & Pollucem, qui θεοὶ μεγάλοι, Διόσκουροι, Ἄνακες, *Dii magni, Dioſcuri, Anaces,* ſive *Anactes* dicuntur apud Ælium Dionyſium, Pauſaniam, Plutarchum & Varronem lib. IV. de L. L. Hiſtoria eorum ex Pindaro & Theocrito petenda eſt. Varias eorum claſſes tradit Cicero in III. de N. D. c. 21. Διόσκουροι *apud Grajos multis modis nominantur. Primi tres, qui appellantur Anactes, Athenis*

ex Jove, rege antiquiſſimo & Proſerpina nati, Tritopatreus, Eubuleus, Dionyſius. Secundi duo, Jove tertio nati & Leda, Caſtor & Pollux. Tertii dicuntur a nonnullis Alco & Melampus, Emolus, Atrei filii, qui Pelope natus fuit. Plures Dioſcuros recenſent Damaſcius apud Photium cod. 242. Euſeb. de præp. Evang. l. 1. c. 7. & Euſtathius ad Odyſſ. Λ. pag. 438. at de ingente narrationum diverſitate queritur Strabo lib. X. & Varro lib. IV. de LL. vulgi errorem notat, quod Dioſcuros Cabiros, ſeu Deos Magnos Samothraces, cum Caſtore & Polluce confundat. Sed nobis ſufficit, quod utrique & Cabiri & Gemelli ad numina nautarum vialia pertinent, ideoque miſſis reliquis, quæ Bochartus in Chanaan 1. c. 12. Fabrett. de col. Trajani c. 3. Voſſius de orig. & progr. idol. lib. 11. c. 36. & Tobias Gutberlethus, in diſſertatione, de Myſteriis deorum Cabirorum, ſumma diligentia dixerunt, quæ ad inſtitutum noſtrum pertinent, proſequemur.

Et primum quidem Samothraces illos *Cabiros*, id eſt potentes, lingua Ebraica, vel *Divipotes*, ut Varro & Tertullianus interpretantur, navigantibus omnibus utiles viſos fuiſſe, preces ad eos miſſæ, et tabulæ pictæ, et cæſaries ipſis oblata apud Orpheum Argonaut vſ 465. Apollonium

lonium Argonaut lib IV. vſ. 1548. Callimachum epigr. 51. & Ciceron. de N. D. lib. III. c. 37. ſatis oſtendunt. Caſtor quoque et Pollux, poſtquam a Jove patre ad ſuperos relati (ſunt enim Indigetes et adſcriptitii Dii) iſtiusmodi ſibi ſtationem impetrarunt, ubi commode navigantibus præeſſent. Quare θεοὶ σωτῆρες appellantur apud Artemidorum Oneir. II. c. 42. et Ælianum lib. 1. Hiſt. c. 30. et lib. 4. cap. 5. Tzetzes in Lycophronem: διὸ καὶ θαυμάσαντες αὐτοὺς οἱ Ἀθηναῖοι, Ἄνακας, ἤτοι θεοὺς, καὶ σωτῆρας ἐκάλεσαν. *Quapropter admirati eos Dioſcuros Athenienſes*, Ἄνακτας, *id eſt Deos & ſalvatores, appellarunt.* Pauſanias in Corinthiacis: *In baſi*, inquit, *Neptuni inſculpti ſunt* οἱ Τυνδάρεω παῖδες, ὅτι δὴ σωτῆρες καὶ οὗτοι νεῶν, καὶ ἀνθρώπων εἰσὶ ναυτιλλομένων. *Tyndari filii, quod ipſi quoque ſalutaria creduntur navibus & vectoribus numina.* Heſperum et Luciferum Ledæos juvenes vocant nonnulli. Quidam Geminos eſſe in Zodiaco putant. Hinc Homerus ἑτερημέρους eos vocat, aitque alternis diebus vivere ac mori. Sidera appellantur apud Petronium cap. 99. *Ego cum Gytone, quicquid erat, in altum compono, & adoratis ſideribus intro navigium.* Nam veluti ſtellæ ſupra navigia apparebant. Seneca I. Nat. Q. 1. *In magna tempeſtate apparent quaſi ſtellæ velo inſidentes:*

dentes: adjuvari ſe tunc periclitantes exiſtimant, Pollucis & Caſtoris numine. Optimum enim omen ſi gemini ignes viſi. Theocritus Idyll. 23. de Dioſcuris:

Ἀλλ' ἔμπης ὑμεῖς τε καὶ ἐκ βυθοῦ ἕλκετε νᾶας
Αὐτοῖσιν ναύταισιν οἰομένοις θανέεσθαι.
Αἶψα δ' ἀπολήγοντ' ἄνεμοι, λιπαρὰ δὲ γαλάνα
Ἀμπέλαγος, νεφέλαι δὲ διέδραμον ἄλλυδις ἄλλαι.
Ἐκ δ' ἄρκτοι τ' ἐφάνησαν ὄνων τ' ἀνὰ μέσσον ἀμαυρὴ
Φάτνη, σημαίνουσα τα πρὸς πλόον εὔδια πάντα.

Attamen vos etiam ex profundo retrahitis naves,
Una cum ipſis nautis, qui ſe morituros eſſe putabant.
Statim vero venti deſinunt, & mitis tranquillitas
Per mare, nebulæque diffugere aliæ alio
Et rurſum apparent urſæ, atque inter medios aſinos obſcurum
Præſepe, ſignificans ad navigationem ſerena omnia.

Imitatus eſt Horatius lib. 1. Carm. Ode 12.

Dicam & Alciden, puerosque Ledæ:
Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem; quorum ſimul alba nautis
Stella refulſit.
Defluit ſaxis agitatus humor,
Concidunt venti, fugiuntque nubes
Et minax (quod ſic voluere) ponto
Unda recumbit.

Hinc

Hinc in nummis aliisve antiquis monumentis, vulgo cum duabus ſtellis conſpicui; *aſtroque comantes Tyndarides* à Valerio Flacco lib. V. vſ. 367. et *fratres Helenæ, lucida ſidera* ab Horatio Ode I. 3. 1. appellantur. Vide Spanhemii Obſervat. in hymnum Callimachi in Pallad. vſ. 24. pag. 557.

Hos ſtatuis, lucis, templis, feſtis et ſacrificiis perfectis dignati ſunt, non tantum Samothraces, ſed et omnes Græciæ populi, ut Pauſanias paſſim docet, et ex aliis ejuſdem bonæ notæ ſcriptoribus oſtendit Meurſius lib. IV. Græc. feriat. et Petrus Caſtellanus de feſtis Græc. in Ἀνάκεια. Inſigne quoque monumentum reperias apud Montfauconium ſupplem. antiq. t. 1. lib. 4. c. 4. ex quo diſcimus, Dioſcuros Cabiros, ut magnos deos, Athenis cultos fuiſſe. Quod Gemelli etiam *Dii magni* apud Romanos dicti fuerint, inſcriptio Gruteri oſtendit pag. 98. n. 9. CASTORI ET POLLVCI DIIS MAGNIS. Servius ad III. Æneidos v. 12. *Varro unum eſſe dicit Penates & magnos Deos. Nam & in baſi ſcribebatur MAGNIS DIIS. Et idem Varro & alii complures magnos Deos affirmant ſimulacra duo virilia Caſtoris & Pollucis, in Samo-Thracia ante portum ſita, quibus naufragio liberati vota ſolve-*

vebant. Hos quoque, tanquam imperium in ventos et nubes habentes, multa prece, & publica & privata, Romani colebant. Æthicus in Cosmograph. de Tiberi: *Inſulam facit inter portum urbis & Oſtium civitatem, ubi populus Romanus cum Urbis præfecto, vel Conſule, Caſtorum celebrandorum cauſa egreditur, ſolemnitate jucunda.* Iisdem ædes duæ erant dedicatæ, altera in foro Romano, altera in circo Flaminio, ut notum eſt. Hos etiam adorabant navigia intrantes, ut æquora panderent, ac iter per ea ſuaderent. Plinius lib. II. H. N. 37. *Polluci & Caſtori id numen aſſignant, eosque in mari deos invocant.* Statius Propemptico Metii Celeris:

- - - proferte benigna
Sidera, & antennæ gemino conſiſtite cornu
Oebalii fratres: vobis pontusque polusque
Luceat

Rutilius lib. I. Itin. v. 155.

Pande precor gemino placatum Caſtore pontum.
Temperet æquoream dux Cytheræa viam.

Non autem niſi in ſupremo diſcrimine apparebant, cum vel metus vel periculum præceſſiſſet, cumque nautæ nullum, niſi à Numinis auxilio, exitum ſperare poterant. Unde ἀπὸ μηχανῆς θεοὶ à Laconibus diſſol-

cti, ut obſervavit Iſaacus Voſſius ad Catullum pag. 289. ubi is ad Manlium carm. 68. v. 63.

At velut in nigro jactatis turbine nautis
Lenius adſpirans aura ſecunda venit.
Jam prece Polluces, jam Caſtora implorante,
Tale fuit nobis Manlius auxilium.

Addo Arrianum lib II. in Epictet. cap. 18. τοῦ θεοῦ μέμνησο, ἐκεῖνον ἐπικαλοῦ βοηθὸν καὶ παραστάτην, ὡς τοὺς Διοσκόρους ἐν χειμῶνι οἱ πλέοντες. *Dei memento, illum adjutorem invocato & commilitonem, ut Caſtorem & Pollucem, qui in tempeſtate navigant.* Ariſtophanes Pace v. 221.

Ὦνδρες τι πεισόπεςα νῦν ἀγὼν μέγας:
Ἀλλ' εἴ τις ἡμῶν ἐν Σαμοθρᾴκῃ τυγχάνει
Μεμυημένος, νῦν ἐςὶν εὔξασαι καλόν.

Nunc viri aliquid patiemur; nunc magnum certamen:
Sed ſi quis noſtrum in Samothracia eſt
Initiatus, nunc orare tempeſtivum eſt.

Ubi Scholiaſtes οἱ, inquit, ἐν κινδύνοις γενόμενοι ἐπεκαλοῦντο τούτους τοὺς Δαίμονας, τοὺς ἐν Σαμοθρᾴκῃ, τούς τε Κορύβαντας, καὶ τὴν Ἑκάτην. *In periculo conſtituti invocabant Samothracum Deos, & Corybantas, & Hecaten.* Quod initiatos Cabiris, ait, contra tempeſtates maris tutos eſſe, id etiam tradit vetus Apollonii interpres ad lib. 1. vſ. 917.

Ἀρ

Ἀῤῥήκτοις ἀγανῆσι τελεσφορίῃσι θεμίστας
Σωότεροι κρυόεσσαν ὑπεὶρ ἅλα ναυτίλλοιντο.

Intemerandis legibus imbuti & ſeveris initiati cultibus
Certiori cum incolumitate formidoloſum navigarent mare.

Ubi Scholium: Τὰς τελετὰς λέγει, τὰς ἐν Σαμοθράκῃ ἀγομένας, ἃς, εἴ τις μυηθείη, ἐν τοῖς κατὰ θάλασσαν χειμῶσι, διασώζεται. *Initiationes dicit, quæ celebrantur in Samothrace, queis ſi quis initiatus fuerit, in tempeſtatibus in mari conſervatur.* Propertius etiam, multum ſævieente tempeſtate, parum à morte remotus, diu *optatos quærit Tyndaridas* lib. 1. El. 17. Horatius l. IV. Od. 8.

Clarum Tyndaridæ ſidus ab infimis.
Quaſſas eripiunt æquoribus ratis.

Claudianus de bello Gildon. vſ. 210.

Sic cum præcipites artem vicere procellæ,
Aſſiduoque gemens undarum verbere nutat.
Deſcenſura ratis cæca ſub nocte vocati
Naufraga Ledæi ſuſtentant vela Lacones.

Qui ab itinere erant reduces, vota ante diſceſſum, vel in periculo nuncupata, iis ſolvebant. Orpheus altero Κουρήτων hymno vſ. 4.

Οἵτε Σαμοθρᾴκην ἱερὴν χθόνα ναιετάοντες
Κινδύνοις θνητῶν ἀπερύκετε ποντοπλανήτων.

Quique Samothracum habitacula ſacra colentes
Caſibus eximitis per cærula veliſicantes.

Eude-

Eudemus, cum ſalvus procellas effugiſſet, navim donavit Cabiris, apud Callimachum Epigramm. 51.

Θῆκε θεοῖς Σαμόθραξι: λέγων ὅτι τήν δε κατ' εὐχὴν
Ω λαοὶ, σωθεὶς ἐξ ἁλὸς ὧδ' ἔθετο.

Donavit Diis Samothracibus, dicens quod hanc ex voto,
O populi, ſervatus ex mari hic poſuit.

Sic etiam Fl. Valerius Rufus, legatus provinciæ Galliæ Narbonenſis, *Magnis diis votum quod abiens fec. poſt. reditum de ſuo ſolvit*, in marmore apud Gruter. pag. 1019. 1. & in alio pag. 1016. 3.

CASTORI. ET. POLLUCI.
SACRUM.
OB. FELICEM. IN. PATRIAM.
REDIT. TOT. SUPERAT.
NAUFRAGII. PERICULIS.
EX. VOTO. CUM.
SOCIIS.
L. M. P.
C. VALERIUS. C. F. AGELL.

Pelagi quoque imperium tenuere Glaucus, Panopea, Melicerta, Thetis, & Nereus, qui θεοὶ θαλάσσιοι, ἐνάλιοι, διαπόντιοι Græcis, *Lares permarini* Livio lib. XL. cap. 52. Servio ſæpius *Dii marini* dicuntur, ad V. Æneid. vſ. 241. & 824. De his quoque Stra-

Strabo ait, lib. VI. commemorat pag. 277. Senatum Romanum, cum a Tito Flaminio, Siciliæ Prætore, certior eſſet factus periculorum maritimorum, miſſis legatis, rem ſacram procuraſſe τοῖς τε καταχθονίοις θεοῖς καὶ τοῖς θαλαττίοις, *diis Manibus & Marinis.* Apud Pollucem lib. I. c. I. n. 23. inter alia deorum cognomina referuntur θαλάττιοι, καὶ οἱ αὐτοὶ ἐνθαλάττιοι, *Marini, qui & Pontici.* Pleroſque complexus eſt Lucillius:

Inoque, Glaucoque & Nereo, dein Melicertæ,
Et Samothracum diis, æquoreoque Jovi,
Servatus dicat è pelagi Lucillius undis:
Hos crines, aliud namque habet ille nihil.

Virgilius I. Georg. 437.

Votaque ſervati ſolvent in littore nautæ
Glauco & Panopeæ & Inoo Melicertæ.

Melicerta Latinis *Portunus* vocatur, quia portuum præſes, apud eundem lib. V. vſ. 239.

Dixit, eumque imis ſub fluctibus audiit omnis
Nereidum Phorcique chorus Panopeaque virgo;
Et pater ipſe manu magna Portunus euntem
Impulit.

Ubi Servius notat: *Portunus Deus marinus,*

nus, qui portubus præeſt. Dicebatur *Portunus et Portumnus*: nam in tribus lapidibus apud Gudium pag. 3. n. 6. eſt ÆDITUUS PORTUMNI & pag. 59. PORTUMNO. BONO. DEO. TRANQUIL. verum pag. ſeq. n. 1. legitur PORTUMNO & PORTUNAE TRANQUILLAE SACRUM. Arnobius lib. III. pag. m. 113. *Per maria tutiſſimas præſtat Portunus commeantibus navigationes: & cur inſanum mare tam frequentes expoſuit crudelium naufragiorum ruinas?* Feſtus eum, tanquam maris & portuum curatorem, clavim manu tenere, in voce *claudere* ſcribit: *Portumnus clavim manu tenere fingebatur, & Deus putabatur eſſe portuum.* Alios id genus Virgilius recenſet dict. lib. V. vſ. 822.

Tum variæ comitum facies; immania cete;
Et ſenior Glauci chorus Inouſque Palæmon,
Tritoneſque citi, Phorcique exercitus omnis.
Læva tenent Thetis & Melite Panopeaque virgo,
Neſæe, Spioque, Thaliaque Cymodoceque.

Valerius Flaccus lib. I. vſ. 188.

Tum læti ſtatuunt aras, tibi, rector aquarum,
Summus honos: tibi cæruleis in littore vittis
Et Zephyris Glaucoque bovem, Thetidique juvencam

Dejicit

Dejicit Ancæus.

Nereides erant Nerei e Doride filiæ, quas *centum æquoreas Nereo genitore puellas* Catullus; *Nymphas natantes incolaſque aquatiles* Prudentius περὶ ςεφάνων appellavit. Nomina earum retulit Homerus Iliad. 18. Schemata & claſſes dedit Montfaucon. tom. 1. Ant. p. 385. qui etiam in ſupplem. t. 1. lib. 2. c. 7. figuras deorum marinorum ex pavimentis aliquot muſivi operis expreſſit. Squamis quibuſdam in facie & in pectoribus eos, velut peculiari nota diſtinctos, Fabrettus repræſentavit de col. Trajan. c. 9. pag. 308. DII AQUATILES vocantur in lapide Reineſii cl. 1. n. 69. Omnes vero in imis voraginibus antriſque maris habitare credebantur, uti Turneb. lib. xvi. adverſ. cap. 32. cum Servio explicavit illud Virgilii lib. 1. Æneid vſ. 125. *imis ſtagna refuſa vadis.* Manilius lib. V. vſ. 11. de urinatoribus:

Corpora qui mergunt undis, ipſumque ſub antris
Nerea, & æquoreas conantur viſere Nymphas.

Omnes præterea ſenes dicebantur, quod capita eorum alberent ſpumis aquarum, auctore Servio ad lib. iv. Georg. vſ. 403. Amictus cœruleus; unde *Glauci cœruleati* meminit Vellejus Paterculus lib. 11. c. 83.

&

et Apulejus lib. IV. de comitibus Veneris: *Adſunt*, inquit, *Nerei filiæ, chorum canentes, & Portumnus cœrulis barbis hiſpidus.* De omnibus denique hiſce marinis notandum, eos fere inter deos plebejos & puſilla numina referendos eſſe; quia, pariter ac Lares ſupra, erant homines beneficio mortalium in Deos relati. Unde *Medioxumi* vocantur, ut Illuſtris Cuperus lib. III. obſ. c. 16. docuit ex iſto Servii loco ad III. Æneid. vſ. 134. *Quidam aras ſuperorum deorum volunt eſſe: Medioxumorum, id eſt marinorum, focos.*

Ceterum an iidem fuerint dii *marini* & *litorales* quæſitum eſt; Jacobus Nicolaus Loënſis lib. III. Miſcell. c. 15. Apollinem Actium & Helleſpontiacum Priapum intelligit per deos litorales Catulli carm. 4. Turnebus lib. 25. Adverſ. c. 21. Glaucum, Panopæam & Melicertam interpretatur, ex Virgilii lib. I. Georg. 436.

Votaque ſervati ſolvent in litore nautæ
Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.

Gevartius ad Statium Deos *marinos* à *litoralibus* diſtinguendos eſſe contendit, cum hi potiſſimum fuerint Dii Cœleſtes, ut Apollo ἐπάκτιος apud Apollonium, & *Pallas litorea* apud Statium 1. Achill. Voſſius autem ad d. l. Catulli nullum fere deorum majorum minorumve eſſe, ait, cui fana

in litoribus ſacrata non fuerint; & quamvis marini dii plerumque pro turba innominata, imis in gurgitibus habitante, & pro medioxumis ponantur, nil tamen video, quod obſtet, quominus omnium Deorum, qui nautis præſunt, ſimulacra, templa & aras in litoribus poſita credamus Virgilio lib. V. Æneid. vſ. 237. Dionyſius enim Halicarn. lib. 1. cap. 38. ſimiliter ſcribit, veteres cuique deorum loca convenientiſſima dedicaſſe, montes & nemora Pani, Nymphis prata & loca virentia, at *litora & inſulas marinis numinibus.* Apud Boiſſardum quoque Antiq tom. VI. p. 30. Satyrus colliculo inſidens dextram porrigit mulieri nudæ, addita ſubſcriptione:

SILVANO. LITORALI. ET.
MUSAE LACHES

Sicut porro Veteres Oceanum religioſe colebant, tanquam Deum, ita fluvios quoque Deos & Diis ſacratos legimus. Ægyptii Nilo, Indi Indo fluvio ſacra faciebant, auctore Philoſtrato lib. II. de vita Apollon. c. 19. & 31. Perſæ in fluvium non immejebant, nec in eo lavabant, aut abluebantur; nec cadaver injiciebant, nec alia immunda; quia aquam, ut numen, colebant, Herod. lib. I. cap 138, & Strabo lib. XV. extr. Apolloniatæ, Epiri cives, Æanti fluvio, ab Epidamniis ſibi in adjuto-

torium miſſo, *ut Deo immolaverunt*, eoque duce in omnibus deinceps præliis uti inſtituerunt, Valer. Max. lib. 1. c. 5. n. ult. In Umbria, fons & fluvius Clitumnus, *præſens numen, atque etiam fatidicum*, fortes indicaſſe dicitur, apud Plin. lib. VIII. epiſt. 8. De Romanis Cicero lib. III. de N. D. c. 20. *Fontis delubrum Maſo ex Corſica dedicavit, & in augurum precatione Tiberinum, Spinonem, Anemonem, Nodinum, alia propinquorum fluminum nomina videmus.* Germanorum Deus & numen patrium cenſebatur Rhenus, uti ex reperto apud Coloniam Agrippinenſem ſigillo æneo, ad figuram Tiberini patris, monuit Freherus; ejus inſcriptio erat: DEUS RHENUS. Maxime vero ex ſpecu naſcentes pro Diis celebantur, eisque aræ ſtatuebantur. FONTIBUS DIVINIS SACR. eſt in lapide Brixiano apud Gruter pag. 172. n. 7. Seneca epiſt. 41. *Magnorum fluminum capita veneramur, ſubita ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet: coluntur aquarum latentium fontes, & ſtagna quædam vel opacitas vel immenſa altitudo ſacravit.* Hanc ob rem *ſacra, lucos & aras*, patriis amnibus dicata, memorat Tacitus lib. I. Annal. c. 79. & in fontibus fluminum natare nefas erat. Idem lib. 14. Ann. c. 22. de Nerone, qui cum fontem aquæ Marciæ

 ad

ad urbem deductæ nando inceſſerat, *videbatur potus ſacros & ceremonias loci corpore toto polluiſſe, ſecutaque anceps valetudo iram Deûm affirmavit.* Immo in quibuſdam navigare vetitum. Plinius lib. VIII. epiſt. 20. de lacu Vadimonis: *nulla in hoc navis: ſacer enim eſt.* Hinc etiam fluvios tranſituri adorabant, uti ſupra cap. 1. pag. 10. ex Heſiodo, Arriano, Virgilio & Silio vidimus; iiſque in trajiciendo equos vel tauros conſecrabant & immolabant, Sueton. lib. 1. c. 81. & Plutarch. in Lucullo. Iiſdem quoque, ut Diis, parvi nummi ærei, quos ſtipes vocabant, honoris cauſa, vulgo injiciebantur. Seneca lib. 4. Qu. nat. 2. de Nili venis, inter ſcopulos erumpentibus: *In hac ora ſtipem ſacerdotes, & aurea dona præfecti, quum ſolenne venit ſacrum, jaciunt.* Plinius dict. epiſt. 8. Clitumni gurgitem, ait, adeo purum & vitreum fuiſſe, *ut numerare jactas ſtipes poſſis.* Sueton. Aug. c. 57. *Omnes ordines in lacum Curtii quotannis, ex voto pro ſalute ejus, ſtipem jaciebant.* Ubi plura Caſaubonus, quocum Rupertus jungatur ad Florum lib. II. cap. 20. §. 7. & ad Valer. Max. lib. I. c. 4. qui horum numinum ſimulacra dormientia pingi ſolita, Tiberis & Maronis fluvii exemplis oſtendit. De fontis numine, videſis etiam Grot. ad Marciani Ca-

pellæ

pellæ lib. 1. & Reineſ. ad cl. 1. n. 51. Inſcript.

Venti denique, Fluctus & Tempeſtates, inter maritima numina, ſuas habebant aras, ſtatuas & templa, in quibus navigaturi hoſtias offerebant ac precabantur: cum enim ſæpe homines viderent, ex procellis & tempeſtatibus ſe nulla arte eluctari poſſe, ipſique votorum, quantum ſatis eſt, Diis feciſſent, tandem ad harum inviſibilium poteſtatum auxilium convolabant. Pauſan. in Corinth. pag. 106. in Sicyoniæ regione Titane: *Ara eſt ventorum, ad quam nocte una quotannis ſacerdos ſacrum facit.* Herodotus lib. VII. cap. 178. *In delubro Thujæ ara eſt ventis conſtituta, iiſdemque ſacrificatum.* Quod Perſæ Ventos coluerint, cum Herodoto lib. I. c. 131. tradit Strabo lib. 15. Lacedæmonios ventis equum immolare, et adolere in monte Taygeto, nos docet Feſtus, in voce *October*. Heſiod. θεογ. vſ. 871. Boream, Zephyrum et Notum ex Diis ortos, ait, reliquos vero ex Typhœo. Athenienſes Boreæ, tanquam adfini ſuo, templum apud Iliſſum fluvium ſtruxerunt, auctore Herod. VII. c. 189. et Pauſania Attic. c. 19. Thurii quoque τῷ Βορρᾷ ἔθυσαν *Boreæ rem divinam fecerunt*, et decreverunt, ut ventus ille ſit ſuus civis, domumque ei et agrum aſſignarunt, ſingulisque annis ſacra ei fecerunt, teſte Æliano

lib. XII. c. 61. Idem Megalopolitas feciſſe memorat Pauſan. in Arcad. c. 36. Πεποίηται Βορέᾳ τῷ Ἀνέμῳ Τέμενος, καὶ οἱ Μεγαλοπολῖται θυσίας θύουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος, καὶ θεῶν οὐδενὸς Βορέαν ὕστερον ἄγουσιν ἐς τιμὴν, ἅτε σωτῆρα γενόμενον σφίσιν ἀπὸ Λακεδαιμονίων τε καὶ Ἄγιδος. *Factum eſt templum Boreæ vento, & Megapolitani ſacra illi faciunt quotannis, nec quoquam Deorum minus venerantur Boream, quippe qui ſervaverat eos à Lacedæmoniis & Agide.* Seneca lib. V. Natural. Quæſt. cap. 17. *Divus Auguſtus templum illi* (Circio vento) *cum in Gallia moraretur, & vovit & fecit.* In lapide apud Reineſium inſcript. pag. 186. navicularius mercator Orithyæ, Aquilonis conjugi, votum ſolvit:

HORITHYAE
L. BARBIVS. L. LIB.
THEOPOMPUS
NAV. MERKAT
V. S.

Horithya illa eſt Erechtei regis Athenienſium filia, amata raptaque ad Ilyſſi ripas a Borea Thracio; uti præter alios late deſcribit Ovidius lib. VI. Metam. vſ. 683. ubi Boream deum vocat:

Dilectaque diu caruit Deus Orithyïa.

Poſſes quoque, cum Reineſio, Ὠρειθυιὰν unam Nereidum Nympharum hic intelli-

ge-

gere, quam Homerus Iliad. Σ. vſ. 48. Hyginus fab. 1. & Suidas nominarunt. Vid. Meurſ. de regib. Athenienſ. lib. II. cap. 13. Certior ventorum cultus ex alio lapide, in Africa reperto, colligitur, apud Spon. Miſcell. pag. 77. & Burcardum Gotthelfſium Struvium V. Cl. ac de ſacris hiſce præclare meritum, Antiq. Rom. ſynt. cap. 1. pag. 169.

VINTIS
BONARVM. TEMPES
TATIVM. POTENTIBVS
LEG. III. AVG. DEDIC.
Q. FABIO. CALVITINO
LEG. AVG. PR. PR.

Venti bonarum malarumque tempeſtatum auctores ſunt; ſed JOVEM O. M. TEMPESTATIUM DIVINARUM POTENTEM, ex alia inſcriptione ſupra vidimus & illuſtravimus cap. VI. pag. 103. quibus nunc accedat Virgil. lib. 1. Georg. vſ. 27. ubi Auguſto adulatur, eumque *tempeſtatum potentem* fore ait, inſtar Jovis, aut ſi velit, *An Deus immenſi venias maris, ac tua nautæ numina ſola colant.* Videas Cl. Turre de Diis Aquilej. pag. 296. & ſeqq.

Tot vero quæ de ventorum cultu jam adduximus loca convincere poſſunt Dacierium, qui ad Horat. lib. 1. carm. 25. fin.

 non

non commeminit ventis quicquam dedicari; at ſi illis immolatum eſt, cur non & dedicatum? recte ipſi regerit Celeb. Bentlejus. Invocatos eos eſſe docet Propertius lib. III. Eleg. 5.

Di maris, Ægei quos ſunt penes æquora, Venti.

Ubi in notis Cl. Broeckhuſius addit Lucretium lib. V. vſ. 1225.

Summa etiam cum vis violenti per mare venti
Induperatorem claſſis ſuper æquora verrit,
Cum validis pariter legionibus atque elephantis;
Non Divûm pacem votis adit? ac prece quæſit
Ventorum pavidus paces animaſque ſecundas?

Fluctus placatos Cicero indicat lib. III. de nat. Deor c. 20. *Noſtri duces, mare ingredientes, immolare fluctibus hoſtiam conſueverunt.* Et ſenex Charmides, apud Plautum Trinum. Actus IV. ſc. I. grates gratiaſque habet *fluctibus ſalſis.* De Tempeſtatibus loco eod. Tullius, rejiciens infinitam illam ſuperſtitionis rationem: *Quod ſi nubes retuleris in deos, referendæ certe erunt Tempeſtates, quæ populi Romani ritibus conſecratæ ſunt.* His templum dedicavit L. Cornelius Scipio, Barbati filius, teſte

teſte antiquiſſima inſcriptione, quam Sirmondus & Anonymus doctis commentariis illuſtrarunt, in theſ. Grævii tom. IV. pag. 1832. cum enim, capta Corſica Aleriaque urbe, Scipioni magno conſtitiſſet victoria, ob Corſici maris rabiem, DEDET. TEMPESTATEBUS. AIDE. MERITO, Tempeſtatibus ædem merito dedit, ſive ſacravit. Ad eandem ædem pertinet Ovidii locus, non vero ad illam, quam M. Marcellus, a periculo navigationis in Corſicam liberatus, ſtruxiſſe fertur, extra portam Capenam, lib. VI. Faſt. 193.

Te quoque, Tempeſtas, meritam delubra fatemur,
Cum pene eſt Corſis obruta claſſis aquis.

Epignomus apud Plaut. Sticho III. ſc. 1. init.

Cum bene re geſta ſalvos convortor domum,
Neptuno grates habeo & Tempeſtatibus.

Aſtra, quæ ortu ſuo Tempeſtates, ut tonitrua, fulmina, grandines & nimbos cierent, Phænomenῶν ſcriptores appellant Arcturum, Hædos, Hyadas, Oriona, & Pleiadas; atque id de priore Apollon. lib. II. Argon. Aratus & Plautus Rud. Prol. vſ. 5. teſtantur.

Nam Arcturus ſum, ſignum omnium quam acerrimum
Vehemens ſum, exoriens cum occido vehementiſſimum.

De Hædis & Hyadibus Ovid. lib. 1. Triſt. Eleg. XI. vſ. 13.

Sæpe ego nimboſis dubius jactabar ab Hædis,
Sæpe minax Steropes ſidere pontus erat
Fuſcabatque diem cuſtos Erymanthidos Urſæ;
Aut Hyadas ſeris hauſerat auſter aquis.

Statius Thebaid. IX .vſ. 460.

- - - - cum Plejadas haurit,
Aut nigrum trepidis impingit Oriona nautis.

Contra Urſæ duæ, in Aquilonari regione, Helice & Cynoſura, amicæ nautarum fidiſſimæ, uti Barthius lib. 34. Adverſ. c. 15. multis Veterum locis oſtendit. Ovid. IV. Triſt. El. 3. vſ. 1.

Magna minorque feræ, quarum regit altera Grajas,
Altera Sidonias, utraque ſicca, rates.

Idem Epiſt. 18. vſ. 149.

Nec ſequar aut Helicen, aut, qua Tyros utitur, Arcton:
Publica non curat ſidera noſter amor.

Manil. 1. vſ. 294.

Summa tenet ejus miſeris notiſſima nautis

Si-

Signa, per immenſum cupidos ducentia pontum;
Majoremque Helice major decircinat arcum;
Septem illam ſtellæ certantes lumine ſignant,
Qua duce per fluctus Grajæ dant vela carinæ.
Auguſto Cynoſyra brevi torquetur in orbe.

Valer. Flacc. lib. I. vſ. 17.

- - - - - nec enim in Tyrias Cynoſura carinas
Certior, aut Grajis Helice ſervanda magiſtris.

Cur autem noxiis Tempeſtatibus ædes ſacras & aras poſuerint, in promtu ratio eſt; quia *Deos quoſdam, ut prodeſſent, celebrabant, quoſdam, ne obeſſent, placabant*, ait Gellius lib. V. c. 12. ubi Væjovem deum, qui non juvandi poteſtatem, ſed vim nocendi haberet, eadem ratione cultum fuiſſe, tradit. *Romani veteres diis aſperioribus ſacrificabant, ne nocerent*, ait Servius ad III. Æneid. vſ. 120. Similiter eoſdem, ſub Palatio colle, Febris & templum & aram ædificaſſe, ſcribit Ælianus lib. XII. cap. XI. Idem tradit Valer Maximus lib. II. c. 5. n. ult. & firmatur ex inſcriptionibus Gruteri pag. 97. FEBRI DIVAE, SANCTAE, MAGNAE

GNAE &c. Contumeliæ, Impudentiæ, Malæ Fortunæ & ſpurciorum fana Seldenus dabit de diis Syr. proleg. c. 3. Prudentius ſcabiem addit, Hamartigenia:

Par furor illorum, quos tradit fama dicatis
Conſecraſſe Deas, Febrem Scabiemque ſacellis.

Ceterum per mare iter facturi Neptuno taurum, Thetidi juvencam, bovem Glauco immolare ſolebant. Sic Homerus Alpheo & Xantho tauris factum ait, Iliad. XI. vſ. 727. & XXI. vſ. 131. Alexander tauros, Neptuno cæſos, in mare projecit, apud Indos, Arrian. lib. VI. pag. 415. Lucullus *Euphrati taurum immolavit, gratias ei pro tranſitu agens*, ut in vita ejus ſcribit Plutarchus pag. 507. Didymus ad Odyſſ. γ'. Ἔθυον ποσειδῶνι ταύρους μὲν δία τὸ βίαιον τῆς θαλάσσης, μέλανας δὲ δία τὴν χρόιαν τοῦ ὕδατος τὴν ἐκ τοῦ βάθους. Virgilius lib. III. vſ. 118.

Sic fatus, meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo;
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Hoc ipſum quoque Servius multis locis explicavit ad Æneid. II. 202. III. 21. 85. & 118. IX. 627. niſi quod Paulo Leopardo lib.

lib. XX. Emendat. cap. 23. juſto conciſior videtur. Cur vero tauros mari & fluminibus immolarint, ejus rei cauſam Euſtathius pag. 1237. a mugitu petit, quem mare & fluvii imitantur: μεμυκὼς ἠΰτε ταῦρος, de Xantho fluvio cecinit vatum pater Iliad. φ. Eadem ratione taurina cornua fluviis appingi, notant veteres Critici ad Euripidem, Oreſt. vſ. 1380. ubi Oceanus fluminum pater ταυρόκρανος vocatur. Inde & Neptunus Ταύρεος Εννοσίγαιος, *Taurinus Neptunus* Heſiodo audit Scut. Herc. verſ. 104. De Eridano Virgilius, *taurino cornua vultu.* De Tiberi Claudianus, *taurina levantur cornua.* V. Spanhem de præſt. diſſ. VII. pag 394. Niger vero taurus Neptuno immolabatur, quod maris agitati fluctus ejus coloris eſſe viderentur, uti ex Homero, Virgilio aliiſque probat Rad. Fornerius lib. 1. Rer. quod c. 15. & 16. ut nobis perſuaderet in l. 1. §. 16. *D. de aq. & aq. pluv.* pro aqua *increſcit*, legendum eſſe *nigreſcit*. Plane ratio victimarum fiebat pro qualitate numinum, & ad ſimilitudinem quandam: nam inferis nigras pecudes, ſuperis albas, ſerenitati candidas, at procelloſis ventis atriſque tempeſtatibus, quas Typhonas vocant, nigrum agnum immolabant; uti ex Ariſtophane in Ranis vſ. 871. & ex Græcorum commentariis referunt Gyral-

Gyraldus de Navigiis cap. 9. & Leopardus d. l. Inter Latinos vero Servius monuit ad dict. vſ. 118. Horatius Epod. X.

Libidinoſus immolabitur caper:
Et agna Tempeſtatibus.

Tenii quidam nautæ, tempeſtatem paſſi, cum vix quinto die Athenas appuliſſent, diis vota reddunt hædo parvo & macilento, quod qui ex hac cauſa ſacra faciebant, quam minimo poterant ſumtu pietatis officio defungi. Athenæus lib. IX. c. 6.

Πέμπτην ἔθυον ἡμέραν οἱ Τήνιοι
Πολιοὶ γέροντες, πλοῦν πολὺν πεπλωκότες
Λεπτὸν ἔριφον, καὶ μικρὸν οὐκ ἦν ἐκ φορᾶ.

Quinto ſacra die faciebant Tenii,
Senes cani, quod longa eſſent defuncti navigatione,
Gracilemque & parvum hædum immolabant, pelle detracta.

ubi perperam viri docti λευκὸν pro λεπτὸν ſcribi voluerunt, quod Caſaubono diſplicuit, & ex ſuperioribus refellitur: nam marinis numinibus atras victimas immolandas tradit Porphyrius apud Euſeb. Præp. Evang. lib. IV. cap. 9. & Spanhem. ad Ariſtoph. pag. 311. Inteſtina autem in mare jaciebantur. Virgilius V. Æneid. 771.

Tris Eryci vitulos & Tempeſtatibus agnam

Cædere

Cædere deinde jubet, ſolvique ex ordine funem.
Ipſe caput tonſæ foliis evinctus olivæ
Stans procul in prora pateram tenet, extaque ſalſos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.

Apud Livium lib. XXIX. c. 27. Scipio, è Sicilia in Africam trajecturus: *Secundum eas preces, cruda exta, cæſa victima, uti mos, in mare porricit, tubaque ſignum dedit proficiſcendi.* Silius lib. XVII. vſ. 48.

Ipſe alacer Sicula diſcedens Scipio terra
Abſcondit late propulſis puppibus æquor,
Cui numen pelagi placaverat hoſtia taurus,
Jactaque cœruleis innabant fluctibus exta.

Statius lib. II. Achilleidos 299.

Cœruleum regem tauro veneratur, avumque
Nerea, vittata genitrix placata juvenca eſt.
Hic ſpumante ſalo jaciens tumida exta profatur.

Una cum extis ſimul etiam vina fundebantur in fluctus. Virgilius lib. V. vſ. 238. & 776. & Statius lib. III. Silv. 2. in Propemtico Metii Celeris vſ. 23. de claſſe Ægyptiaca, quæ Palladi in Surrentino litore poſitæ fecerat:

Prima ſalutavit Capreas, & margine dextro
Sparſit Tyrrhenæ Mareotica vina Minervæ.

Navi-

Navibus ſolutis, cum litorales Dii è conſpectu fugiſſent, ad ea, quæ ſecum in navibus habebant, Deorum ſimulacra, in amaris ponti periculis, confugiebant. Neque enim domus illæ fluctuantes Diis cuſtodibus vacuæ eſſe debebant, unde veterum mos, etiam pueris notus, ſculpendi vel pingendi Deos in puppi, quorum tutelæ navigium erat conſecratum. Dii illi *Tutela navis* vocantur apud Senecam epiſt. 76. & Petronium cap. 105. Virgilius lib. X. Æneid. 171. *aurato fulgebat Apolline puppis*. Horatius lib. I. Ode 14. *Nil pictis tumidus navita puppibus Fidit*. Lucanus lib. III. vſ. 510. *non robore puto Ornatas decuit fulgens Tutela carinas*. Papinius lib. VIII. Theb. vſ. 269. *Solus ſtat puppe magiſter Pervigil, inſcriptaque Deus, qui navigat, alno*. Perſius ſat. VI. vſ. 29. *Jacet ipſe in litore & una Ingentes de puppe Dii*. Sed Ovidius lib. I. Triſt. El. 10. pr. præterea παράσημον, quod in prora erat, & nomen navi dabat, a tutela in puppi diſtinguit:

Eſt mihi, ſitque precor flavæ tutela Minervæ
Navis; & à picta caſſide nomen habet.

Valerius Flaccus lib. I. Argon. vſ. 301.

Viſa coronatæ fulgens tutela carinæ
Vocibus his inſtare duci.

tute-

Tutela autem Palladis erat ſimulacrum. Idem lib. VIII. vſ. 203.

Puppe procul ſumma, vigilis poſt terga magiſtri,
Hæſerat auratæ genibus Medea Minervæ.

Silius lib. XIII. Punic. vſ. 78.

Trojanam oſtentat trepidis de puppe Minervam.

Quandoque Deorum effigies in prora poſitæ, tanquam παράσημον & inſigne, a quo nomen navigio imponebatur. Sic verbi gratia in Actis Apoſtol. XXVIII. vſ. 11. navis Alexandrina, qua D. Paulus Syracuſas a Melita vectus, erat παρασήμῳ Διοσκούροις, cum *inſigni Caſtorum*. Ammonis in Græcia culti ſacram triremem narrat Dinarchus apud Harpocrationem: Αμμωνὶς ἡ τοῦ Αμμῶνος ἱερὰ τριήρης. Prætoria navis, ab Iſidis ſigno, ISIS III. vocatur in inſcript. vetere apud Pighium Herc. Prod. pag. 367. & alia id genus exempla congeſſit Clariſſimus Stanlejus in notis ad Æſchyl. Sept cont. Theb. vſ. 214. Cave tamen cum eo credas, παράσημον & Tutelam unum idemque fuiſſe. Optime hæc diſtinxerunt Viri Cl. Joſephus Scaliger in Euſebianis ad A. 634. Meurſ. ad Lycophron. n. 1299 Salmaſius Exercit. Plin. pag. 403. Daniel Heinſius ad Silium lib. 14. vſ. 543. Selden. de Diis Syr. ſynt. 2. c. 16. Bochart. lib. II. Geogr. c. 4. Fabrett. de

col. Traj. c. 4. p. 112. Gud. ad Phædr. lib. IV. fab. 24. Schefferus lib. III. de milit. nav. cap. 1. & recentiores alii. Quanquam enim unum ejuſdem Dei ſimulacrum nonnunquam in prora & puppi, plerumque tamen παράσημον animalis figura erat, aut heroïs, aut alterius rei; ut ærata tigris, immanis Triton, Phrygii leones, & centaurus apud Virgilium; capricornus in vetere inſcriptione Gruteri pag. 1030. & pegaſus in trierarchi nave, cujus filius ex *liburnæ paraſemo nomen accepit*, ait Scholiaſtes Juvenalis Sat. IV. verſ. 77. Quamvis etiam Lactantius lib. I. cap. XI. Scholiaſtes Lucani d. l. & Gloſſæ Græco Latinæ παράσημον tutelam vocarint, id tamen errori magis tribuendum videtur: ſane bruta, Deorum vialium ſymbola, jam vidimus ſupra pag. 104. & ſeqq. quodque hiſce temporibus multa navigia aves, vel quadrupedes in ſummo malo vel ejus vexillo pro ſigno gerunt, id a proris veterum fluxiſſe puto.

Denique, ut omnem nautarum cultum abſolvamus, naufragium deprecaturi ungues & capillos reſecabant, eoſque iratis diis marinis, ceu ultimum votum offerebant, & naufragio liberati ſolvebant. Hinc naufragus quidam Anthol. lib. VI. cap. 21. ep. 1.

Γλαύ-

Γλαύκῳ, καὶ Νηρεῖ, καὶ Ἰνοῖ, καὶ Μελικέρτῃ
Καὶ βυθίῳ Κρονίδῃ, καὶ Σαμόθρῃξι Θεοῖς
Σωθεὶς ἐκ πελάγους Λουκίλλιος ὧδε κέκαρμαι
Τὰς τρίχας ἐκ κεφαλῆς, ἄλλο γὰρ οὐδὲν ἔχω.

Glauco, & Nereo, & Inoi, atque Melicertæ
Et Saturnio marino, & Cabiris Samothraciæ,
Salvus ex naufragio Lucillius, ſic detondi
Crines capitis, aliud enim nihil habeo.

Idem tradit Lucian. in Hermotimo in fin. & Artemidorus Oneirocrit. lib. 1. cap. 23. Ναυαγήσαντες μὲν, ἢ ἐκ μεγάλου σωθέντες νόσου, ξυρῶνται οἱ ἄνθρωποι, *naufragi vel e gravi morbo liberati tondentur*. Ex eodem more Caſellius Durantius lib. 11. Var. cap. 10. lucem affundit Lucæ in Actis. Petronins cap. 63. raſuram *ultimum* naufragorum *votum* appellat, & cap. 104. *Audio enim non licere cuiquam mortalium in nave, neque ungues neque capillos deponere niſi quum pelago ventus iraſcitur.* Nonius: *Qui liberi fiebant ea cauſſa calvi erant, quod tempeſtatem ſervitutis videbantur effugere, ut naufragio liberati ſolent.* Juvenalis ſat. XII. vſ. 81.

Tum ſtagnante ſinu gaudent ibi vertice raſo,
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ.

Qui ex undis & tempeſtate ſervati in templo Neptuni vel Iſidis, una cum veſtibus,

in quibus evaſerant, tabellas dicabant, in quibus caſus & naufragii pericula depicta. Multis hunc morem illuſtrat Ezech. Spanhem. ad Plutum Ariſtoph. vſ. 938. nobis ſufficient Horatius lib. I. Ode 5.

- - - - me tabula ſacer
Votiva paries indicat, uvida
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo.

Juvenalis XII. vſ. 27

Et quam votiva teſtantur fana tabella
Plurima, pictores quis neſcit ab Iſide paſci?

Cicero lib. III. de Nat. Deor. c. 37. *Tu, qui Deos putas humana negligere, nonne animadvertis ex tot tabulis pictis, quam multi votis vim tempeſtatis effugerint in portumque ſalvi pervenerint?* In arboribus etiam antiquis ac ob vetuſtatem aridis Diis littoralibus dona votiva ac tabulas ſuſpendebant. Virgilius lib. XII. Æneid. vſ. 766.

Forte ſacer Fauno foliis oleaſter amaris
Hic ſteterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona ſolebant
Laurenti divo, & votas ſuſpendere veſtis.

C A-

CAPUT XIV.

De fatis deorum vialium.

Sapientiores unum credebant numen ſupremum, etiam Juriſconſulti; ſed vulgus ex operationibus ejus innumeros ſibi deos effecit. Horum ſimulacra priſcis inviſa, & a Poëtis irriſa. Cur aliquando Dii omnes, conſeſſus & concilia deorum invocarentur. Quid ſit ex viſu *votum facere. Numen, cujus ſexus ignotus,* Si deus, ſi dea, *alloquebantur. Deus ignotus Athenienſium Actor. XVII. vſ.* 23. *Dii locales & tutelares generaliter invocati. Dii municipes extra regionem non valebant. Lares & Penates domeſtica poteſtate tractati, pignerando & permutando. Tertullianus & l. 6. §. 3. D. de rer. diviſ. illuſtrata. Cultus lucorum & deorum vialium duravit ultra Caroli M. tempora; licet variis Principum edictis & Canonibus conciliorum ei obviam itum eſſet. l. 12. C. Th. de paganis & Capitularia laudata. Sanctorum ſtatuas in viis quibuſdam hodiernis videri rudera deorum vialium, & nunc minus, quam in primis Chriſtianis excuſanda. Duo ſuperſtitionis exempla lepida. Concluſio cum monito.*

Supereſt de fatis Deorum vialium quædam adjiciamus. Et primum quidem illud rurſus pro certo hic eſt habendum, ſapientioribus Græcorum & Romanorum, ex ſolo intellectus lumine, ſatis patuiſſe, a perfectione divina abhorrere, ſi plures uno Dii ſtatuantur: nam ſicut admiranda mundi harmonia unum duntaxat ejus moderatorem arguit, ita contradictorium eſſe videbant, plura dari infinita, immo finitos fore Deos, ſi plures eſſent paris poteſtatis, qui & ſe invicem impedire, aut contraria velle poſſent. Hinc unum Deum, & mentem, & fatum, & Jovem, multisque aliis pro ratione officiorum noſtrorum, appellari nominibus, docebat Zeno, auctore Laërtio lib. VII. c. 135. ejusque tota Stoicorum ſecta, ut ait Servius ad I. Georg. vſ. 5. & IV. Æneid. vſ. 638. Similiter unius Dei, numero ſingulari, ab his imbuti, Pomponius in *l.* 2 *de Juſt. & jur.* Ulpian. *l.* 9 *§.* 3. *de Rer. diviſ.* Paul. *l.* 32. *§.* 4. *D. de recept. qui arb.* & Marcianus in *l.* 4. *§.* 1. *ad L. Jul. pecul.* meminere. Hinc quoque Eleis, Arcadibus, Corinthiis & Lacedæmoniis βωμοὶ erant θεοῖς πᾶσιν ἐν κοινῷ, omnesque dii deæque σύμβωμοι colebantur, teſte Pauſania; perinde ac ſi unum deum, unumque ſacrorum genus agnoverint. Vulgus

gus autem diverſas Numinis virtutes & operationes, variis nominibus inſignitas, abjecta ratione, pro totidem diis habebat, unde polytheiſmus hominum ridicule ſuperſtitioſorum latiſſime manavit. Huic etiam errori longo ævo firmato, gentilium prudentiores ſe accommodabant, omnem illam ignobilem Deorum turbam ſic adorantes, ut meminerint, cultum ejus magis ad morem, quam ad rem pertinere, ut ait Seneca, apud Auguſtinum lib. v. de Civ. Dei cap. 10.

Altera obſervatio ſit, vulgata licet, ipſos gentium ſaniores, non probaſſe morem ſimulacra deorum conficiendi & adorandi: Plato quippe lib. x. de LL. vehementer eos reprehendit, qui in omni trivio delubra & altaria exſtruant, vana religione commoti; & Numa Pompilius, Romanorum rex, vetuit, hominis vel beſtiæ forma, Deum in publico fingi; nefas eſſe putans, auguſtiora exprimere humilioribus, neque adſpirari aliter ad Deum, quam mente poſſe, ut Plutarchus refert, in ejus vita. Varro quoque ſcribit, antiquos Romanos, plus quam annos centum & ſeptuaginta, Deos ſine ſimulacro coluiſſe; idque ſi porro manſiſſet, caſtius Deos obſervatos fuiſſe, exemplo gentis Judææ probat, & tandem concludit: *Qui primi ſimulacra*

Deorum populis poſuerunt, eos civitatibus ſuis & metum demſiſſe, & errorem addidiſſe, apud Auguſtin. de Civ. Dei lib. IV. c. 31. Secundum hunc morem antiquum Herculis Thebani & Ægyptii templa ſine idolis fuiſſe, tradit Philoſtratus, lib. V. Apollon. cap. 5. & Silius lib. III. Punic. vſ. 30.

Sed nulla effigies, ſimulacrave nota Deorum
Majeſtate locum & ſacro implevere timore.

Rudes quidem ipſa numina in ſimulacris habitare credebant, ſed ipſi Poëtæ gentiles largiter riſerunt. Horat. lib. I. Sat. 8. vſ. 1.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Cum faber, incertus ſcamnum faceretne Priapum,
Maluit eſſe Deum. Deus inde ego furum aviumque
Maxima formido.

De eodem Martialis lib. VIII. Ep. 40.

Non horti, neque palmitis beati,
Sed rari nemoris, Priape, cuſtos,
Ex quo natus es, & potes renaſci,
Furaces, moneo, manus repellas,
Et ſylvam domini focis reſerves
Si defecerit hoc, & ipſe lignum es.

Tan-

Tantus porro, in tam diverſis Paganiſmi regionibus, increverat Dæmoniorum numerus, eorumque poteſtates tam variæ erant & incertæ, ut miſella plebs, præter Jovem, deos deasque omnes crebro invocaret, iisque donaria ſolveret, ne præteritum Numen aliquod iratum ſibi ſentiret. Sic Hippocratis diſcipuli, in noto jurejurando, poſt Apollinem Medicum & Æſculapium, θεὺς πάντας καὶ πάσας teſtes invocabant; & ritu vetere Romano, in omnibus ſacris, poſt ſpecialia, quæ ad ipſum ſacrum, quod fiebat, neceſſe erat invocari numina, *omnes dii vel deæ confuſe invocabantur*. auctore Servio ad lib. 1. Georg. vſ. 10. Apud Gruterum pag. 2. n. 11. I. O. M. ET CONSESSVI DEORVM DEARVMQVE. pag. 3. n. 5. JOVI. O. M. ET DIIS DEABVSQVE IMMORTALIBVS & pag. 4. n. 7. IOVI. ET IVNONI REGINAE, ET GENIO LOCI, ET D. D. OMNIBVS vota ſolvuntur. Sed noſtro inſtituto maxime inſervit lapis, apud Smetium & Gruterum mendoſe, integer vero exſcriptus apud Mabillon. Itin. Ital. p. 1. pag. 46.

PRO. SALVTE. ITVS. AC. REDITVS
D. N. SANCTISSIMI. TI. AVG. ÆDICVLAM
CONCILII. DEORVM. DEARVMQVE

Quidam ne in ſexu errarent, utrumque conjungebant. Ita Onomacritus in Hymnis, qui Orpheus vulgo creditur, Minervam alloquitur Ἄρσην μὲν καὶ θῆλυς ἔφυς. SIVE DEO SIVE DEÆ C. Terentius Dexter votum ſolvit apud Fleetwood. pag. 6. Livius lib. VII. c. 26. de M. Valerio pugnante: *Precatus deinde, ſi divus, ſi diva eſſet, qui ſibi præpetem miſiſſet.* Gellius lib. II. c. 28. *Hoſtiam ſi deo, ſi deæ immolabat.* Servius ad lib. II. Æneid. vſ. 351. ait, in Capitolio clypeum conſecratum fuiſſe, cui inſcriptum GENIO VRBIS ROMAE SIVE MAS SIVE FEMINA. Macrob. lib. III. Saturn. c. 9. *Si deus, ſi dea es, cui populus civitasque Karthaginienſis eſt in tutela.* Alii vero, imitatione Græcorum, qui ὁ θεὸς & ἡ θεὸς dicunt, Deum, pro magno quovis numine, dicebant, ut Virgilius de Junone, vel Alecto: *Nec dextræ erranti deus abſuit*, lib. VII. Æneid. vſ. 498. ubi Servius numina utriusque ſexus videri, ait, quia incorporea ſunt, &, quod volunt, aſſumunt corpus. Sic Africani Aſtarten *Cœleſtum* appellabant, nec ſexum idoli priſca gentium myſteria diſtinguunt, ut utriusque naturæ vis ineffabilis indicaretur. vid. Selden. de diis Syris proleg. c. 3. & ſynt. 2. c. 2. Lunam quoque feminam ac marem habitam, ſupra vidimus

mus pag. 129. In Cypro item ſimulacrum barbatæ Veneris Ἀφρόδιτον vocabatur; quia, ut Macrobius ait, putant *eandem marem ac feminam eſſe*; quæ corpore & veſte erat muliebri, natura autem virili, eique viri in muliebri, mulieres in virili veſte ſacrificabant. Arnobius vero lib. III. adv. gent. recte paganos inſectatur pag. 104. quod ita corpora crediderint Deum; eique genitalium membrorum partes dederint, ut ſufficere prolem poſſet: *Non enim*, inquit, *deus mas eſt, ſed nomen ejus generis maſculini eſt; quod idem vos dicere in religone veſtra non quitis: nam conſueſtis in precibus, SIVE TV DEVS ES, SIVE DEA, dicere: quæ dubitationis exceptio dare vos diis ſexum, disjunctione ex ipſa declarat.*

Alii rurſus, cum mente finita modum, quo Deus exiſtit, non caperent, nec plura de eo perciperent, quam cœcus, cui natura lucis explicatur, Deum ignotum ſibi colendum inſtituerunt. Plane Athenienſes, receptis omnium Diis extraneis, ne forſan incognitus lateret, etiam ἀγνώστῳ θεῷ *ignoto deo* aram dedicarunt, auctore Paulo, in Actis apud Lucam XVII. vſ. 23. Firmant hanc inſcriptionem in numero ſingulari, tum ſcholia Græca, tum Lucianus & Laërtius, uti Druſius & Grotius ibi annotarunt: Pauſanias vero, Philoſtratus & Ter-

tul-

tullianus, cum ἀγνωςῶν θεῶν aras fuiſſe ajunt, aut multas aras tali inſcriptione, aut aliam pluraliter, præter illam ſingulariter inſcriptam, intellexere. Nil ſane opus eſt, ut cum Hieronymo ad Titum lib. 1. dicamus, inſcriptionem aræ non talem fuiſſe, ut Paulus aſſeruit, ſed ita: ΘΕΟΙΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΡΩΠΗΣ ΚΑΙ ΛΙΒΥΗΣ ΘΕΟΙΣ ΑΓΝΩΣΤΟΙΣ ΚΑΙ ΞΕΝΟΙΣ. DIIS ASIAE ET EUROPAE ET AFRICAE DIIS IGNOTIS ET PEREGRINIS, Paulum vero, quia non pluribus indigebat Diis ignotis, cum veram religionem Athenienſes edocere vellet, unum tantum ignotorum deorum ſuum eſſe Deum oſtendiſſe; pia quadam vafritie, ab Eraſmo omnibus commendata, quibus ſtudium eſt, Ethnicos aut Principes mala educatione depravatos, ad pietatem adducere. Alii vero, cum Oecumenio, aliter verba inſcriptionis referunt; alii eam primis Eccleſiæ ſeculis confictam volunt. Vide totam ejus hiſtoriam apud Meurſ. de Piræeo cap. 10. & Sponium in diſſertat. de ignotorum atque obſcurorum deorum aris, in Theſ. Gronovii tom. VII: pag. 233.

Ignoti porro pleriſque peregrinantibus erant dii locales & regionum tutelares, quorum nomina non temere ſolebant divulgari, ut hoſtibus difficilior eorum evo-

catio

catio eſſet, ideoque generaliter invocabantur ab advenis, & in devotionibus urbium formula erat: *ſive vos quo alio nomine fas eſt nominare*. Sic Hanno Plautinus, cum Calydonem veniſſet, *Deos Deasque* venerabatur, qui urbem eam incolebant. Virgilius lib. IV. Æneid vſ. 576. *ſequimur te, ſancte deorum, quiſquis es*. Cydippe apud Ovid. Epiſt. XXI. vſ 91.

Protinus egreſſæ Superis, quibus inſula ſacra eſt,
Flava ſalutatis tura merumque damus.

Coloniæ plerumque metropoleon ſacra retinebant, eosdemque loci præſides ſtatuebant, uti ex antiquis Auctorum juxta ac Nummorum monumentis liquet. Municipia vero ſua retinebant ſacra, quæ ab initio habuiſſent, cum in civitatem reciperentur, auctore Feſto, unde Cicero lib. I. de Nat. deor. cap. 29. *Alia ſpecies Junonis Argivis, alia Lanuvinis. Et quidem alia nobis Capitolini, alia Afris Ammonis Jovis.* In ſumma ſua cuique non provinciæ modo, ſed & civitati religio erat, & *numina pagi* ex Prudentio cognovimus, a quibus religio pagana eſt appellata. *Sacrorum Tuſculanorum* meminit lapis Grut. pag. 479. n. 6. alius *Dei Nemauſenſis*, apud Poldum in Antiquit. Nemauſ. pag. 180. alius *Surrentini Dei*, apud Spon. Miſcell.

Miſcell. ſect. III. pag. 114. *Genios civitatum* & *coloniarum* memorant Arnob. lib. I. & Tertullian. de idolol. c. 22. GENIUS COL. PUT. apud Reineſ. cl. I. n. 161. GENIVS LVGDVNI, in nummo Albini, apud Vaillantium. Æſchylus in ἕπτα ἐπὶ Θήβας, eos πολιοσούχους δαίμονας vocat, alias δαίμονες πολιοῦχοι, vel θεοὶ πατρῷοι, & πάτρῳοι, qui a patribus noſtris, & in patria coluntur, vel ἐπιχώριοι & ἐγχώριοι dicuntur, in quorum tutela tota erat regio, eosque à proficiſcentibus cultos ex Æſchylo & Stephano Byzantino conſtat. Servius ad I. Georg. vſ. 302. *Genium dicebant antiqui naturalem deum uniuscujusque loci, vel rei, vel hominis.* Catalogum deorum, qui peculiari cultu, ſingulis in civitatibus vel provinciis conſecrati erant, videre licet apud Tertullian. apolog. c. 24. Lactant. lib. I. c. 15. Prudent. in Symm. II. & Sidonium carm. 9. ubi ſingulis verſibus binos incluſit. Exſtat etiam vetus epigramma, quo ſinguli ſingulis hunc in modum includuntur:

Dodone tibi, Juppiter, ſacrata eſt.
Junoni Samos & Mycena diti.
Undæ Tænaros æquorisque regi.
Pallas Cecropias tuetur arces.
Delphos Pythius orbis umbilicum,
Creten Delia, Cynthiosque colles.

Fan-

Faunus Mænalon Arcadumque ſilvas:
Eſt tutela Rhodos beata ſolis.
Gades Herculis, humidumque Tibur.
Cyllene Cereri dea nivoſa.
Tardo gratior æſtuoſa Lemnos.
Eunææ Cererem murus frequentat.
Raptam Cyzicos oſtreoſa divam.
Formoſam Venerem Cnidos Paphosque.

Sunt ſexcenta id genus alia municipalium numina propria, quorum nomina extra municipia & colonias illas non leguntur, in quibus peculiari conſecratione dedicata fuere: *Dii topici, id eſt locales, ad alias regiones nunquam tranſeunt*, ait Servius ad Virgil. lib. VII. Æn. vſ. 47. neque Romanis dii erant, quia *Romæ non coluntur, qui, per ipſam quoque Italiam, municipali conſecratione cenſentur*, ait Tertullian. apolog. cap. 24. Quamvis enim in Italia & in provinciis eſſent Pontifices maximi, qui conſecrationes rite peragerent, tamen Romani ut omnia municipalia, *Vulgus, Equites, Oratores, & Magiſtratus municipales*, ita & Deos eorum, tanquam minus legitimos habebant. Minucius initio Octavii *deos municipes* vocat, & Tertullianus lib. 2. ad nat. c. 8. *ridet Deos decuriones cujusque municipii, quibus honor intra muros ſuos determinatur.* Minoris adhuc fiebant dii domeſtici, Lares atque Pena-

Penates, ut idem nos docet Apolog. cap. 13. *Domeſticos Deos, quos Lares dicitis, domeſtica poteſtate tractatis, pignerando, venditando, demutando, aliquando in caccabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerva, ut quisque contritus atque contuſus eſt, dum diu colitur, ut quisque deum ſanctiorem expertus eſt domeſticam neceſſitatem.* Id vero ſine dubio intelligendum eſt, de Laribus privatim conſtitutis, qui ſacri non erant, ſed profani, ut Marcianus indicat in *l. 6. §. 3. D. de rer. div.* quando ait: *Sacræ res ſunt hæ, quæ publice conſecratæ ſunt, non privatæ,* vel *privatæ* potius, uti Laurent. Theodor. Gronovius ad marmor. baſ. cap XI. ex Pandecte Florentino legendum eſſe contendit: nulla enim conſecratio fuit privata, nec ſacra privata quaſi dedicata res faciebant ſacras: ne ſcilicet peregrinæ religionis aliquid inveheretur, a qua abhorrebant Romani. Hinc *privatæ feriæ* dicebantur ſacrorum propriorum, velut dies natales, operationis, denecales, & *privata ſacra*, quæ pro ſingulis hominibus, familiis & gentibus fiebant, ut Feſtus ſcribit, in *privatæ*, & *publica*; qui etiam in voce *ſacer* addit, quod privati ſuæ religionis cauſa deo dedicarent, id Pontifices Romanos non exiſtimaſſe ſacrum: at ſacra

ſtantini M. ſaltem ſub extremis imperii annis, ejusque liberorum magnum fuit ſtudium, in omni pagana ſuperſtitione penitus eruenda, uti ex Theodoreto, Sozomeno & Julio Firmico Materno diſcimus. Extat etiam Theodoſio Valentinianea *l.* 10. *C. Th. de pagan.* ut ſi quis profano ritui deditus, templum uſpiam, vel *in itinere*, vel *in urbe* adoraturus intraverit, quindecim pondo auri inferre cogatur. Plenius deinde Theodoſius M. in *l.* 12. *C. Th. eod.* omnem deorum cultum, per univerſum Orientem ſuſtulit, pœnis in eos conſtitutis, qui *Larem igne, mero Genium, Penates nidore venerati accendant lumina, imponant tura, aut ſerta ſuſpendant; quive mortali opere facta & ævum paſſura ſimulacra impoſito ture venerentur, vel redimitis vittis arbore, vel erecta effoſſis ara ceſpitibus vanas imagines, plena religionis injuria, honorare temptaverint.*

Manſit nihilominus mos ille ad arbores adorandi, poſt ſacra Chriſtiana inducta; tum quia pietatis ſpeciem præ ſe ferre videbatur, tum quia durum eſt & novos mores diſcere, & antiquos una dediſcere; tum denique quia Chriſtiani una cum gentilibus vivebant & itinera ſuſcipiebant: unde in Concilio Carthaginenſi Cod. Africani can. 58. iterum ab Arcadio & Hono-

rio Auguſtis petitur, ut reliquiæ idololatriæ, in ſimulacris, lucis, lapidibus unctis & arboribus coronatis tolli præcipiantur. D. Auguſtin. ſerm. 241. *Quicunque in agro ſuo aut villa, aut juxta villam aliquam, arbores, aut aras, vel quælibet fana habuerit, ubi miſeri homines ſolent aliqua vota facere* &c. Neque in Africa tantum, ſed etiam in Italia, Gallia, Hiſpania & Germania arborum & lucorum cultus tam altas egerat radices, inde a Druidum uſque temporibus, quibus celſa quercus Jovis ſignum erat, ut in eo evellendo Patres in Conciliis, Pontifices Regeſque ipſi multum debuerint inſudare. Vid. Gregor. M. lib. VII. epiſt. cap. 20. Gregor. Turon. lib. II. Hiſt. c. 10. Concilium Arelat. II. can. 20. Altiſiodorenſe can. 3. Toletan. XVI. can. 2. & Francoford. can. 43. Burcardus in Collect. can. pag. 270. *Veniſti ad aliquem locum, id eſt ad fontes, vel ad lapides, vel ad arbores, vel ad bivia, & ibi candelam aut faculam pro veneratione loci accendiſti.* Vide etiam Eligii homiliam apud Dacherium t. V. pag. 215. Baluzium ad Reginon. lib. II. cap. 358. & 359. quæque ſupra diximus p. 82. 83. & fateberis applicari hic poſſe, quod Prudentius cecinit contra Symm.

Sic

- - - Sic obſervatio crevit
Ex atavis quondam male cœpta, deinde ſecutis
Tradita temporibus, ſeriſque nepotibus aucta.

Inter Reges Carolus M. eminet, qui huic malo obicem ponere voluit, ſi modo potuiſſet. Sic ille apud Baluz. tom. 1. Capit. tit. 63. pag. 235. *De arboribus, vel petris, vel fontibus, ubi aliqui ſtulti luminaria vel alias obſervationes faciunt, omnino mandamus, ut iſte peſſimus uſus & Deo execrabilis, ubicunque invenitur, tollatur & deſtruatur.* Eandem ſuperſtitionem apud Langobardos ſuſtulit Rex Luitprandus lib. 11. LL. Langob. tit. 38. §. 1. *Qui ad arborem, quam ruſtici Sanctium vocant, atque ad fontanas adoraverit medium pretii ſui componat in ſacro palatio.* Sic Heroldus edidit, ſed alii pro *Sanctium* malunt *Sacrivum*; quia ut porci, ad ſacrificium idonei, Varroni & Feſto *ſacres*, & majalis votivus, in L. Salica tit. 2. §. 14. *Sacrivus* appellatur, ita arbores conſecratæ *Sacrivi* dicuntur in Concilio Antiſiod. can. 3. Audoënus lib. II. vitæ S. Eligii c. 15. *Fontes & arbores, quos Sacrivos vocant, ſuccidite.* Similiter Ladiſlaus, Hungariæ rex, in decreto, de ſynodi ſententia, an-

te ſexcentos annos facto c. 22. *Quicunque ritu gentilium juxta puteos ſacrificaverint, vel ad arbores, & fontes, & lapides oblationes obtulerint, reatum ſuum bene luant.*

Eſt ſane ſtupendum, tot canonibus Conciliorum & Regum Edictis ſuperſtitiones has tolli nondum potuiſſe, quarum veſtigia infimis quoque ſeculi tertii & quarti decimi temporibus indicavit Rev. Montfauconius tom. I. ſuppl. lib. III. cap. 9. Quinimo ſi hodie ad Pontificiorum trivia, compita & portas nos convertamus, nonne rudera deorum vialium quam plurima ibi comparent? Videmus ibi pro Diana Beatam Virginem, pro Hercule magnæ molis Chriſtophorum, & pro Mercurio ſanctum quendam viatorum Patronum eſſe collocatum: apparent ædiculæ, luci, aræ, tabellæ votivæ & aliæ hujuſcemodi deorum vialium reliquiæ, ad crucifixi Servatoris noſtri imaginem poſitæ. Ipſe Cornelius a Lapide ad Act. XXVIII. vſ. II. ſcribit, pro Caſtore & Polluce à navigantibus nunc invocari B. Mariam, S. Paulum, S. Nicolaum, Xaverium, Telmum aliosque: & Cardinalis Baronius ad A. XLIV. cap. 72. defendere conatur, eadem licentia, qua Deorum delubra in Eccleſias Chriſtianorum ſunt commutata, alios quoque ritus, bene-

benedictionibus expiatos, divino cultui recte conſecratos fuiſſe. At vero quod Gentium vulgus lapides & ligna pro diis ſibi erexit, haud mirandum eſt: ipſi enim lapides erant, cordibus eorum in lapideam duritiem converſis. Primi etiam Chriſtianorum Patres excuſandi videntur, quod inſanabile hoc cacoëthes non prorſus abolere voluerunt; alius enim eorum temporibus erat finis, alius uſus retinendi ritus & applicandi ſacris veri Dei. Poſtquam vero per gratiam Dei lux Evangelii ubivis nunc radiat, quid de cultu illo inepte ſedulo, vel de Sanctorum decuriis habendum ſit, unusquisque facile videt; cum nemo ſit ſanctus ſicut Jehovah, ut Channa cecinit 1. Sam. 11. vſ. 2.

Equidem non diffiteor, ab horum opinione alienum eſſe, quod vulgus paganum credebat, ipſos deos ſigna & ſtatuas inhabitare; nec me fugit, quid Agobardus, Gregorius & Athanaſius jam olim reſponderint, imagines Sanctorum depingi, non ut adorentur, ſed ut quandam pulchritudinem reddant, & rerum præteritarum memoriam ſenſibus imperitorum ingerant, qui ea, quæ in codicibus legere non poſſunt, ſic in parietibus videndo addiſcere poſſint. Verum, ut alia centies repoſita præteream, quot abuſibus cultus ille ob-

noxius ſit, duobus exemplis oſtendam. Cum enim anno reparatæ ſalutis MDCXLVII. ſtatuæ Deæ Nehalenniæ, in extremo Zelandiæ angulo, repertæ eſſent, & Pontificius clerus aſſeveraret, monumenta iſta Beatæ Virginis typos & cultum referre, falſe eos deriſit Marcus Zuerius Boxhornius, in libello, quem Blancardus collectaneis Medico-Phyſicis cent. III. obſ. XI. inſeruit, miratus de novo feſto inventæ Mariæ Nehalennicæ non cogitari. Alterum, non minus notatu dignum, ex Mabillonis Itin. Ital. referam pag. 145. Hiſpanos enim quoſdam ab Urbano Papa multis precibus efflagitaſſe, narrat, ut concederet indulgentias ob cultum ſancti cujuſdam, cui VIARII nomen. Negavit id Pontifex ſe facturum, niſi reſciret, quis & qualis ille ſanctus eſſet, & quo tandem argumento ejus ſanctitas probaretur. Allatus tandem eſt lapis, in quo hæ litteræ S. VIAR. reliquæ erant, ceteris vel caſu, vel joco hominis, qui ſuperſtitionem eluſurus, ablatis. At periti judicarunt fragmentum eſſe veteris inſcriptionis, in qua quidam *Præfectu* S. VIARUM laudabatur.

Si quid omnino priſci moris retinendum erat, præſtabat à paganis didiciſſe, non ſine divini numinis invocatione itinerum iti-

initia capeſſenda eſſe. Cum enim illi Deos Deasque, pro ſalute itus invocarint & reduces facti, ſumma cum religione iis egerint grates: quanto magis & nos, qui verum Deum, filio ejus magiſtro, cognovimus, hoc facere æquius erat, ut peregre proficiſcentes ab ipſo itineris primordia duceremus: id enim & monita Apoſtolorum præcipiunt, & Divi Pauli perpetuus uſus firmat, qui non niſi ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ ſe iturum & rediturum pollicetur. Cæſarem Dictatorem novimus ſemper, ut primum conſediſſet, carmine ter repetito ſecuritatem itinerum aucupari ſolitum, *id quod pleroſque nunc facere ſcimus*, ait Plinius lib. XXVIII. Hiſt. nat. c. 2. Hi vero ſurgent in judicio extremo, & hac in parte multos condemnabunt Chriſtianorum, quos longe magis admirari oportebat & prædicari virtutes Dei veri, qui ex tenebris nos in lucem mirabilem vocavit.

DE

TUTELA VIARUM

PARS II.

QUÆ EST DE

MAGISTRATIBUS VIOCURIS.

CAPUT I.

De Regia cura viarum publicarum.

Viæ Publicæ ſolum publicum. l. 2. *§.* 21. *D. ne quid in loc. publ. explicatur. Inde viæ baſilicæ vel regales dictæ, & ad regalia relatæ. Officii Regii eſt munire vias publicas, ad commercia & ducendos exercitus. Laus ampla vias recte curaſſe. Prima viarum curatrix Semiramis, quæ aggeribus & viis à ſe exſtructis nomen dedit. Pœnorum inventum vias lapidibus ſternere. Xerxis & Cyri cura viarum & pontium. Apud Hebræos Synedrium, deinde Reges vias ſtruxerunt & refecerunt, quos inter eminet Salomo. Geneſ. XXXVIII. vſ.* 14. *illuſtratur. Thebis Telearchi, viri principes, Spartæ Reges, Athenis Areopagitæ & Aſtynomi viarum curatores. Indorum veterum Agoranomi & Aſty-*

Aſtynomi ex Strabone: Indorum recentiorum, Sinenſium, Peruanorum, Turcarum & Gallorum inſtituta laudatiſſima.

SUperiore parte amœnitate magis materiæ, quam quod res ita poſtularet, fui longior: proximum eſt, ut de Regibus & Magiſtratibus Viocuris dicam, qui tum alibi, tum maxime in Imperio Romano, iter commodum & ſecurum proficiſcentibus parare ſtuduerunt. Quotquot enim viri ſapientes, ab orbe condito, reſpublicas adminiſtrarunt, poſt religionis curam civibus peregre ituris inculcatam, id ſibi negotii datum eſſe crediderunt, ut eos adverſus latrones, ſæva animalia, ceteraque incommoda ſecuros præſtarent; ſatis edocti, non ſolis votis auxilium Deorum parari, ſed agendo, curando & bene conſulendo omnia proſpere cedere; ubi ſocordiæ atque ignaviæ te tradideris nequicquam Deos implorari, iratos infeſtoſque eſſe, ut Cato ait apud Salluſtium. Enimvero cum alter alterius beneficio egeat, nec omnis ferat omnia tellus, neceſſitas & utilitas ſuaſit, terrarum occupatarum portiones quaſdam, tanquam communes, ſeponi & muniri, per quas de regione in regionem iter fieret, ne ſegetes, vineæ, prata, ſaltus & ſilvæ, pro-

promiſcua via ſumta, læderentur & conculcarentur. Cura igitur viarum publicarum non alii competit, quam ei, qui τὸ κύϱιον in Republica habet; is enim ſolus ſpeciale dominium, quod in ſolo publico populi eſt, exercet & adminiſtrat. Hoc eſt quod Ulpianus in *l.* 2. *§.* 21. *D. ne quid in loc. publ.* ſcribit: *Viæ publicæ ſolum publicum eſt, relictum ac directum certis finibus latitudinis ab eo, qui jus publicandi habuit, ut ea publice iretur, commearetur.* Publicare hic idem eſt, quod publicum facere, ſeparare ſcilicet rem & eximere commercio privatorum, eamque publicis uſibus, vi ſummi imperii, deſtinare. Id vero cum non poſſit privatus, ſolius Principis munus eſt, ſive initio conditæ reip. ſive poſtquam diviſio agrorum inter cives facta eſt, certis finibus loca deſignare, quibus viatores & vectores utantur. Hinc Græci vias publicas βασιλικὰς, id eſt *regias*, Latini *conſulares* & *regales* appellarunt, *d. l.* 2. *§.* 22. *D. ne quid in loco publ.* Siculus Flaccus de condit. agror. pag. 9. *viæ publicæ regaleſque, quæ publice muniuntur.* Cicero pro M. Fontejo cap. 4. *ad rempublicam pertinere*, ait, *viam Domitiam muniri*, & Fridericus Imperator vias publicas inter regalia ponit. 2. *Feud.* 56.

Ne-

Neque jus tantum Principi competit vias conſtituendi, ſed, ſi publicæ moderator utilitatis & rector commodi communis eſſe velit, omnino etiam curare debet, ne impetus latronum viatores ſpoliet aut occidat, neve aſpera montium eos fatigent, ambages retardent, aut paludes iter morentur. Per vias enim, tanquam totidem nervos, vita, annona & ſatietas datur omnibus provinciis; quum domi nata quaquaverſum facilius evehantur, & quicquid ſub alieno ſole naſcitur, omnes littoris alieni piſces, manufacta peregrina, cuncta denique ad victum, amictum & habitationem pertinentia, ab extremis terrarum finibus, ad cives perducantur. Hujus rei cura gloriam olim ingentem peperit Cæſari, Appiæ viæ curatori conſtituto; majorem Pompejo Magno, annonæ præfecto, ſed maximam Trajano, cui Plinius idcirco gratulatur, in Panegyr. c. 29. *Nec vero*, inquit, *civilius Pompejus, quam parens noſter, auctoritate, conſilio, fide recluſit vias, portus patefecit, itinera terris, littoribus mare, littora mari reddidit, diverſaſque gentes ita commercio miſcuit, ut quod genitum eſſet uſquam, id apud omnes natum eſſe videretur.* Mitto nunc celeritatem mittendi literas, exequendi mandata, compeſcendi ſeditiones, &

& maxime facilitatem ducendi exercitus per vias militares, & quævis neceſſaria de loco in locum transferendi. Tibullus ſane Valerii Meſſalæ laudes ab agricolis celebrandas ait, ob viam in Tuſculana & Albana terra reſtitutam, lib. I. Eleg. 8. vſ. 61.

Te canet agricola, e magna cum venerit Urbe
Serus, inoffenſum retuleritque pedem.

Statius item ſolidi quondam diei iter, orbitis tacentibus impeditum, ad horas vix duas perductum eſſe canit, in deſcriptione viæ Domitianæ lib. IV. Sylv. 3. vſ. 36.

At nunc quæ ſolidum diem terebat
Horarum via facta vix duarum.

Romani quidem viarum munitionem pro majeſtate imperii evexerunt, eaque re omnibus gentibus palmam præripuerunt, ſed prima viarum curatrix, in Hiſtoriarum monumentis, Semiramis nobis occurrit, inter cujus opera decantatiſſima, Strabo lib. XVI. init. aggeres, qui Semiramidis vocantur, & vias, & pontes celebravit. Diodorus Siculus lib. II. Bibl. c. XI. non modo meminit *viæ nobiliſſimæ*, quæ Babyloniam ducebat, juxta quam illa obeliſcum, inter ſeptem orbis miracula numeratum, ornatus cauſa poſuerit, ſed & cap. 13. addit, verſus Ecbatana immortale ipſius monimentum extitiſſe, in via

ad

ad Zarcæum montem, rupibus diffractis, cavisque locis ingeſtione terræ complanatis, expeditiſſima facta, *quæ ad hoc uſque tempus illius nomine inſignis eſt.* Idem inter alia Semiramidis opera c. 8. refert pontem, quinque ſtadia longum, & triginta pedes latum, ſuper Euphratem, ſiccis olim regionibus immiſſum, qui nulli operum ſolertia conceſſerit. Propert. lib. III. Eleg. 9. vſ. 25. de eadem:

Duxit & Eufratem medium, qua condidit arces,
Juſſit & imperio ſurgere Bactra caput.

Multis autem, poſt Semiramidem, ſeculis Phœnices feruntur eſſe primi, qui invenerint menſuras viarum, easque lapide & ſilice muniverint: eorum enim Hercules non tantum ſpatium, quod ſub uno ſpiritu confecerat, menſuram viarum ſive ſtadium conſtituit, ſed & in montibus, ad quos nullus patebat aditus, rupes ſecuit, *ut viatoribus iter aperiret*, & cetera molitus eſt, per quæ omnis terra & mare omnibus commune eſſet, omniumque uſibus inſerviret, auctore Dionyſio Halicarn. lib. I. Ant. c. 41. Æneas ideo apud Virgilium lib. I. Æneid. vſ. 426.

Miratur portas, ſtrepitumque & ſtrata viarum

ubi Servius: *Primi enim Pœni vias lapidibus*

dibus ſtraviſſe dicuntur, & Iſidorus eum ſecutus lib. xv. Orig. c. ult. *Primum Pœni dicuntur lapidibus vias ſtraviſſe: poſtea Romani eas per omnem pæne orbem diſpenſaverunt, propter rectitudinem itinerum, & ne plebs eſſet otioſa.* In Ægypto viam laudat Strabo lib. xvii. qua, centum ſtadiorum itinere, Syena Phylas profectus fuerit, in cujus utroque latere viderat petras rotundas, politas, & propemodum ſphæricas, majori ſaxo impoſitas, in morem Mercurialium tumulorum, qui in viis Græcorum apponi ſolebant. Apud Perſas Xerxes, velut naturæ dominus, montes in planum deduxit, convexa vallium æquavit, immo maria pontibus ſtravit, ad viarum commoditates & compendia, auctore Juſtino lib. ii. c. 10. Idem multa hominum millia impendit, ad montem perfodiendum, unde Catullus carm. 67.

Ille quoque everſus mons eſt, quem maximum in oris
Progenies Phthiæ clara ſupervehitur.
Quum Medi properare novum mare: quumque juventus
Per medium claſſi barbara navit Athon.

Quam dextre Cyrus hoc regio munere functus ſit docet Xenophon lib. i. de expedit. Cyri pag. 267. Quum enim ſæpenumero tritis in viis cernere fuiſſet viatores pedibus,

bus, manibus vel oculis male multatos, is effecit, ut omnibus in locis, ubi imperavit, cuivis tam Græco, quam barbaro, neminem lædenti, ſecure licuerit iter facere, quocumque vellet, & quicquid ſecum ipſi geſtare commodum eſſet.

Apud Hebræos Synedrium quotannis emiſit viros, qui vias reficerent, hiemalibus pluviis & tempeſtatibus cœnoſas, maxime vero illas, quæ ducerent ad civitates refugii: in biviis quoque ſtipes erectus, cui inſcriptum *Miklat*, uti ex Maimonide in Rozeach c. 8. ſupra vidimus pag. 42. & Ligtfotus in cent. chor. Matthæo præmiſſa c. 50. confirmavit. Ibidem diximus, non abſurde quosdam ex Geneſ. XXXVIII. vſ. 14. & Levit. XXVI. vſ. 1. hariolari, lapides & ſigna, quæ viam monſtrarent, apud eos in uſu fuiſſe. Nonnulli putant Chriſtum Matth. VII. vſ. 13. alludere ad latitudinem viarum publicarum cubitorum ſedecim, & privatarum, cubitorum quatuor. Plane vias, quibus Emauntem, Gazam, Joppen & Bethlehemum tendebatur, ſilice ſtratas & amœnas fuiſſe, tradunt gentis illius ſcriptores; & de Solomone refert Joſephus lib. VIII. Antiq. c. 7. n. 4. quod, cum ſumma ſolertia & diligentia in omnibus uteretur, & elegantiarum valde ſtudioſus eſſet, viarum curam inſuper non

habuerit: quotquot enim Hieroſolyma regiæ ſedem, ducebant, nigro lapide conſtravit; tum ut ultro citroque commeantibus itu faciles eſſent, tum ut divitiarum & imperii magnificentiam oſtenderet; currus etiam diſtribuit & diſpoſuit per civitates, quæ *urbes curruum* dicebantur.

Lacedæmoniis tantæ dignationis viſa fuit viarum cura, ut eam Regibus mandarint, eosque ſolos de iis cognoſcere voluerint, auctore Herodoto lib. VI. cap. 57. Thebani nonniſi ſummos & principes viros huic negotio præfecere, quos Telearchas appellabant: nam cum is magiſtratus non niſi in ſtercorum ex angiportis ejiciundorum & aquarum derivandarum procuratione quædam conſtitiſſet, Epaminondas eum ad magnam dignitatem ac majeſtatem evexit, narrante Plutarcho, in præcept. reip. ger. cap. 37. cui accedat Valerius Maximus lib. III. cap. 7. ext. 5. *Epaminondas, cum ei cives irati ſternendarum in oppido viarum, contumeliæ cauſa, curam mandarent (erat enim illud miniſterium apud eos ſordidiſſimum:) ſine ulla cunctatione id recepit, daturumque ſe operam, ut brevi ſpecioſiſſimum fieret, aſſeveravit: Mirifica deinde procuratione abjectiſſimum negotium pro ampliſſimo ornamento expetendum Thebis reddidit.* Athenis ſenatus Areopagi-

opagiticus vias curabat,ne quis eas obſtrueret, neve præſepimenta ædium longius extenderet, teſte Heraclide de Rebusp. Erant præterea ſingulares magiſtratus, ad decorem & commoditatem iſtius reip. inſtituti: ὁδοποιοὶ viarum munitionem, ἐπιστάται τῶν ὑδάτων aquarum inductionem, ἀστυνόμοι vero munditiem urbis, ſordibus ſublatis, procurabant: horum omnium vero inſpectionem Plato lib. VI. de Rep. & Ariſtoteles uno ἀστυνομίας vocabulo comprehendunt lib. VI. Polit. c. 7. Dicti autem ſunt ἀστυνόμοι ab ἄστυ & νόμος; ſive quod ἄστυ per excellentiam notet Athenas, ut cum dicimus curatores Urbis, id eſt, Romæ; ſive quemadmodum Terentius, in verbis, *an in aſtu venit*, Athenas intelligit, quia ſcena ibi fingebatur. Vid. Tanaq. Faber ad Timon. Luciani cap. 1. & Meurſ. in Theſeo cap. 17. qui alibi etiam de numero Aſtynomorum docte diſputat, lib. 1. Attic. lect. c. 19. et quinque fuiſſe in Piræeo, quindecim in urbe evincit.

Apud Indos veteres alii Præfectorum annonæ, alii urbi præerant: illi, ἀγορανόμοι, conficiebant vias, et per dena ſtadia lapidem locabant, diverticula et diſtantias indicantem: hi vero, ἀστυνόμοι, hoſpitum procurationem gerebant, diligenter inſpiciendo, quomodo peregrini acciperentur et

alerentur, ægrotantium quoque curam habebant, et mortuos ſepeliebant, ut Strabo pluribus expoſuit lib. XV. Geograph. pag. 707. & ſeq. Apud Indos quoque hodiernos viæ publicæ, immenſis ſumtibus conſtratæ, peregrinis admirationi ſunt: ſingulis enim quingentis paſſibus acervi mercuriales reperiuntur dealbati, ne facibus opus ſit ad iter nocturnum; alicubi etiam ædiculæ ſunt poſitæ, in quibus aqua ad bibendum, et ignis ad accendendum tabacum, teſte Tavernierio lib. I. et IV. Itin. Per totum porro imperium Sinenſe viis nihil eſt commodius, nihil nitidius, maxime in Auſtralioribus provinciis, ubi minor equorum et curruum eſt uſus, auctore Preyelio in Sina c. 22. Quin et apud barbaros Peruanos, in America, duæ viæ, quinque et viginti paſſus latæ cernuntur lapidibus ſtratæ, et arboribus undique tam pulchre cinctæ, ut vias a ſapientiſſimis populis extructas non æquarint tantum, ſed etiam ſuperarint, uti ex variis tradit Cl. Henninius ad Bergierium lib. 2. ſect. 28. Turcæ item inter ea, quæ maximis ſumtibus exſtruere ſtudent, ponunt vias publicas; quæ apud ipſos ſpectabiles et eximiæ ſunt, auctore Leunclavio Pand. Hiſt. Turc. pag. m. 203. et 227. Denique apud Francos quanta viarum et pontium in-

ſtau-

ſtaurandorum & purgandorumfuerit cura, Capitularia Dagoberti, Caroli M. et Caroli Calvi oſtendunt, apud Baluz. tom.I. Capit. pag. 122. 514 et t. II. pag. 69. Hodie in Gallia plures magiſtratus, majores, medii & minores huic muneri præſunt; unde vix aliud regnum in orbe Chriſtano reperias, quod vias publicas, tam intra quam extra urbes, adeo commode habeat inſtructas & lapidibus ſtratas; id quod inprimis de patria ſua Aurelia gloriatur Annæus Robertus lib. 2. rer. jud. cap. 3. Cetera huc pertinentia ſe daturum promiſit diligentiſſimus de la Mare, in tractatu Gallico de la police tom. V.

CAPUT II.

De Censoribus, primis præfectis viarum Romanarum.

Via a veha, vel ab ἴω, aut οἶα dicta, deſcribitur ex Ulpiani l. 2. §. 21. D. ne quid in loc. publ. Dividitur in publicam, privatam & vicinalem: hæc nunc publica eſt, nunc privata, ſi ex agris privatorum collatis facta. Omnis via militaris fuit publica, ſed non omnis publica fuit militaris. Salmaſii, Jac. Gothofredi & Ziegleri differentiæ rejectæ. Vias militares latiores & nobiliores fuiſſe

iſſe vulgaribus publicis, & a militibus ipſis ſtratas, ne otioſi eſſent. l. 4. C. Th. de curſ. publ. explicata. Numerus viarum Romanarum, earumque diviſio in urbanas & ruſticas. Utræque inter monumenta magnificentisſima magnitudinis Romanæ, judicio Strabonis & Dionyſii. Cenſores viis utriusque generis præfecti duplici ratione eas ſtraverunt, glarea vel ſilice: unde ſtrata viarum, & glarea pro via. Appiam viam, ceterarum reginam, Appius Claudius Cenſor inchoavit, Cæſar aliique abſolverunt. Ejus laus ex Procopio &c. Inſcriptio ſpuria. Livio lux. Fata Cenſuræ & munerum Cenſoriorum.

NUnc ad Romanos, terrarum dominos, accedamus propius, quorum in viis publicis communiendis aggerumque molibus exſtruendis peritia fuit et diligentia ſingularis. Quamvis enim primis Reip. temporibus, cum ad deducendos exercitus, ad uſum commerciorum, et ad annonam advehendam, viis non indigerent, earum ſtratura ignorata fuerit, poſtea tamen rem ad tantum faſtigium evexerunt, ut cum Propertio exclamare liceat:

Omnia Romanæ cedunt miracula terræ,

Natu-

Natura hic poſuit quicquid ubique fuit. Ut rem ab ovo ordiamur, viam Varro a *vehendo* appellatam, et prius *veham* fuiſſe dictam, ſcribit, propter vecturas, lib. I. de R. R. c. 2. et lib. IV. de LL. *Via eſt, qua poteſt ire vehiculum, dicta a vehiculorum incurſu*, ait Iſidor. lib. XV. c. 16. niſi quis, cum Julio Cæſare Scaligero, vocem hanc ab ἴω, *eo*, *vado*, vel cum Joſepho Scaligero ab οἶα, id eſt, *vicus*, *pagus* derivare malit, vid. Menagii Amœnit. cap. 36. Via deſcribi poteſt cum Ulpiano, quod ſit portio territorii, ad directum certis finibus latitudinis, relicta ab eo, qui jus publicandi habuit, ut ea publice iretur, commearetur, *l.* 2. §. 21. *D. ne quid in loc. publ.* Dividitur in publicam, privatam & vicinalem. Publica eſt, cujus ſolum eſt publicum, quæque publice munitur, & qua publice commeatus eſt: hæc ſub libera Republica *Prætoria* vel *Conſularis*, ſub Auguſtis, more Græcorum, etiam *baſilica* vel *regalis*, aliquando *agger publicus* appellatur in *l.* 2. *C. Th. ne quis in palat. l.* 5. *C. Th. de itin. mun.* Privata eſt, quam quisque in fundo ſuo, vel in agro vicini jure ſervitutis habet, eaque alias *agraria* dicitur. Vicinalis via, quæ in vicis eſt, vel a vico in vicum ducit, publica eſt, ſi ex collatione publica

conſtituta eſt; privata vero ſi ex agris privatorum collatis facta, in uſum viciniæ, ut unuſquisque poſſit ad particulas ſuas jure pervenire: horum tamen memoria ſi non extat, publicarum viarum numero habetur *l.* 3. *pr. D. de loc. & itin. l.* 2. *§.* 22. *D. ne quid in loc.* Siculus Flaccus de condit. agror. pag. 9. Vicinales vias, ait, de publicis divertere in agros, & ſæpe ad alteras publicas pervenire: plerumque vicinorum erant communes, tanquam ex mutua collatione ad uſum vicinalem factæ, utque omnis, qui in vicum abit, per illas tranſiret: hinc etiam apud Aggenum comment. in Frontin. pag. 62, a *lignariis* & *privatis* viis diſtinguuntur. Seneca lib. v. de benef. cap. 24. *Cæſar agellos, in quibus vicinalis via, militi ſuo donavit.*

Publicas vias, de quibus ſolis nobis hic agendum eſt, alias *militares* dici, ait Theophilus ad §. 5. *Inſt. de lege Aquil. Publica* μὲν ἐστιν ὁδὸς, ἥ τις καὶ μιλιτάρια λέγεται, nec videtur Ulpianus diſcrimen agnoſcere, quum in *l. ult. D. de locis & itin. publ.* inter vicinales vias, quæ publicarum numero ſunt, & ceteras vias militares hoc intereſſe ait, quod viæ militares exitum ad mare, aut in urbes, aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem habeant; vicinalium autem pars in militares vias exeat, pars ſine

ſine ullo exitu intermoriatur. Ita etiam via militaris pro quavis publica & prætoria capienda videtur apud Livium lib. XLIV. c. 43. Curtium lib. V. c. 13. Sueton. Aug. c. 49. Rei agrar. ſcriptores pag. 146. 254. & Eumenium in Gratiar. act. c. 7. Aperte Dagobertus viam publicam appellat, *qua Dux egreditur*, t. 1. Capitular. Baluzii pag. 122. n. 13. Salmaſius tamen ad Solin. pag. 477. vias regales a militaribus diſtinguere videtur: *Ex viis publicis quædam vel regales, quæ & conſulares, ac prætoriæ dictæ, vel militares.* Mendoſe opinor; quia Prætoriæ viæ, & conſulares eædem ſunt, quæ militares; miles enim & annona ad uſum militiæ eo tendebat. Sed quia Conſtantinus in *l.* 4. *C. Th. de curſ. publ.* ait: *a publico itinere* aliquando *aliqua militari via* devertendum eſſe, ideo Jac. Gothofredus, tom. 2. C. Th. pag. 514 & 515. militarem viam putat fuiſſe transverſam, & obliquam, ſive πάροδον, *chemin de traverſe;* publicam autem & baſilicam, quæ a civitate in civitatem inſigniorem recta tendit. Caſparus Zieglerus lib. 2. de regal. c. 17. §. 5. conjicit, viam conſularem fuiſſe, quæ in directum procedit ab Oriente in Occidentem, aut a Meridie in Septentrionem: militarem vero, quæ ex quacunque civitate in aliam, ubi-

X 5 cunque

cunque illa ſita eſſet, viatores duxerit. Mihi autem probabilius videtur, omnem quidem viam militarem eſſe publicam, ſed contra omnem publicam non eſſe militarem: potuit enim eſſe diſcrimen in latitudine, vel in genere munitionis, quia viæ anguſtæ & ſcrupoſæ magnum malum in agmine properante. Hyginus de limit. conſtit.. pag. 152. *Per actuarios limites iter populo, ſicut per viam publicam, debetur: ita enim cautum eſt lege Sempronia, & Cornelia, & Julia. Quidam ex his latiores ſunt* XII. *pedibus, ut hi, qui ſunt per viam publicam militarem acti: habent enim latitudines viæ publicæ.* Forſan etiam illæ præcipue militares dictæ, quæ, alio nomine proprio deficiente, in uſum exercitus conſularis, a militibus ſtratæ eſſent; nam inter militiæ labores plus ſemel refertur inſtructio viarum. Livius lib. XXXIX. cap. 2. *Flaminius Cos. ne in otio militem haberet, viam a Bononia perduxit Arretium.* Quintil. lib. 2. cap. 3. *Stratum militari labore iter ſæpe deſerimus; compendio ducti.* Tacitus lib. 1. Ann. cap. 20. *Manipuli ante cœptam ſeditionem Nauportum miſſi, ob itinera & pontes.* Præcipuas ſane & nobiliores vias non aliunde *militares* dictas, ex his collegit Fabrettus de col. Traj. c. 2. ejusque ſtraturæ imagi-

imaginem plus ſemel in columna iſta reperiri teſtatur. Addit duas inſcriptiones pulcherrrimas, alteram Aquilejenſem, alteram Spalatenſem; in priore apud Gruter. pag. 152. n. 4. hæc leguntur:

- - - VIAM. QUOQUE.
GEMINAM. A. PORTA. USQUE. AD.
PONTEM. PER. TIRONES. JUVEN-
TUT. NOVAE. ITALICAE. SUAE.
DILECTUS. POSTERIORIS. LONGI.
TEMPORIS. LABE. CORRUPTAM.
MUNIVIT. AC. RESTITUIT.

Viæ regiæ, ut Iſaacus Voſſius tradit, erant XXXI. e quibus Flaminia, Præneſtina, Lavicana, Campana, Appia & Ardeatina in ipſa Urbe initium capiebant. Ceteræ erant Latina, Tiburtina, Collatina, Nomentana, Salaria, Æmilia, Claudia, Valeria nova & vetus, Oſtienſis, Laurentina, Setina, Quinctia, Gallicana, Triumphalis, Patinaria, Cimina, Cornelia, Tiberina, Aurelia, Caſſia, Portuenſis, Laticulenſis, Flavia & Trajana. Præter has vero aliarum fit mentio, ut Æliæ, Anniæ, Aſinariæ, Gabinæ, Juniæ, Minuciæ, Pompejæ, Poſtumiæ, & Vitelliæ; ſed illæ aut rami Viarum Conſularium, aut pars earum diverſi nominis fuiſſe viden-

dentur. Addendæ quoque ſunt viæ, quæ intra Urbis mœnia initium & finem capiebant, ut Via Sacra, Suburana, Nova, Fornicata, Recta, Lata, Alta ſemita &c. Atque has *urbanas* appellare poſſumus, ſicut Prætor, in materia interdictorum, vias publicas in ruſticas & urbanas diviſit, quarum illæ cum itineribus publicis junguntur *l.* 1. *D. de locis & itin. l.* 2. *§.* 24. *D. ne quid in loc. publ.* Utræque autem inter decora magnitudinis Romanæ, quæ in ſui admirationem totum rapiebant orbem, primas facile tenuerunt, judicio Strabonis lib. v. Geograph. pag. 235. inter tria enim, quæ a Græcis neglecta, apud Romanos autem magnifica fuerunt, primo loco ponit curam ϛρώϛεως ὁδῶν, *ſternendarum viarum*, deinde aquæductus & cloacas ſubjungit. Idem fere ſedit Dionyſio Halicarnaſſenſi lib. III. cap. 91. ἔγωγ' οὖν, inquit, ἐν τρισὶ τοῖς μεγαλοπρεπεϛάτοις κατοσκευάσμασι τῆς ῥώμης, ἐξ ὧν μάλιϛα τὸ τῆς ἡγεμονίας ἐμφαίνεται μέγεθος, τάς τε τῶν ὑδάτων, ἀγωγὰς τίθεμαι, καὶ τὰς τῶν ὁδῶν ϛρώσεις, καὶ τὰς τῶν ὑπονόμων εργασίας. *Ego ſane in tribus magnificentiſſimis urbis Romæ ſtructuris, ex quibus maxime apparet amplitudo imperii, pono aquæductus, viarum ſtraturam, & cloacarum fabricam.* Non ſine cauſa Dionyſius, de ſola Urbe loquens, aquædu-

ctus

ctus mirabiles præponit: Roma enim, quia in montibus poſita, & convallibus ſublata, ac cœnaculis ſuſpenſa erat, *non optimis viis, & anguſtiſſimis ſemitis* utebatur, ut Cicero ait II. Agrar. c. 35. At Strabo laudaturus prudentiam & ſplendorem Populi Romani, merito primum locum dedit viis publicis: nam aquæductus Romæ tantum & in magnis urbibus Italiæ, cloacæ vero in ſola urbe erant, at viæ Prætoriæ ab Oriente in Occidentem, & a columnis Herculis ad meridionales Ægypti fines protendebantur. Sic enim viſum fuit reipublicæ ſapientiſſimæ, auctoritatem & majeſtatem imperii ſui propagatum, & metum exteris injectum iri, quorum principes & legati, Romam commeantes, non ſine ſtupore cultum & potentiam intueri poterant. Tenebant ipſos ad viarum crepidines tot templa, prætoria, arcus triumphales, cenotaphia, atque innumera alia monumenta elegantiſſima, quorum vel ſola rudera deformata nunc temporis advenas viatores delectant atque morantur.

Si quæras ex quo tempore Romani ad vias muniendas animum adjecerint, Strabo rurſus, dicto lib. v. reſpondebit, priſcos Quirites, majoribus ac mage neceſſariis rebus occupatos, pulchritudinis Ur-

bi

bi conciliandæ, quæ ex infimo nata, diuque occupatæ magis, quam diviſæ ſimilis fuit, nullam ſuſcepiſſe cogitationem; poſteriores vero, ac maxime ſibi æquales, regnante Auguſto & Tiberio, eam donariis multis ac elegantibus impleviſſe. Prima autem initia munitionis ab A. V. cccx. repetenda exiſtimo, quo creati ſunt Cenſores, publicorum jus privatorumque locorum habentes, Liv. lib. IV. c. 8. Unde Cicero lib. III. de LL. c. 3. *Cenſores populi ævitates, ſoboles, familias, pecuniaſque cenſento: Urbis templa*, VIAS, *aquas, ærarium, vectigalia tuento.* Exemplorum quantum ſatis eſt ex unico Livio depromere licebit. Appii enim Claudii cenſuram claram fuiſſe ait, *quod viam munivit*, lib. IX. c. 29. Sic C. Flaminius Cenſor viam Flaminiam munivit, epit. XX. M. Livius & C. Claudius Cenſores viam è foro Boario ad Veneris, & circa foros publicos faciendam locaverunt, lib. XXIX. c. 37. Rurſus Q. Fulvius Flaccus & A. Poſtumius Albinus Cenſores vias ſternendas ſilice in Urbe, glarea extra urbem ſubſternendas, marginandaſque primi omnium locaverunt, ponteſque multis locis faciendos, & clivum Capitolinum ſilice ſternendum curaverunt, lib. XLI. c. 27. En duplicem rationem ſternendi vias, glarea vel ſilice,

ſilice, de qua perite diſputat Nic. Bergierius lib. 2. de viis ſect. 30. quamque ſimiliter conjungit Ulpian. in *l.* 1. §. 2. *D. de via publ. & itin.* & Tibullus lib. 1. Eleg. 8. vſ. 59.

Namque opibus congeſta tuis, hic glarea dura
Sternitur, hic apta jungitur arte ſilex.

Pro via ſilicibus ſtracta, Lucretius & Virgilius *ſtrata viarum*, inferiorum autem temporum ſcriptores *ſtratam* ſimpliciter dixerunt. Procop. lib. 11. de Bello Perſ. c. 1. Στράτα γὰρ ἡ ἐστρωμένη ὁδὸς τῇ Λατείνων καλεῖται φωνῇ. *Strata Latino ſermone via vocatur.* Paulini, Juvenci & Britonis loca du Frene in Gloſſario attulit, quibus accedat *l.* 6. *C. Th. de itin. mun.* ubi *ſtratarum opera* inter ſordida munera numerari vetatur. Inde Italorum *ſtrada*, & Germanorum *Straſſe*, *Strasburg*, *Strada Montana* &c. Ab altero muniendi genere, quod fiebat terra ſcrupoſa, e littoribus & ripis depromta, vias militares & aggeres *glaream* appellari conjecit Scaliger lib. 2. Auſon lect. c. 27. ex Auguſtino de Civ. Dei lib. XXII. c. 8. *Sed iſta non ſimiliter innoteſcunt: neque ut non excidant animo, quaſi glarea, memoriæ crebra lectione teruntur.* Auſonius ad Paulum Ep. 10.

Aut iteraturum qua glarea trita viarum
Fert militarem ad Blaviam.

Inter

Inter omnes autem Italiæ vias eminuit inprimis Appia, ſive ejus antiquitatem, ſive longitudinem, operas, & ſumtus in munitionem ſtupendos, ſive oppida ejus & diverſoria, ſive deinceps foſſæ per paludes Pomptinas navigabilis eique propinquæ utilitatem ſpectes. Accurate & eleganter eam deſcribit tum Horatius lib. I. Sat. v. tum Strabo lib. v. Geogr. ubi pag. 237. primas huic viæ dedit: γνωριμώταται δὲ τῶν ὁδῶν, ἥ τε Αππία, καὶ ἡ Λατίνη, καὶ ἡ Οὐαλεσία. *Nobiliſſimæ viarum ſunt Appia, Latina & Valeria.* Antea vero pag. 223. foſſæ illius naturam commoditatemque declaravit, Appiæ viæ ipſam multis in locis appoſitam, tradens, implerique & paluſtribus & fluvialibus aquis; navigari plerumque noctu, ut qui navim veſperi intrant, mane egreſſi via Appia pergant; luce vero trahi etiam navim, tanquam remulco, a mulabus. Propter tot igitur et tantas dotes ſingulares non ſine cauſa Statius lib. 2. Sylv. 2. vſ. 11. cecinit:

Flectere jam cupidum greſſus, qua limite noto
Appia longarum teritur regina viarum.

Auctor ejus ſine dubio eſt nobiliſſimus ille Appius Claudius, cui poſtea Cœco fuit cognomen, qui M. Valerio Maximo et P. Decio Mure Coſs. A. U. CCCCXLII. a porta

porta Capena uſque ad urbem Capuam, eam muniendam curavit, in Cenſura, uti præter Livium Feſtus & Frontinus teſtantur. Nomen ejus felicioris memoriæ ad poſteros fuit, quod primus rem tantam & unus perfecit; licet alii Cenſores plura poſtea adjecerint, ad utilitatem & firmitatem viarum, uti Fulvius Flaccus & Poſtumius Albinus *vias extra urbem glarea ſubſtruendas* ad aggerem, *marginandasque*, id eſt, ad latera lapidibus grandioris notæ ſtringendas, *primi omnium locarunt*. Liv. lib. XLI. c. 27. Appii noſtri memoria ſervatur in inſcriptione Gruteriana pag. 389. n. 4. ſed quam Gudius in corp. Inſcript. pag. 373. inter ſpurias retulit; ejus verba ſunt iſta:

APPIUS. CLAUDIUS.
C. F. CAECUS.
CENSOR. COS. BIS. DICT. INTER
REX. II. PR. II. AED. CUR. II. Q. TR
MILIT. III. COMPLURA. OPPIDA.
DE. SAMNITIBUS. CEPIT. SABINO
RUM. ET. TUSCORUM. EXERCI-
TUM. FUDIT. PACEM. FIERI. CUM
PYRRHO. REGE. PROHIBUIT. IN.
CENSURA. VIAM. APPIAM. STRA

 VIT

VIT. ET. AQUAM. IN. URBEM. AD DUXIT. AEDEM. BELLONAE. FECIT. De eodem Paulinus, in carm. ad Cyther.

Poſthæc & ad nos pergere incœptat viam,
Qua ſternit aggerem ſilex,
Cui munitor Appius nomen dedit.

Appius ſcilicet viam ſtravit, quouſque potuit, alii vero, ut Gracchus, Cæſar vel Auguſtus, propagatis reip. finibus, eam produxerunt Brundiſium uſque, auctore Horat. lib. 1. Epiſt. 18. vſ. 20. & Tacito lib. 2. Annal. c. 30. ubi Lipſius videatur in notis & lib. 3. de magnit. Rom. cap. 10. ubi Procopii elegantem hujus viæ deſcriptionem illuſtrat, de Bello Goth. lib. 1. *Beliſarius via Latina exercitum duxit, Appia ad lævam dimiſſa. Hanc Appius, Romanorum cenſor, ante annos nongentos ſtruxerat, & a ſe dederat nomen. Longitudinem ejus quinque dierum ſpatio vir expeditus poſſit emetiri. Ab Urbe Roma Capuam pertinet, ea latitudine, ut duo currus ex adverſo obvii libere queant pervadere, & commeare. Et eſt ſane hæc via, præter ceteras ſpectabilis: ſiquidem Appius ex alia, & longinqua tunc, ut reor, regione exciſos lapides, & hos quidem ſiliceos, ac ſuopte ingenio duriſſimos, in hanc viam vehendos curavit. Quos planos deinde ac leves redditos, & quadratos inciſione*

factos

jactos junxit, & in ordine locavit, metalli nihil, vel alterius rei inſerendo. Sunt tamen ita connexi & valide inter ſe hærent, ut ſpeciem viſentibus præbeant, non conjunctos ita, ſed congenitos eſſe. Et quamvis tot jam ſeculis atterantur aſſiduis plauſtris jumentiſque, tamen neque ſerie ſua vel minimum exeunt, & dimoventur, neque franguntur, aut levorem ſuum amittunt. Eodem fere tempore, quo hæc Procopius ſcribebat, Theodoricus, Gothorum Rex, *viæ Appiæ a Trib. uſque Terracenæ iter & loca, quæ confluentibus ab utraque parte paludum per omnes retro Principum inundaverant, uſui publico & ſecuritate viantium, admiranda propitio Deo felicitate reſtituit*, teſte inſcriptione apud Gruter. pag 152. n. 8.

Ceterum etſi florente Republica Cenſura fuerit ſummæ auctoritatis, & honorum quaſi apex, ſenſim tamen quædam ejus partes magiſtratibus accreverunt, aliæ privatis exercendæ delatæ ſunt, poſtquam Auguſtus, arrepto imperio, nomen Cenſuræ abolevit, poteſtatem vero, ut alia magiſtratuum munia, in ſe traxit, nullo adverſante, Tacit. lib. 1. Annal. c. 2. Ubicunque ergo in Imperatorum monumentis vox Cenſoris occurrit, fere Præfectum morum notat, quo titulo Cæſar uſus fuit, Sueton.

 lib.

lib. I. cap. 76. Poſterioris autem ævi ſcriptores Cenſuram pro gravitate vultus, cum dignitate conjuncta, uſurparunt, uti *S*almaſius ad Capitolini Antonin. c. 22. Spanhemius de præſt. & uſu diſſ. XII. & Philippus a Turre in monumentis vet. Antii de inſcript. M. Aquilii cap. 3. notarunt. Memorabilis ceteroquin eſt inſcriptio Græca ſimul & Latina Thyatirenorum in Lydia, apud Sponium Itin. tom. 3. pag. 123. in qua Veſpaſianus, qua Cenſor, vias curaſſe dicitur:

IMP. CAESAR. VESPASIANUS
AUG. PONT. MAX. TRIB
POT. VI. IMP. XIII. COS. VI
DESIG. VII. CENSOR. VIAS
FACIENDAS. CURAVIT

CA-

CAPUT III.

De Ædilibus Curulibus et Municipalibus, viarum urbanarum curatoribus.

Ædiles Curules plateas Urbis ſtratas reſici, & lutoſas purgari juſſerunt, eorumque exemplo Ædiles municipiorum & coloniarum. L. un D. de via publica & ſi quid aliter, quam à Jac. Gothofredo explicatur. Qui Græcis fuerunt ἀςυνόμοι, Latinis ſunt Ædiles, contra Cujacium alioſque. Muneris Ædilitii erat curare, ut plateæ exæquentur, & ſumtibus eorum, qui proximas ædes poſſident, reficiantur, tum ne ædificia ventrem faciant in publicum, neve morticina projiciantur, aut ferocia animalia moleſta ſint, qua publice iter ſit. Iidem aliquando extra ordinem, ex mulctatitia pecunia, vel privatis ſumtibus vias ſtraverunt; ſicut Collegio Quæſtorum viarum ſtratura eſt mandata. Ædiles inter magiſtratus, qui quatuordecim Urbis regiones ſortito tuebantur. Vicomagiſtri è plebe cujusque viciniæ electi.

CEnſores merito excipiunt Ædiles, qui, tanquam illorum ſubadjuvæ, magnam partem politicarum curarum in ſe ſuſceperunt. Triplex eorum in Urbe fuit ordo: alii di-

cebantur *Plebeji*, Tribunorum miniſtri; alii *Cereales*, Annonæ curatores; alii denique *Curules*, a ſella curuli, cui honoris cauſa inſidebant, appellati. Atque hi poſteriores, uti munere, dignitate & poteſtate præ ceteris eminebant, & Ædiles *priores*, *majores*, vel *nobiliſſimi* ſæpe numero audiunt, ita ſoli quoque propoſuerunt edicta, & inter Viocuros ſunt referendi. Munera eorum potiora Cicero lib. III. de LL. c. 3. tribus verbis complexus eſt: *Sunto Ædiles curatores Urbis, Annonæ, Ludorumque ſolennium.* Cura urbis latiſſime patebat, ſed circa tria rurſus maxime verſabatur, circa ædes, balnea & vias publicas. Paulus urbanas vias *ad Magiſtratus* pertinere ſcribit, in *l.* 2. *§.* 24. *D. ne quid in loc. publ.* & anteriores Ofilius atque Trebatius, apud Venulejum in *l. ult. D. de cloac.* novam cloacam facere, eum concedere debere, ajunt, *cui publicarum viarum cura ſit.* Sed quinam illi? nimirum præter Cenſores, quos vidimus, tales erant Quatuorviri viarum & Ædiles. Illorum munus erat vias urbanas & ruſticas conſulares ſternere, hi vero, exemplo Aſtynomorum apud Athenienſes, plateas urbanas & ſuburbanas non modo ſterni jubebant, & ſtratas refici, ſed etiam purgamenta, ſordes, ſtercora, & quicquid viarum

arum uſui officeret removebant. Auctorem hujus rei locupletem habeo Plautum Sticho Act. II. ſc. 2. vſ. 27. ubi Dinacio ſervulo, comice imperanti:

Cape illas ſcopas, tu hoc converte,

Gelaſimus paraſitus, apud ſe, vel ad auditores converſus, belle ſubjicit, quod nunc in adagio eſt:

Sine ſuffragio populi hic quidem Ædilitatem gerit.

Cicero quidem vias Urbis, in montibus poſitæ, *non optimas* fuiſſe ait, II. Agrar. c. 35. nimis etiam cœnoſas & lutulentas, ob multitudinem hominum, jumentorum & vehiculorum eas experti ſunt Juvenalis ſat. III. vſ. 247. & Martialis lib. V. ep. 23. vſ. 6. lib. VII. Ep. 60. vſ. 6. verum tanto major cura fuit adhibenda, ut viæ, vallibus complanatis, exaequarentur, & a luto purgarentur, maxime poſtquam plateae non ſilice modo, ſed & pretioſi generis lapidibus cœruleis vel alterius coloris ſtratae fuerunt. De monſtro illo hominis Elagabalo ſcribit Lampridius: *Stravit ex ſaxis Lacedæmoniis ac Porphyreticis plateas in palatio, quas Antoninianas vocant.* Sed diu ante huc pertinet memorabilis hiſtoria, quam refert Dio Caſſius lib. 59. ad A. U. C. DCCXCII. Caligula enim, quum in foro pro tribunali ſedens, forte multum

cœni in angiportu quodam vidiſſet, juſſit id in veſtem Flavii Veſpaſiani, *cui tunc Ædili purgandorum angiportuum cura incumbebat*, conjici. Brevius eandem rem narrat Suetonius in Veſpaſiano cap. v. *Ædilem*, ait, *cum C. Cæſar ſuccenſens, curam verrendis viis non eſſe adhibitam, luto jusſit oppleri, congeſto per milites in prætextæ ſinum.* Atque ita eveniebat, ut vere dici poſſet cum Horatio lib. 2. Epiſt. 2. vſ. 71.

Puræ ſunt plateæ, nihil ut meditantibus obſtet.

Num eodem munere Ædiles in municipiis & coloniis functi ſint, non opus eſt teſtimoniis anxie quaeſitis firmemus, in re liquida, cujusque tam ampla deſcriptio reperitur in titulo Pandectarum, *De via publica, & ſi quid in ea factum eſſe dicatur*, qui totus ἐκ τοῦ Ἀστυνομικοῦ μονοβίβλου τοῦ Παπινιανοῦ, *ex libro ſingulari Papiniani, De officio Ædilium*, deſumtus eſt. Is enim JCtorum coryphæus, forte in gratiam municipiorum, & coloniarum quarundam, per provincias ſparſarum, quæ Græcas magis, quam Latinas literas callebant, librum hunc ſingularem Ἀστυνόμικον Græce compoſuit, ut Ædiles ibi munus ſuum viarium diſcerent, & ad exemplum Ædilium Curulium Urbis matris juſſa ſua componerent

rent, cujus illæ *quaſi effigies parvæ ſimulacraque eſſe quædam videbantur*, ut ait Gellius lib. XVI. c. 13. Neque enim accedo Jacobo Gothofredo, qui ad *l.* 2. *C. Th. de itin. mun.* fragmentum illud ad Ædiles urbanos pertinere exiſtimavit: jubet enim Papinianus Aſtynomos ſuos ſtudere, ut quæ κατὰ τ̀ πόλιν *ſecundum civitatem* quamque ſunt viæ exæquentur, utque mu!tent eos, qui vias effodiant vel ſubruant, κτ̀ τὸν νόμον, *ſecundum legem municipalem* cujusque urbis.

Non etiam placet, quod ſummus Cujacius, tum ad hanc *l. un.* tum lib. XXII. Obſ. c. 31. alium fecit Ædilem, alium Aſtynomum; cujus veſtigia legentes, Bertrandus & Guil. Grotius minus proprie librum hunc Aſtynomicum, *de officio Ædilium* Latine transferri putarunt. Quod ſi enim nomina rebus conſentanea eſſe oportet, quale nomen, quæſo, Ædilibus magis conveniet, quam Aſtynomorum? quia urbis erant curatores, & Cicero ſibi Ædili deſignato *totam Urbem tuendam eſſe commiſſam* profitetur, lib. v. in Verr. cap. 14. Praeterea optimae Gloſſae Ἀςυνομίαν *Ædilatum* exponunt, Ædilatus autem, Feſto interprete, Ædilium dignitas eſt. Et quamvis Athenis viginti Ἀςυνόμοι viis maxime, ἀγορανόμοι autem foro re-

rerum venalium fuerint praefecti, atque Ulpianus, Demoſthenis Scholiaſtes, ad orat. contra Timocratem, eos ita diſtinguat pag. 819. Ἔστι δε Ἀγορανόμος, ὁ ἐπόπτης τῶν ὠνίων τῆς ἀγορᾶς. Ἀστυνόμος δε ὁ ἐπὶ τοῦ εἴσει καθαρείαν τὴν πόλιν ἀσχολούμενος, ὁ παρ' ἡμῖν πατήρ. *Eſt autem Agoranomus inſpector rerum venalium in foro: Aſtynomus, qui in eo occupatur, ut urbs munda ſit, qui apud nos* πατὴρ *appellatur;* minime tamen inde ſequitur, Romae & in coloniis Romanis, ab Aſtynomis diverſos fuiſſe Ædiles: quid enim vetat, quo minus hi utramque & Agoranomi & Aſtynomi, ex inſtituto populi, ornarint ſpartam? etſi Ædiles Romani plerumque, apud Graecos ſcriptores, ἀγορανόμοι à munere potiori appellentur. Denique ad Agoranomos pariter ac Aſtynomos, confuſo horum munere, apud ipſos Graecos, querelas de immunditie viarum delatas eſſe, ex Libanio diſcimus, declam. 36. pag. 794. Ἀγορανόμοι δὲ καὶ Ἀστυνόμοι, οἵτω κατα φρονοῦντας αὐτῶν οὐ κολάζετε· οἱ τοσοῦτον νέμουσιν ἐπιμελείας τῇ πόλει, ὥστε λίμνας ὅλας ἐν αὐτῇ συνεστάναι, καὶ ὀλίσθους εἶναι της ἀγορᾶς πολλαχοῦ. Vertit Morellius: *Fori autem & annonæ præfecti atque Ædiles, ita leges deſpicientes non caſtigatis: qui tantum urbi curæ impendunt, ut paludes totas in ea conſtituant, & loci paſſim in foro occurrant perlubrici.* Haec

Haec poterant Cujacio refellendo ſufficere; quo magis vero cura viarum Ædilitia pateſcat, age conferamus, quae Papinianus ad munus Aſtynomorum retulit, cum his, quae de Ædilibus, & Romanis, & municipalibus, nunc quidem occurrunt, nec ovum ovo ſimilius apparebit. Primum ait, Aſtynomis curae eſſe, ut viae exaequentur, nec effluxiones aquae coeleſtis noceant domibus, & ponticuli fiant, ubicunque oportet. Sic vero *Agrippa, Ædilis Curulis ultro factus, omnia aedificia publica, omnes vias privatis impendiis refecit, & cloacas expurgavit*, auctore Dione lib. 49, ad A. 720. Idem firmat antiqua inſcriptio, Beneventi reperta, apud Fabrett. cap. IX. Inſcript. 72. & Gudium pag. 72. n. 5.

C. ENNIUS. M. F.
C. BERGONIUS. Q. F.
ÆDIL.
VIAM STRAVERUNT.
ET LACUUS FECERUNT.

Deinde vetant, ne parietes aedificiorum procumbant, aut ventrem faciant, in viam publicam: curant, ut mundae ſint viae publicae, & reficiantur ſumtibus eorum, qui proximas aedes poſſident, pro regione ſingularum aedium, ita ut, ſi jure conductionis eas teneant, iſtum ſumtum loca-

tori-

toribus imputent in penſionem; denique non permittunt ante officinas quicquam propoſitum eſſe, quo populo iter deterius ſit, & dant operam e via publica κόπρον ἐκβάλλεσθαι, morticina & exuvias caeſorum animalium tolli; id quod civium ſanitati apprime conducit; praeterquam quod ejuſmodi purgamenta adeo inviſa erant, ut ea vel pede calcaſſe nefarium, & mali alicujus praeſagium haberetur. Haec omnia vero Ædilibus curae fuiſſe, praeter loca ſuperius laudata, Seneca oſtendit epiſt. 86. cum *nobiliſſimos Ædiles* ait, *functos officio exigendi munditias.* & Paulus in l. 12. D. de peric. et commod. rei vend. *Lectos Ædilis, cum in via publica poſiti eſſent, concidit.* Eodem pertinet paraſiti *edictio Ædilitia*, apud Plautum Capt. act. IV. ſc. 2. ſi cujuſquam ſchropham aut petronem in via publica conſpexerit: nec forte alios, quam Ædiles, Geta Plautinus intellexit Truc. act. II. ſc. 7.

Qui bona ſua pro ſtercore habet, foras jubet ferri: metuit
Publicos, mundiſſimus eſt. - - -

Ab eadem cura viarum, repetendum videtur Edictum Ædilium Curulium, in *l.* 40. 41. *&* 42. *D. de Ædilit. edict.* quod parte tertia nobis erit explicandum. Neque

que enim hi munere ſuo ſatis ſe perfunctos cenſebant, ſi ſtercora, caeſorumve animalium exuvias e medio removiſſent, ſed canes etiam feroces ac belluae, humanum ſitientes ſanguinem, procul a viis relegandae erant, quo iter facientes ſine periculo iis ſe tradere poſſent. Has utique partes Plato, in Republica ſua, Aſtynomis mandavit lib. VI. *Ad viarum ſtructuram earumque exornandarum curam, ne aut homines injuria afficiantur, aut ipſæ feræ noceant, ſed ut tam in ipſo urbis ambitu, quam in ſuburbiis conſentanea quæque gerantur, magiſtratus ſunt eligendi qui appellentur* ἀςυνόμοι, *id eſt AEdiles.*

An vero cura ſternendarum platearum Ædilibus etiam injuncta? ita quidem videri poſſet, quia Livius lib. x. c. 23. de Cn. & Q. Ogulniis, Ædilibus Curulibus, ſcribit: *Semitam ſaxo quadrato à Capena porta ad Martis ſtraverunt.* Et eodem libro c. ult. *ab AEdilibus Curulibus via a Martis ſilice ad Bovillas perſtrata eſt.* Varro lib. IV. de LL. *Clivus Publicius ab AEdilibus plebei Publiciis, qui eum publice ædificarunt.* Ovidius lib. v. Faſt. vſ. 287.

Plebis ad Ædiles delata licentia talis
Publicios, animus defuit ante viris.
Rem populus recipit, mulctam ſubiêre nocentes,
Vin-

Vindicibus laudi publica cura fuit.
Mulcta data eſt ex parte mihi: magnoque favore
Victores ludos inſtituere novos.
Parte locant clivum, qui tunc erat ardua rupes,
Utile nunc iter eſt, Publiciumque vocant.

Nec deſunt exempla in coloniis & municipiis viarum & clivorum, ab Ædilibus munitorum. Apud Gudium pag. 70. n. 1. LUCILIUS. AED. VIAM. SILICE. STRAVIT. Capacius item lib. 1. Hiſt. Neap. refert inſcriptionem, adverſus quam contraria probatio audienda non videtur:

JULIUS. FRONTO. AED. DUXIT.
VIAM. A. FORO. FECIT. CLIVOM.

Verum cura ſternendarum viarum in Urbe apud Cenſores & IV. viros, in municipiis apud Quinquennales fuit; AEdiles vero, aliquando ex mulctatitia pecunia, juſſu Senatus & Populi, aliquando etiam privatis ſumtibus, ob *primum adſcenſum ad honoris amplioris gradum*, & πρώτην ἐπιφανῶν ἀρχῶν, ut Cicero & Plutarchus vocant, extra ordinem vias munierunt. Prioris exemplum in Publiciis illis fratribus dabit Feſtus: *Publicius appellatur, quem duo fratres L. M. Publicii Maleoli AEdiles Curules* (Varro & Ovidius plebejos vocant) *pecu-*

ariis

ariis condemnatis ex pecunia, quam ceperant, munierunt, ut in Aventinum vehiculis Velia venire poſſint. Poſterius docet lapis Cremonæ, in via publica deſcriptus, apud Gudium Theſ. inſcript. pag. 73. n. 1.

T. PRAESENTIUS. Q. F.
P. HELVECIUS. P. F.
AED. OB. HONOREM.
IN. VIAM. H. S.

Aliquando ſtratura in Urbe Collegio Quæſtorum fuit mandata, ſed Claudius ejus loco gladiatorum munus injunxit, propriis nummis per omnes annos celebrandum, Sueton. lib. v. cap. 24. & Tacit. lib. XI. Annal. c. 22. Auguſtus inſtituit, ut annui magiſtratus ordinarii, v. c. AEdiles, Tribuni & Prætores quatuordecim urbis regiones ſortito & extra ordinem tuerentur, vicos vero magiſtri e plebe cujuſque viciniæ electi, quibus veſte, quam magiſtratus gerunt, ac lictoribus binis certis diebus uti conceſſit, Sueton. Aug. c. 30. Dio lib. 55. Idem ſeptem cohortes opportunis locis conſtituit, ut binas regiones Urbis unaquæque cohors, adverſus raptores aliaſque perſonas atroces tueretur, præpoſitis iis Tribunis, & ſuper omnes ſpectabili viro, qui per totam noctem vigilabat, et *Præfectus vigilum* appellatus, *l.* 3. *D. de off. præf. vig.* Victor

&

et Rufus duos Curatores cuique regioni adſignant, quod cujus Principis inventum ſit, neſcimus; de Alexandro Severo autem ſcribit Lampridius c. 33. *Fecit Romæ curatores Urbis quatuordecim, ſed ex conſularibus viris.* Vicorum etiam magiſtros viis urbanis præfuiſſe non temere dixerim: aliud enim eſt via, quæ ſuo nomine appellatur, aliud vicus, ſive continuata ædium ſeries, in quas Hebræorum quoque et Græcorum urbes diviſæ fuerunt. Inſpectores earum Dio στενωπάρχους, Victor *vicomagiſtros* vocavit. Crebra eorum fit mentio in lapidibus antiquis. Apud Gruterum pag. 249. n. 8. MAGISTRI. VICORUM. URBIS. REGIONUM. XIIII. in baſi prægrandi occurrunt; et apud Gudium pag. 26. n. 6. L. Flaminius Priſcus CURATOR ET MAGISTER TRIVII VICI AURELII laudatur. Magiſtros vicorum in prætexta compitalitios ludos feciſſe, Aſconius in Piſon. pag. 159. ſcribit, ad quorum imitationem, de magiſtris vici ruſtici extra Urbem, Calpurnius Eccl. 4. cecinit:

Ut quoque turba boni plaudat ſaginata magiſtri,
Qui facit egregios ad pervia compita ludos.

CA-

CAPUT IV.

De magnifica viarum structura, secundum legem viariam Gracchi Tribuni.

Legis Semproniæ auctor C. Sempronius Gracchus, Trib. pl. qui populo cariſſimus, quod in viis ruſticis muniendis ornatum cum utilitate conjunxit. Viæ ad amusſim directæ & latæ, ut duo currus adverſi tranſire poſſent: l. 2. §. 21. D: ne quid in loc. publ. & Lex XII. *Tabb. explicatur. Viæ per Italiam duplici modo munitæ. Earum firmitas ex ſtrue pavimento ſuppoſita. Ad latera limbi peditibus deſtinati. Aliquando agger medius pediti, latera jumentis trita. Agger, ab aggeſtu terræ, pro via militari. Partem viarum nobilem conſtituunt Pontes, quibus vias diviſas Romani ſtudioſe junxerunt. Viæ per columnas milliares diſtinctæ in ſua intervalla. Harum antiquitas, forma & uſus. Menſuræ viarum celebriores. Lapides minores, è quibus in equos vel vehicula ſcanſio commodior. Stapides nulli in veterum ſellis, quando cœperint uſurpari. Munus ſtratorum. Curionis Tribuni lex Viaria, de muniendis & reficiendis viis. Conſulum cura viaria.*

Hactenus viæ maxime urbanæ nos tenuere, nunc ad ruſticas & militares oculos conferamus, in quibus muniendis majeſtas imperii, jam ſub libera Republica, in tantum eluxit, ut ſine teſtibus claſſicis narratio noſtra fidem vix inventura videatur. Fundus ergo hujus capitis ſit Lex Sempronia, quam C. Sempronius Gracchus, Tribunus plebis A. U. C. DCXXX. de viarum munitione tulit, auctore Plutarcho in Gracchis cap. 9. cujus verba hæc ſunt pag. 837. Ἐσπούδασε μάλιστα περὶ τὴν ὁδοποιΐαν, τῆς τε χρείας ἅμα καὶ τοῦ πρὸς χάριν, καὶ κάλλος ἐπιμεληθείς. εὐθεῖαι γὰρ ἤγοντο διὰ τῶν χωρίων ἀρτεμεῖς· καὶ τὸ μὲν ἐστόρνυντο πέτρᾳ ξεστῇ, τὸ δὲ ἄμμου χώμασιν ἀκτοῖς ἐπυκνοῦντο. πιμπλαμένων δὲ τῶν κοίλων καὶ ζευγνυμένων γεφύραις, ὅσα χείμαῤῥοι διέκοπτον ἢ φάραγγες, ὕψος δὲ τῶν ἑκατέρωθεν ἴσον καὶ παράλληλον λαμβανόντων, ὁμαλὴν καὶ καλὴν ὄψιν εἶχε διόλου τὸ ἔργον. πρὸς δὲ τούτοις διαμετρήσας κατὰ μίλιον ὁδὸν πᾶσαν (τὸ δὲ μίλιον ὀκτὼ σταδίων ὀλίγον ἀποδεῖ) κίονας λιθίνους σημεῖα τοῦ μέτρου κατέστησεν. ἄλλους δὲ λίθους ἔλαττον ἀπέχοντας ἀλλήλων ἑκατέρωθεν τῆς ὁδοῦ διέθηκεν, ὡς εἴη ῥᾳδίως τοῖς ἵπποις ἔχουσιν ἐπιβαίνειν ἐπ᾽ αὐτῶν ἀναβολέως μὴ δεομένοις. *Elaboravit potiſſimum in viis muniendis, tam utilitatis, quam oblectamenti & ornatus habens rationem. Ducebantur enim directæ ad amuſſim per agros viæ, atque hinc lapide quadrato ſternebantur, hinc gla-*

glareæ aggeribus advectis refereiebantur. Complebat & pontibus jungebat lacunas, torrentibus vel ſpecubus excavatas, ac lateribus pari inter ſe faſtigio utrinque comparatis, æquabilem habebat & viſendam undique opus faciem. Adhæc viam omnem per milliaria dimenſus (capit autem paullo minus octo ſtadia milliare) columnas lapideas ſpatii ſignandi gratia locavit. Alios lapides modicis inter ſe intervallis hinc inde ſecundum viam diſpoſuit: quibus equitantes ſine ſubjicibus ephippiariis conſcenderent commodius equos.

Omne punctum Gracchus tuliſſe cenſendus eſt, quod in viis muniendis utile dulci miſcuit, eoque operis publici genere maximam ſibi civium benevolentiam conciliavit. Magiſtratibus enim in provincias ituris, pariter ac privatis, nihil jucundius eſſe poterat, quam itinera ſua, tam peditum, quam equitum, & vehiculis utentium commoda facilitate juvari. Ornatum viis addebat, quod ad lineam rectam erant conſtructæ, latitudine ſufficiente, & longitudine ingenti. Proſpectus quoque amœnitate viatores, per celſam exaggerationem ambulantes, ab itineris labore & tædio plurimum levabantur. Quod viæ rectæ fuerint, cernere licet, tum ex ruderibus viarum publica-

 rum,

rum, tum ex tabulis itinerariis, in quibus linearum ductus de manſione ad manſionem fere ſunt recti; tum denique ex Ulpiano, qui viam definit *ſolum publicum, relictum ad directum certis finibus latitudinis*, in *l.* 2. §. 21. *D. ne quid in loc. publ.* ubi directum eſt rectum ad amuſſim, uti Lucretius lib. IV. vſ. 613. dixit, ſimulacra *viis directis* tendere, id eſt, lineis rectis. Latitudo viarum Italiæ vix egrediebatur pedes quatuordecim: cum enim illæ ab annis circiter bis mille ſtratæ ſint, quando currus minus erant frequentes, id ſpatium ſufficere tum videbatur, ut duo vehicula adverſa tranſire poſſint. In provinciis autem viæ exaggeratæ fuerunt latiores pedum triginta, quadraginta, aliquando etiam ſexaginta, quam latitudinem viis quoque caſtrenſibus dederunt Gromatici. Hyginus de limit. pag. 152. Actuarios limites, per viam publicam actos, latiores, ait, fuiſſe XII. pedibus: *habent enim latitudines viæ publicæ.* Adeoque ad vias privatas referre malim, quod Varro lib. VI. de LL. & Cajus in *l.* 8. *D. de S. P. R* ajunt: *Viæ latitudo ex Lege XII. tabb. in porrectum octo pedes habet; in anfractum, id eſt, ubi flexum eſt, ſedecim*: nam via publica majorem ſine dubio requirit latitudinem, ne alterum vehicu-

hiculum obvio alteri ſit impedimento; at ſi via per ſervitutem conſtituta, prædio ſervienti plus decedere non debebat, quam opus fuerit uni vehiculo per eandem orbitam ducendo & reducendo. Adde quod Cajus lib. VII. ad Edictum provinc. de ſervitutibus egit, pariter ac Javolenus in *l.* 13. *§.* 2. *&* 3. *D. eod.* ubi hanc latitudinem *legitimam* appellavit.

* Ad materiam quod attinet, olim viæ in urbe tantum Silice ſternebantur, extra vero Glarea; ſed Gracchus, pro differentia locorum, alias ruſticas, lapide quadrato, alias vero glareæ aggeribus advectis munivit. His vero tertium viæ genus addit Ulpianus in *l.* 1. *§.* 1. *D. de via publ. & itin.* quam *terrenam* vocat, cui nec glarea injecta, nec ſtratum ex ſilice impoſitum, forte quod aridum ſolum imbribus emolliri non poſſet, vel pingue ſoli & ventis ſatis expoſitum eſſet; ſed de hoc ſilet Plutarchus. Modum & formam communem vias muniendi pulchre nobis deſcripſit eruditiſſimus Bergierius lib. II. ſect. 17. Aperiebantur duo ſulci, æquali diſtantia, ad funiculum, per medios campos tenſum; inter ſulcos, evacuata terra molli, longior foſſa arena aliave materia firmiore implebatur, ne ſi minus ſolida hujusmodi baſis eſſet, tota ſtructura la-

befactaretur. In humidis locis vel inter colles dejectis aggeres ſtruebantur, altitudine quinque, vel decem, immo & viginti pedum, ut dorſum viæ æquo itinere procederet. Huic denique pro loci genio, nunc glarea injecta, nunc lapides duriores ad hoc dolati impoſiti, artificio tam concinno, vix ut tenuiſſimam cultri aciem inter juncturas figere poſſis. De collibus excifis & cavitatibus ſumtu incredibili complanatis, evidenter ſcribit Strabo l. v. pag. 235. Foſſam optime depinxit Statius, in via Domitiana lib. IV. Sylv. 3. vſ. 40.

Hic primus labor inchoare ſulco,
Et reſcindere limites, & alto
Egeſtu penitus cavare terras,
Mox hauſtas aliter replere foſſas,
Et ſummo gremium parare dorſo,
Ne nutent ſola, ne maligna ſedes
Et preſſis dubium cubile ſaxis.
Tunc umbonibus hinc & hinc coactis,
Et crebris iter alligare gomphis. &c.

Præcipua itaque viarum firmitas non modo ex ſilicum apte junctorum magnitudine & duritie, ſed etiam ex ſtrue ſuppoſita proficiſcitur; cujus rationem in viis publicis, quæ Remis conveniunt, Cl. Bergierius lib. II. ſect. 18, in parte autem viæ Appiæ Cl. Montfauconius tom. 4. Antiq. part. 2. lib. I. c. I. curioſis oculis in-

inveſtigarunt. In ima enim viæ parte hic impolitos lapides, cæmento firmiſſime coagmentatos; tunc aliud ſtratum ſuperpoſitum, glarea, minuto lapide & cæmento conſtans; & huic demum ſaxa, unius vel duorum pedum, impoſita ſuperius conſtituere pavimentum reperit. Hoc vero innumeris licet viatoribus, jumentis, rhedis & vehiculis, per annos circiter bis mille, tritum, non obſtantibus etiam cœli humidioris incommodis, prope Fundos, in Campania, oſtentat partes ſui integerrimas, & glaciei inſtar adeo perpolitas, ut ingruente pluvia equi fallente veſtigio labantur. Nonnullis in locis præterea conſpici, ait, limbos, ab utroque latere, peditibus deſtinatos, latitudine non prorſus bipedali, & altitudine pedis unius ac dimidii. Andreas vero Palladius lib. III. de Archit. c. 3. vias quasdam obſervavit, in triplex ſpatium partitas; cujus medium, leni acclivitate ſurgens, & ſilice munitum viatori pedibus eunti fuerit deſtinatum, bina reliqua autem, ſabulo aut glarea operta, equis & jumentis. Agger ille ab *aggeſtu* terræ dictus, Græcis χῶμα & χῶσισ, ἀπὸ τȣ̃ χωννύειν, *agger viæ* à Virgil. lib. v. AEneid. vſ. 273. & *itinerarius agger* ab Ammiano vocatur lib. XIX. cap. 6. Iſidorus lib. XV. Orig. c. ult. ejus formam

& materiam recte deſcribit: *Agger eſt media ſtratæ eminentia, coaggeratis lapidibus, vel glarea, aut ſilicibus ſtrata: ab aggere, id eſt, coacervatione dicta, quam Hiſtorici viam militarem dicunt.* Plane Imperatores *aggerem publicum*, pro via publica, in *l.* 5. *C. Th. de itin. mun.* Sidonius *antiquum aggerem*, pro via diu trita; & Rutilius *Aurelium aggerem* pro Aurelia via dixere. Vid. Bergier. lib. II. ſect. 17. & notas Varior. ad Rutil. l. 1. vſ. 39.

Pontium præterea rationem habuit Gracchus, qui nobilem viarum partem conſtituunt, immo viæ ſunt ſuper aquas; unde *Pontes, per quos itinera celebrantur, juvari oportere*, dicitur in *l.* 36. *C. Th. de oper. publ.* Et ſane pontes tot commoda viatoribus adferunt, ut Romani ſummæ religionis duxerint eos in fluminibus facere, & Varro exiſtimarit, Pontifices à ponte ſublicio facto & reſtituto nomen tuliſſe. Omnes quoque viarum curatores antiqui & recentiores id ſtudioſe egerunt, ut pontes, fluminibus rapidis & profundis impoſiti, firma materia conſolidarentur. Inter præcipua antiquitatis monumenta computatur pons Narnienſis, miræ magnitudinis, & arcubus celſiſſimis, ab Auguſto, ut ferunt, exſtructus, cujus Martialis meminit lib. VII. Ep. 92. quem-

quemque Aug. Martinellus libello ſingulari Italica lingua deſcripſit. Inter Caligulæ opera plurima, Plinius *tot pontes tantis impendiis factos* miratur lib. xxxvi. c. 15. Trajanum Xiphilinus ſcribit πλεῖςα ἀναγκαιότατα καὶ ἐν ὁδοῖς καὶ ἐν λιμέσι κατασκευάσαι, *plurima neceſſaria tam in viis, quam portubus inſtauraſſe:* hæc inter flumina pontibus junxit plurimis, quos Alexander Severus deinde, pæne in omnibus locis, inſtauravit, auctore Lampridio cap. 6. Magnificentiam pontis Trajani ſupra Danubium, Myſiæ ac Daciæ ripas copulantis, Dio Caſſius lib. 68. depinxit; ſed Lud. Ferd. Marſilius, in epiſtola ad Montfauconium, tom. II. Theſ. Sallengr. pag. 990. Dionem aut rei veritatem non edoctum, aut adulationi inſerviiſſe judicat, cum inter minima populi opera pons ille referendus ſit. Hic ergo cum Bergierio conferendus eſt, qui lib. IV. ſect. 38. fidem Dioni habuit, aliosque pontes admirandos, in Urbe, per Italiam, & per Provincias factos, facunde explicavit. Vere Ariſtides tom. I. Orat. 14. ait: *Romanos terram omnem dimenſos pontibus variis fluvios junxiſſe.*

Non minorem viantibus utilitatem & voluptatem præſtitit Gracchus, quod primus Romanorum ſingula milliaria dimen-

ſa lapideis columnis diligenter diſtinxit, quæ vulgo *lapides*, aliquando *lapides milliares*, Græcis σημεῖα appellantur, quia ſinguli mille paſſus, erecto lapide, velut ſigno, erant diſtincti. Inde primus, ſecundus, tertius lapis pro milliario, apud Veteres crebro uſurpatur. *Octavum marmor* vocat Martialis lib. IX. ep. 65. Alii rurſus, ſuppreſſo lapidis nomine, ſolum numerale ponunt: *ad duodecimum à Cremona*, lib. II. Hiſt. c. 24. ait Tacitus. Uſus earum eſt antiquiſſimus: apud Indos enim ſupra ex Strabonis lib. XV. vidimus, fuiſſe certos magiſtratus viocuros, qui per dena ſtadia lapideas columnas poſuerint, diverticula diſtantiasque indicantes. Mature etiam ex Italia lapides illi in provincias perlati; quia Polybius vias a Columnis & Carthagine nova uſque ad Rhodanum, ſua ætate, a Romanis per octona ſtadia deſcripta, & milliaria lapidibus diſtincta refert lib. III. c. 39. Idem Strabo lib. VII. pag. 223. de Egnatia Macedoniæ via ſcribit: βεβηματισμένη κατὰ μίλιον, καὶ κατεστηλωμένη μέχρι Κυψέλου, καὶ Ἕβρου ποταμοῦ, *per paſſus diſtincta ſecundum milliaria, ad ſingula erecto lapide uſque ad Cypſelum & Hebrum fluvium.* Forma harum columnarum fuit rotunda, vel quadrata, vix ultra pedes octo: impoſitæ ſtylobatis minoribus, inſcri-

ſcriptum habebant numerum milliarium, v. c. M. P. VIII. quibus aut Roma aut alia urbe diſtabant: quædam etiam in baſi præferebant nomen Imperatoris aut illius, qui eas vel fecit vel refecit, uti ex auguſtis inſcriptionum operibus Gruteri pag. 154. Reineſii pag. 294. Sponii pag. 186. Fabretti pag. 413. & Gudii pag. 71. tum etiam ex Sirmond. notis ad Sidon. carm. 24. Bergierio lib. IV. ſect. 39. Hiſtoria Acad. reg. t. 2. pag. 379. & 383. & Montfauconio Supplem. Antiq. tom. IV. lib. 5. videre licet. Finis earum inſignis erat, ut ex cujusque numero iter facientibus conſtaret, quot millibus paſſuum, quoquo irent, ab Urbe, vel ab initio viæ abeſſent, ſimul etiam viæ menſuris velut animarentur, columnis inſtar continuæ porticus hypæthræ ornarentur, & denique tædium ex itineris longitudine levaretur. Belle Quintilinus lib. IV. Inſt. orat. c. 5. *Partitio reficit audientem, non aliter, quam facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata inſcriptis lapidibus ſpatia: nam & exhauſti laboris noſſe menſuram voluptati eſt, & hortatur ad reliqua fortius exſequenda ſcire, quantum ſuperſit: nihil enim longum videri neceſſe eſt, in quo quid ultimum ſit, certum eſt.* Rutilius itinerar. lib. II. 7.

In-

Intervalla viæ feſſis præſtare videtur,
Qui notat inſcriptus millia crebra lapis.

Quod autem Plutarchus milliarium paullo minus octo ſtadia Græcorum capere ait, ex aliis quidem haud certum eſſe videtur, ſed firmant Polybius lib. 3. c. 39. Strabo lib. VII. pag. 223. & Iſidorus lib. XV. Orig. c. 16. *Stadium octava pars milliarii eſt, conſtans paſſibus* CXXV. De variis aliarum gentium menſuris viarum pulcher Hieronymi locus eſt in Joël III. 18. *Unaquæque gens certa viarum ſpatia ſuis appellat nominibus: quum Latini mille paſſus vocant, & Galli leugas, & Perſæ paraſangas, & raſtas univerſa Germania.* Romanos certum eſt per milliaria menſos, quibus a mille paſſibus eſt nomen. Paſſus autem pedes quinos continet Romanos; qui noſtro vulgari paullo erant majores. De mille paſſibus illis obvia ſunt veterum loca, Cicero autem lib. VIII. ad Attic. epiſt. 9. & Valerius Maximus lib. I. c. 8. n. 4. uno verbo *milliarium* dixerunt. Leugas, leucas, leuvas Gallorum Perionus à λευκός, albus, derivat, quod locorum intervalla lapidibus candidis deſignarentur. Bochardus a Phœnicibus eas repetit; ſed quia ex actis martyrii S. Genovevæ diſcimus, *leugas veteri Gallorum lingua nuncupari*, veriſimilior eſt Spelman-

manni & Barthii ſententia, cum Britannorum *lead*, vel *leach*; lapis, vel cum Germanorum *leuf*, *leope*, ut eſt in Ælfrici gloſſario, Celticum hoc vocabulum convenire, quo mille & quingentorum paſſuum quantitas finiebatur, teſte Jornande de reb. Get. c. 36. vid. Voſſ. de vit. ſerm. lib. II. c. XI. & III. c. 19. Perſarum Paraſangæ variarunt pro diverſis locis, alii eas ſexaginta ſtadiorum eſſe dixerunt, alii triginta, alii quadraginta, apud Strabonem lib. XI. pag. 317. ſed in medio numero acquieſcunt Eruditorum plurimi, Herodoti auctoritate. De Raſta Germanorum plura ſcriptorum loca dedit du Frene in Gloſſario; nos contenti erimus ejus ſpatium ex vetere Agrimenſore indicaſſe apud Goeſ. in rei agrar. Auct. pag. 322. *Sunt menſuræ, quæ ad viatores, ſeu ad curſores pertinent. Minima pars Stadium eſt, habens paſſus* CXXV. *Octo ſtadia Milliarium reddunt, mille paſſus habentem. Milliarius & dimidius apud Gallos Leuvam facit, habentem paſſus mille quingentos. Duæ leuvæ, ſive milliarii tres, apud Germanos unam Raſtam efficiunt.* Nos per leucas fere computamus, in quas tria hodierna milliaria Italica, ſed quatuor vetera Romana veniunt; uti ex itinerario Antonini, Nithardo,

do, lapidum intervallis, aliiſque argumentis Cioſani ad Ovid. lib. IV. Triſt. Eleg. 10. & Lipſ. cent. ad Italos epiſt. 59. oſtenderunt. Adde de omni hoc argumento Briſſon. lib. IV. ſel. ant c. 8. Bergier. de publ. & milit. viis lib. III. ſect. 11. 12. lib. IV. ſect. 42. & Cellar. Geogr. ant. lib. I. c. II.

Reſtat de columellis ſaxeis dicamus, quas Gracchus fieri curavit, ut earum præſidio alii equos inſcenderent, alii de vehiculo deſcenderent, feſſi denique onus deponerent, atque ita omnium, maxime vero ſenum, commoditati proſpiceretur. His enim difficillimum erat corpora ſaltu in equos ſubjicere, ut juvenes ſolebant apud Virgilium, nondum inventis ſtapedibus: in quorum originem Ill. Cuperus ad Lactantii cap. 5. diligentiſſime inquiſivit. Vix autem ante ſæculum Chriſtianum quartum earum mentio occurrit, neque Xenophon de arte equeſtri, nec Julius Pollux inter equeſtria ornamenta ſcandularum meminere, uti pridem docuerunt Joannes Tortellius, Galeottus Martius, Voſſius, Salmaſius, Sant-Amantius, Magius aliique. Primus Hieronymus in Epiſtolis ſcribit: *cum quaſdam accepit litteras, jumentum conſcenſurum, jam pedem habuiſſe in biſtapia*; atque ejuſdem

ævi

ævi eſſe videtur inſcriptio Romana paſſim laudata, quam tamen Gruterus ſpuriis inſeruit: *dum virgunculæ Durmioniæ placere cuperem, caſu deſiliens equo, pes hæſit ſtapiæ, tractus interii. in rem tuam mature propera. vale.* Honoratiores equos adſcenſuri a ſervis aliisve ſublevabantur, maxime à curatoribus equorum, qui a ſternendis equis *Stratores* dicti, apud Valentinianum in *l.* 1. *C. Th.* & *l. un. C. de caſtrenſian.* Spartianum, Ammianum & in Inſcriptionibus Gruteri pag. 101. n. 7. & 389. n. 2. niſi cum Jac. Gothofredo tom. 11. C. Th. pag. 228. a via ſternenda eos dictos velis, quod Imperatoribus & Magiſtratibus viam ſternerent, domi militiæque foras procedentibus. Sed quidquid ſit de etymo, conſtat ſtratores eoſdem fuiſſe, qui ab Italis *ſtaffieri* appellantur, quod ſtaffas tenent, quas Græci recentiores σκάλας & κλίμακας vocarunt. vid. Frene in Gloſſ. voc. *ſaltatoria*, *ſtapes*, *ſtrepa*, & ad Cinnamum pag. 471. ſeqq.

Satis ergo abundeque Gracchus, quamvis ſeditioſus tribunus plebis, & venuſtati viarum publicarum, & commodis viatorum, equitum peditumque proſpexit. Imitatus eum deinde eſt Scribonius Curio A. V. DCCIII. ſub bellum Cæſaris civile, itidem Tribunus plebis, ut ſibi per hanc occa-

occaſionem populi conciliaret favorem; qui viis munitis apprime capiebatur. Cœlius ad Ciceronem lib. VIII. Fam. ep. 6. *Curio tranſfugit ad populum, & pro Cæſare loqui cœpit, legemque Viariam, non diſſimilem agrariæ Rulli, & Alimentariam, quæ jubet Ædiles metiri, jactavit.* Pro *Viariam* Pantagathus *Vivariam*, Lipſius lib. 2. Elect. 8. *vineariam*, alii *vinariam* legunt; ſed conjecturæ nulli locus eſt, quia Appianus Curionis legem aperte ad ſternendas & muniendas vias retulit lib. II. pag. 443. *Curio* βαρυτάτας ὁδῶν πολλῶν ἐπισκευάς τε καὶ κατασκευάς *rogationes de muniendis ſternendisque viis intulit, ſibi hanc præfecturam petens in quinquennium, certus nihil harum rerum ſe impetraturum.* Si Boſium ſequimur, eadem lex numerum vehiculorum, jumentorum & ſervorum definivit, quibus cives Romani ad iter faciendum uterentur. Sic enim explicat Ciceronem ad Attic. lib. VI. ep. I. *Vedius venit mihi obviam cum duobus eſſedis & rheda equis juncta, & lectica, & familia magna; pro qua, ſi Curio legem pertulerit, H. S. centena pendat neceſſe eſt.* Alii vero legem Alimentariam, alii ſumtuariam intelligunt; multas enim rogationes iniquas, contra ſenatum & viros principes, Curio tulit, ſed non pertulit.

Eru-

Eruditis ſuum hac de re judicium relinquimus. Vide Contaren. de Frument. Roman. largit. c. 9.

Non ſoli autem Tribuni, ſed etiam Conſules aliquando viarum munitiones extra ordinem ultro ſuſcepiſſe leguntur: Strabo enim lib. v. pag. 217. ſcribit: Συναπάτευσαν ἀλλήλοις Μάρκος Λέπιδος, καὶ Γάϊος Φλαμινιος καθελόντες δὲ Λίγυας, ὁ μὲν τὴν Φλαμινίαν ἔςρωσεν ἐκ Ρώμης διὰ Τυῤῥηνῶν καὶ τῆς Ομβρικῆς, μέχρι τῶν περὶ Αριμίνον τόπων· ὁ δὲ τὴν ἑξῆς μέχρι Βονωνίας, κἀκεῖθεν εἰς Ακυληΐαν. *Collegæ in conſulatu fuerunt M. Lepidus & C. Flaminius: qui devictis Liguribus, hic Flaminiam viam ſtravit a Roma per Etruriam & Umbriam, uſque ad Ariminum: ille deinceps ad Bononiam uſque & inde uſque ad Aquilejam.* Cl. Cellarius lib. II. Geograph. c. 9. in fin. veretur, ne Geographus Cenſores prope cognomines cum his Conſulibus confuderit; Livius enim epit. 20. C. Flaminium Cenſorem viam Flaminiam munivíſſe ait; is autem cenſuram geſſit cum L. Æmilio Pappo. A. V. DXXXIII. Idem vero Livius lib. XXXIX. c. 2. refert, priores etiam Conſules A. DLXVI. harum viarum curam habuiſſe, eo tamen diſcrimine, quod de C. Flaminio ſcribit: *viam a Bononia perduxit Arretium;* de M. Æmilio autem: *viam à Placentia, ut Flaminiæ committeret, Arimi-*

befactaretur. In humidis locis vel inter colles dejectis aggeres ſtruebantur, altitudine quinque, vel decem, immo & viginti pedum, ut dorſum viæ æquo itinere procederet. Huic denique pro loci genio, nunc glarea injecta, nunc lapides duriores ad hoc dolati impoſiti, artificio tam concinno, vix ut tenuiſſimam cultri aciem inter juncturas figere poſſis. De collibus excisis & cavitatibus ſumtu incredibili complanatis, evidenter ſcribit Strabo l. v. pag. 235. Foſſam optime depinxit Statius, in via Domitiana lib. IV. Sylv. 3. vſ. 40.

Hic primus labor incohare ſulco,
Et reſcindere limites, & alto
Egeſtu penitus cavare terras,
Mox hauſtas aliter replere foſſas,
Et ſummo gremium parare dorſo,
Ne nutent ſola, ne maligna ſedes
Et preſſis dubium cubile ſaxis.
Tunc umbonibus hinc & hinc coactis,
Et crebris iter alligare gomphis. &c.

Præcipua itaque viarum firmitas non modo ex ſilicum apte junctorum magnitudine & duritie, ſed etiam ex ſtrue ſuppoſita proficiſcitur; cujus rationem in viis publicis, quæ Remis conveniunt, Cl. Bergierius lib. II. ſect. 18, in parte autem viæ Appiæ Cl. Montfauconius tom. 4. Antiq. part. 2. lib. I. c. I. curioſis oculis in-

inveſtigarunt. In ima enim viæ parte hic impolitos lapides, cæmento firmiſſime coagmentatos; tunc aliud ſtratum ſuperpoſitum, glarea, minuto lapide & cæmento conſtans; & huic demum ſaxa, unius vel duorum pedum, impoſita ſuperius conſtituere pavimentum reperit. Hoc vero innumeris licet viatoribus, jumentis, rhedis & vehiculis, per annos circiter bis mille, tritum, non obſtantibus etiam cœli humidioris incommodis, prope Fundos, in Campania, oſtentat partes ſui integerrimas, & glaciei inſtar adeo perpolitas, ut ingruente pluvia equi fallente veſtigio labantur. Nonnullis in locis præterea conſpici, ait, limbos, ab utroque latere, peditibus deſtinatos, latitudine non prorſus bipedali, & altitudine pedis unius ac dimidii. Andreas vero Palladius lib. III. de Archit. c. 3. vias quasdam obſervavit, in triplex ſpatium partitas; cujus medium, leni acclivitate ſurgens, & ſilice munitum viatori pedibus eunti fuerit deſtinatum, bina reliqua autem, ſabulo aut glarea operta, equis & jumentis. Agger ille ab *aggeſtu* terræ dictus, Græcis χῶμα & χῶσις, ἀπὸ τȣ̃ χοννύειν, *agger viæ* à Virgil. lib. v. AEneid. vſ. 273. & *itinerarius agger* ab Ammiano vocatur lib. XIX. cap. 6. Iſidorus lib. XV. Orig. c. ult. ejus formam

& materiam recte deſcribit: *Agger eſt media ſtratæ eminentia, coaggeratis lapidibus, vel glarea, aut ſilicibus ſtrata: ab aggere, id eſt, coacervatione dicta, quam Hiſtorici viam militarem dicunt.* Plane Imperatores *aggerem publicum*, pro via publica, in *l. 5. C. Th. de itin. mun.* Sidonius *antiquum aggerem*, pro via diu trita; & Rutilius *Aurelium aggerem* pro Aurelia via dixere. Vid. Bergier. lib. II. ſect. 17. & notas Varior. ad Rutil. l. I. vſ. 39.

Pontium præterea rationem habuit Gracchus, qui nobilem viarum partem conſtituunt, immo viæ ſunt ſuper aquas; unde *Pontes, per quos itinera celebrantur, juvari oportere*, dicitur in *l. 36. C. Th. de oper. publ.* Et ſane pontes tot commoda viatoribus adferunt, ut Romani ſummæ religionis duxerint eos in fluminibus facere, & Varro exiſtimarit, Pontifices à ponte ſublicio facto & reſtituto nomen tuliſſe. Omnes quoque viarum curatores antiqui & recentiores id ſtudioſe egerunt, ut pontes, fluminibus rapidis & profundis impoſiti, firma materia conſolidarentur. Inter præcipua antiquitatis monumenta computatur pons Narnienſis, miræ magnitudinis, & arcubus celſiſſimis, ab Auguſto, ut ferunt, exſtructus, cujus Martialis meminit lib. VII. Ep. 92.

quem-

quemque Aug. Martinellus libello ſingulari Italica lingua deſcripſit. Inter Caligulæ opera plurima, Plinius *tot pontes tantis impendiis factos* miratur lib. XXXVI. c. 15. Trajanum Xiphilinus ſcribit πλεῖστα ἀναγκαιότατα καὶ ἐν ὁδοῖς καὶ ἐν λιμέσι κατασκευάσαι, *plurima neceſſaria tam in viis, quam portubus inſtauraſſe*: hæc inter flumina pontibus junxit plurimis, quos Alexander Severus deinde, pæne in omnibus locis, inſtauravit, auctore Lampridio cap. 6. Magnificentiam pontis Trajani ſupra Danubium, Myſiæ ac Daciæ ripas copulantis, Dio Caſſius lib. 68. depinxit; ſed Lud. Ferd. Marſilius, in epiſtola ad Montfauconium, tom. 11. Theſ. Sallengr. pag. 990. Dionem aut rei veritatem non edoctum, aut adulationi inſerviiſſe judicat, cum inter minima populi opera pons ille referendus ſit. Hic ergo cum Bergierio conferendus eſt, qui lib. IV. ſect. 38. fidem Dioni habuit, alioſque pontes admirandos, in Urbe, per Italiam, & per Provincias factos, facunde explicavit. Vere Ariſtides tom. 1. Orat. 14. ait: *Romanos terram omnem dimenſos pontibus variis fluvios junxiſſe.*

Non minorem viantibus utilitatem & voluptatem præſtitit Gracchus, quod primus Romanorum ſingula milliaria dimen-

ſa lapideis columnis diligenter diſtinxit, quæ vulgo *lapides*, aliquando *lapides milliares*, Græcis σημεῖα appellantur, quia ſinguli mille paſſus, erecto lapide, velut ſigno, erant diſtincti. Inde primus, ſecundus, tertius lapis pro milliario, apud Veteres crebro uſurpatur. *Octavum marmor* vocat Martialis lib. IX. ep. 65. Alii rurſus, ſuppreſſo lapidis nomine, ſolum numerale ponunt: *ad duodecimum à Cremona*, lib. II. Hiſt. c. 24. ait Tacitus. Uſus earum eſt antiquiſſimus: apud Indos enim ſupra ex Strabonis lib. XV. vidimus, fuiſſe certos magiſtratus viocuros, qui per dena ſtadia lapideas columnas poſuerint, diverticula diſtantiasque indicantes. Mature etiam ex Italia lapides illi in provincias perlati; quia Polybius vias a Columnis & Carthagine nova uſque ad Rhodanum, ſua ætate, a Romanis per octona ſtadia deſcripta, & milliaria lapidibus diſtincta refert lib. III. c. 39. Idem Strabo lib. VII. pag. 223. de Egnatia Macedoniæ via ſcribit: βεβηματισμένη κατὰ μίλιον, καὶ κατεστηλωμένη μέχει κυψέλȣ, καὶ Ἕβρȣ ποταμȣ̃, *per paſſus diſtincta ſecundum milliaria, ad ſingula erecto lapide uſque ad Cypſelum & Hebrum fluvium.* Forma harum columnarum fuit rotunda, vel quadrata, vix ultra pedes octo: impoſitæ ſtylobatis minoribus, inſcri-

ſcriptum habebant numerum milliarium, v. c. M. P. VIII. quibus aut Roma aut alia urbe diſtabant: quædam etiam in baſi præferebant nomen Imperatoris aut illius, qui eas vel fecit vel refecit, uti ex auguſtis inſcriptionum operibus Gruteri pag. 154. Reineſii pag. 294. Sponii pag. 186. Fabretti pag. 413. & Gudii pag. 71. tum etiam ex Sirmond. notis ad Sidon. carm. 24. Bergierio lib. IV. ſect. 39. Hiſtoria Acad. reg. t. 2. pag. 379. & 383. & Montfauconio Supplem. Antiq. tom. IV. lib. 5. videre licet. Finis earum inſignis erat, ut ex cujusque numero iter facientibus conſtaret, quot millibus paſſuum, quoquo irent, ab Urbe, vel ab initio viæ abeſſent, ſimul etiam viæ menſuris velut animarentur, columnis inſtar continuæ porticus hypæthræ ornarentur, & denique tædium ex itineris longitudine levaretur. Belle Quintilinus lib. IV. Inſt. orat. c. 5. *Partitio reficit audientem, non aliter, quam facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata inſcriptis lapidibus ſpatia: nam & exhauſti laboris noſſe menſuram voluptati eſt, & hortatur ad reliqua fortius exſequenda ſcire, quantum ſuperſit: nihil enim longum videri neceſſe eſt, in quo quid ultimum ſit, certum eſt.* Rutilius itinerar. lib. II. 7.

In-

Intervalla viæ feſſis præſtare videtur,
Qui notat inſcriptus millia crebra lapis.

Quod autem Plutarchus milliarium paulo minus octo ſtadia Græcorum capere ait, ex aliis quidem haud certum eſſe videtur, ſed firmant Polybius lib. 3. c. 39. Strabo lib. VII. pag. 223. & Iſidorus lib. xv. Orig. c. 16. *Stadium octava pars milliarii eſt, conſtans paſſibus* CXXV. De variis aliarum gentium menſuris viarum pulcher Hieronymi locus eſt in Joël III. 18. *Unaquæque gens certa viarum ſpatia ſuis appellat nominibus: quum Latini mille paſſus vocant, & Galli leugas, & Perſæ paraſangas, & raſtas univerſa Germania.* Romanos certum eſt per milliaria menſos, quibus a mille paſſibus eſt nomen. Paſſus autem pedes quinos continet Romanos; qui noſtro vulgari paullo erant majores. De mille paſſibus illis obvia ſunt veterum loca, Cicero autem lib. VIII. ad Attic. epiſt. 9. & Valerius Maximus lib. I. c. 8. n. 4. uno verbo *milliarium* dixerunt. Leugas, leucas, leuvas Gallorum Perionus à λευκὸς, albus, derivat, quod locorum intervalla lapidibus candidis deſignarentur. Bochardus a Phœnicibus eas repetit; ſed quia ex actis martyrii S. Genovevæ diſcimus, *leugas veteri Gallorum lingua nuncupari*, veriſimilior eſt Spelman-

manni & Barthii ſententia, cum Britannorum *lead*, vel *leach*, lapis, vel cum Germanorum *leuf*, *leope*, ut eſt in Ælfrici gloſſario, Celticum hoc vocabulum convenire, quo mille & quingentorum paſſuum quantitas finiebatur, teſte Jornande de reb. Get. c. 36. vid. Voſſ. de vit. ſerm. lib. II. c. XI. & III. c. 19. Perſarum Paraſangæ variarunt pro diverſis locis, alii eas ſexaginta ſtadiorum eſſe dixerunt, alii triginta, alii quadraginta, apud Strabonem lib. XI. pag. 317. ſed in medio numero acquieſcunt Eruditorum plurimi, Herodoti auctoritate. De Raſta Germanorum plura ſcriptorum loca dedit du Frene in Gloſſario; nos contenti erimus ejus ſpatium ex vetere Agrimenſore indicaſſe apud Goeſ. in rei agrar. Auct. pag. 322. *Sunt menſuræ, quæ ad viatores, ſeu ad curſores pertinent. Minima pars Stadium eſt, habens paſſus* CXXV. *Octo ſtadia Milliarium reddunt, mille paſſus habentem. Milliarius & dimidius apud Gallos Leuvam facit, habentem paſſus mille quingentos. Duæ leuvæ, ſive milliarii tres, apud Germanos unam Raſtam efficiunt.* Nos per leucas fere computamus, in quas tria hodierna milliaria Italica, ſed quatuor vetera Romana veniunt; uti ex itinerario Antonini, Nithar-

do,

do, lapidum intervallis, aliiſque argumentis Cioſani ad Ovid. lib. IV. Triſt. Eleg. 10. & Lipſ. cent. ad Italos epiſt. 59. oſtenderunt. Adde de omni hoc argumento Briſſon. lib. IV. ſel. ant c. 8. Bergier. de publ. & milit. viis lib. III. ſect. 11. 12. lib. IV. ſect. 42. & Cellar. Geogr. ant. lib. I. c. 11.

Reſtat de columellis ſaxeis dicamus, quas Gracchus fieri curavit, ut earum præſidio alii equos inſcenderent, alii de vehiculo deſcenderent, feſſi denique onus deponerent, atque ita omnium, maxime vero ſenum, commoditati proſpiceretur. His enim difficillimum erat corpora ſaltu in equos ſubjicere, ut juvenes ſolebant apud Virgilium, nondum inventis ſtapedibus: in quorum originem Ill. Cuperus ad Lactantii cap. 5. diligentiſſime inquiſivit. Vix autem ante ſæculum Chriſtianum quartum earum mentio occurrit, neque Xenophon de arte equeſtri, nec Julius Pollux inter equeſtria ornamenta ſcandularum meminere, uti pridem docuerunt Joannes Tortellius, Galeottus Martius, Voſſius, Salmaſius, Sant-Amantius, Magius aliique. Primus Hieronymus in Epiſtolis ſcribit: *cum quaſdam accepit litteras, jumentum conſcenſurum, jam pedem habuiſſe in biſtapia*; atque ejuſdem

ævi

ævi eſſe videtur inſcriptio Romana paſſim laudata, quam tamen Gruterus ſpuriis inſeruit: *dum virgunculæ Durmioniæ placere cuperem, caſu deſiliens equo, pes hæſit ſtapiæ, tractus interii. in rem tuam mature propera. vale.* Honoratiores equos adſcenſuri a ſervis aliisve ſublevabantur, maxime à curatoribus equorum, qui a ſternendis equis *Stratores* dicti, apud Valentinianum in *l.* 1. *C. Th.* & *l. un. C. de caſtrenſian.* Spartianum, Ammianum & in Inſcriptionibus Gruteri pag. 101. n. 7. & 389. n. 2. niſi cum Jac. Gothofredo tom. 11. C. Th. pag. 228. a via ſternenda eos dictos velis, quod Imperatoribus & Magiſtratibus viam ſternerent, domi militiæque foras procedentibus. Sed quidquid ſit de etymo, conſtat ſtratores eoſdem fuiſſe, qui ab Italis *ſtaffieri* appellantur, quod ſtaffas tenent, quas Græci recentiores σκάλας & κλίμακας vocarunt. vid. Frene in Gloſſ. voc. *ſaltatoria*, *ſtapes*, *ſtrepa*, & ad Cinnamum pag. 471. ſeqq.

Satis ergo abundeque Gracchus, quamvis ſeditioſus tribunus plebis, & venuſtati viarum publicarum, & commodis viatorum, equitum peditumque proſpexit. Imitatus eum deinde eſt Scribonius Curio A. V. DCCIII. ſub bellum Cæſaris civile, itidem Tribunus plebis, ut ſibi per hanc occa-

Eruditis ſuum hac de re judicium relinquimus. Vide Contaren. de Frument. Roman. largit. c. 9.

Non ſoli autem Tribuni, ſed etiam Conſules aliquando viarum munitiones extra ordinem ultro ſuſcepiſſe leguntur: Strabo enim lib. v. pag. 217. ſcribit: Συναπῆευσαν ἀλλήλοις Μάρκος Λέπιδος, καὶ Γάϊος Φλαμίνιος καθελόντες δὲ Λίγυας, ὁ μὲν τὴν Φλαμινίαν ἔστρωσεν ἐκ Ῥώμης διὰ Τυῤῥηνῶν καὶ τῆς Ὀμβρικῆς, μέχρι τῶν περὶ Ἀριμίνον τόπων· ὁ δὲ τὴν ἑξῆς μέχρι Βονωνίας, κἀκεῖθεν εἰς Ἀκυληΐαν. *Collegæ in conſulatu fuerunt M. Lepidus & C. Flaminius: qui devictis Liguribus, hic Flaminiam viam ſtravit a Roma per Etruriam & Umbriam, uſque ad Ariminum: ille deinceps ad Bononiam uſque & inde uſque ad Aquilejam.* Cl. Cellarius lib. II. Geograph. c. 9. in fin. veretur, ne Geographus Cenſores prope cognomines cum his Conſulibus confuderit; Livius enim epit. 20. C. Flaminium Cenſorem viam Flaminiam muniviſſe ait; is autem cenſuram geſſit cum L. Æmilio Pappo. A. V. DXXXIII. Idem vero Livius lib. XXXIX. c. 2. refert, priores etiam Conſules A. DLXVI. harum viarum curam habuiſſe, eo tamen diſcrimine, quod de C. Flaminio ſcribit: *viam a Bononia perduxit Arretium;* de M. Æmilio autem: *viam à Placentia, ut Flaminiæ committeret, Arimi-*

rimimum perduxit. Fateor, in libera republica, vias urbanas & ruſticas maxime Cenſorum juſſu eſſe munitas: id enim ſupra vidimus ex Livio pag. 334. cui Strabo d. l. v. & Aurelius Victor. c. 72. addi poſſunt, tradentes, viam Æmiliam ab Æmilio Scauro cenſore ſtratam eſſe. Caſſiam quoque viam ab eodem illo Caſſio Longino nonnulli dictam putant, qui A. DC. cum Valerio Meſſala Cenſor laudatur in Faſtis & apud Plinium lib. XVII. c. 25. At ſi cogitemus, quanti animi quantique conſilii fuerint reliqua Cenſorum munia, quodque de omnibus majoris momenti rebus, quæ ad ſummam Reip. pertinerent, Conſules cognoverint, quidni hos pariter, ac Tribunos plebis, creſcente imperii & Urbis majeſtate, ſtuduiſſe credamus, ut populi gratiam inirent, ob vias inchoatas, extenſas, vel reparatas, ubi perierant? nam tantæ rei cum ſoli Cenſores non ſufficerent, aliis quoque minoribus magiſtratibus mature fuit opus, qui in partem hujus curationis venirent, eosque ordinario munere ſublevarent, de quibus capite ſequente agemus.

CAPUT V.

De Quatuorviris, Duumviris et Curatoribus viarum.

Quatuorviri viarum intra Urbem curandarum quando creati. Dicti Viocuri apud Varronem & Tironem. Diverſi ab Ædilibus; a Scaligero & Turnebo diſceſſum. IV. viri iteris, pro itineris, olim pars fuerunt XXVI. *virorum, ſed ab Auguſti ætate inter* XX. *viros, magiſtratus minores, ex Equitibus lectos, tam extra Urbem, quam in Urbe vias curarunt, contra Lipſium. Pro Duumviris, curatoribus viarum extra Urbem, inſtituti plures Curatores viarum,* ἁπλῶς *ita dicti. Horum dignitas, apparitores & poteſtas coërcendi. Paulus & Venulejus illuſtrantur. Differunt a curatoribus operum publicorum. Nomina eorum lapidibus viariis inſcripta, & viæ ab illis appellatæ. Corbulonis querela de iſtorum incuria, & fraude mancipum, qui certa ſpatia viarum munienda conducebant.*

QUo tempore primum Quatuorviris intra Urbem, Duumviris extra Urbem viarum cura mandata fuerit, non ſatis liquet. Pomponius autem nos docet, vigente adhuc, ſed tot

M. BAEBIO. M. F.
ROM. SECUNDO.
AED. . . ET I. D. II. VIR
VIOCURO EX SC. II. D. D.

Eanden *Viocuri* vocem compoſitam Cujacius lib. XII. Obſ. c. 40. ex antiquiſſimo Notarum libro, qui vulgo Tironi ac Senecæ tribuitur, & in calce Inſcriptionum Gruteri extat, pag. 7. produxit. Turnebus quoque lib. XXI. adv. c. 17. in vetere lexico eam reponendam eſſe cenſuit, ubi ſcriptum invenit *Viaculus*, ὁδῶν ἐπιμελητής: verum ſicut Mercurius DEUS VIACUS vocatur, in lapide Gruteri pag. 55. n. 5. ita viaculus poſſet tolerari, cum rem intelligamus. Scaliger quoque ad Feſtum in *viator* retinet *viaculus*, & vicimagiſtrum interpretatur, qui & viator dictus Gloſſæ: *Viator* ὁδοιπόρος, ἀμφοδάρχης. Frequentius hi viocuri in inſcriptionibus a numero vocantur IIII. VIRI VIAR. CURAND. Aliquando diſſimulato τῷ vir IIII. VIAR. CURAND. apud Gruter. pag. 423. 430. nonnunquam IIII. VIRI VIAR. omiſſo CURANDAR. pag. 26 n. 10 immo & IIII. VIRI ITER iteris, ut nonnulli volunt, pag. 1066. n. 7. 1078. n. 14. 1083. n. 11. nam veteres iter iteris, itiner itineris dixerunt, teſte Pacuvio, Nævio, Accio & Hygino, cujus eſt *iteris muniendi cauſa.*

Eodem ἀρχαϊσμῷ uſum eſſe Symmachum lib. VI. epiſt. 28. Juretus obſervavit, & Flodoard. lib. XIV. carm. 18.

Aut mercede carens fert iteris ſolator abire.

Frequens horum Quatuorvirorum in lapidibus literatis, rarior apud ſcriptores rerum Romanarum fit mentio; ſed illuſtris eſt Dionis Caſſii locus lib. LIV. ex quo diſcimus, veterem fuiſſe conſuetudinem, ut populus quotannis XXVI. viros crearet Magiſtratus, quorum munia deinde ſorte diſtribuebantur. Ex his fiebant Triumviri monetales, Triumviri capitales, Quatuorviri curatores viarum in Urbe, Decemviri ſtlitibus judicandis, Duumviri curatores viarum extra Urbem, & Quatuorviri, qui in Campaniæ præfecturas mittebantur. Auguſti vero tempore, ſublatis jam poſterioribus hiſce Duumviris & Quatuorviris XX. tantum viri ex Equitibus legebantur, cum ante XXVI. viri ex liberis Senatorum conſtitui ſolerent. Veteris illius XXVI. viratus meminit quoque Feſtus in *præfecturæ*, ex emendatione Cujacii lib. XI. Obſ. c. 24. De XX. viratu vero ex Tacito lib. III. Annal. c. 29. Dione lib. 58. & Spartiano in vita Juliani c. 1. liquet. Electio autem Equitum inter viginti viros erat velut janua, quæ aditum ad honores pateſa-

teſaceret, eaque cum auctore Tacito d. l. fieri ſoleret quinquennio maturius, quam per leges annales Quæſturam petere liceret, hinc apparet noſtros etiam Quatuorviros, τῶν ἐν τῷ ἄςει ὁδῶν ἐπιμελȣμένους, *intra Urbem viarum curatores*, creatos eſſe è juvenibus, qui viginti annos vel ultra haberent. Ne quis ambigat, en inſcriptionem ex Grutero pag. 423. n. 4. in qua alter Quatuorvirorum annos XXI. alter XX. habuiſſe dicitur, cum obiret:

D. M. S.
Q. JUL. CLARO. C. V. IIII. VIR
VIARUM CURANDARUM
ANN. XXI.
Q. JUL. NEPOTIANO V. C.
IIII. VIRO VIARUM CURAN
DARUM ANN. XX.
CALP. SABINA. FILIS

Duumviros autem, qui extra Urbem, forte in ſuburbiis & regionibus vicinis, vias curarant, Auguſti tempore jam abrogatos fuiſſe, Dio Caſſius d. l. refert, neque ulla eorum veſtigia reperio, niſi quis ad illos trahere velit antiquam inſcriptionem Romanam, in via Quinctia, apud Gruter. pag. 26. n. 10.

CERERI SACRUM
L. . . AP. . . PAL. ET
P. STATIUS. P. F. PAL. AURELIUS.

II. VIR. CURATORES
Q. LARONIUS. Q. F. HOR. QUADRATUS
L. MEMMIUS. SEX. F. PAL. PETRONIANUS
L. MEMMIUS L. F. PALAT. GALLUS
MENSOR. ITER. HONOR. IN. CUR. FUNCT.
IIII. VIR. VIAR.

Cauſa, cur deſierint, potuit eſſe varia; ſive quod ob ſegnitiem munere non fungerentur; ſive quod non ſufficerent tam arduæ provinciæ; ſive quod extra ordinem reperti eſſent, qui ſingulis deſtinarentur viis, uti Thermus curator viæ Flaminiæ laudatur apud Ciceron. lib. I. ad Attic. ep. I. Cæſar viæ Appiæ curator conſtitutus, Plutarch. ej. vit. c. 8. & ipſe Auguſtus quo facilius Urbs undique adiretur, deſumta ſibi Flaminia via, Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia ſternendas diſtribuit, auctore Suetonio lib. II. c. 30. Idem munus hoc incertum mox ſtabile fecit; nam *quo plures partem adminiſtrandæ reip. caperent, nova officia excogitavit: curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberis* &c. ejusdem Suetonii verba ſunt c. 37. Miſcuit is autem vera Auguſti inſtituta cum illis, quæ ex inſtauratione tantum ei tribuenda ſunt, ut ſæpe ſolent Auctores: cura namque viarum dudum fuerat cognita, ſed *novum* offi-

officium dici poterat, quia quod antea vagum, nunc perpetuum munus erat factum, & quaſi magiſtratus illud gerentes ἁπλῶς *viarum curatores* dicebantur; uti ſtatim A. U. C. DCCXXXII. L. FABRICIUS. C. F. CUR. VIAR. FACIUNDUM. CURAVIT. IDEMQUE PROBAVIT, ex ponte Fabricio Romano legitur apud Gruter. pag. 160. n. 3.

De hiſce Curatoribus viarum Lipſius quædam erudite diſſeruit in lib. III. Annal. Taciti Exc. E. ſed quod Quatuorviros vias intra Urbem tantum, Curatores vero extra curaſſe ait, in eo me non habet adſtipulantem: quamvis enim ſub libera republica IV. viri intra muros hoc munus geſſerint, tamen ſublatis Duumviris, viarum extra Urbem curatoribus, illorum partes IV. viris pro parte accreviſſe, & deinceps, creatis ab Auguſto Curatoribus, id diſcrimen haud perpetuo obſervatum fuiſſe, ex marmoribus didiciſſe videor, in quibus viæ ruſticæ a IV. viris ſtratæ aut correctæ leguntur. Sic apud Gudium corp. inſcr. p. 52. n. 2. P. Avidius Sabinus IIII. *vir viarum curand. Flaminiæ, & Anniæ & Valeriæ.* Pag. 99. n. 1. L. Cœlius Rufus V. C. IIII. *vir viarum ſternendarum viæ Semtimiæ, Ardeatinæ & Laurentinæ.* Pag. 121. T.

Cuſpius Felix IIII. *vir viæ Flam. cur.* Pag. 125. A. Gabinius Priſcus IIII. *vir viar. curand. Latinæ, Lavicanæ & novæ Trajanæ.* Denique pag. 138. n. 6. M. Senſius Genialis IIII. *vir viar. viæ Caſſiæ & Flaminiæ* laudatur. Idem evincunt duæ inſcriptiones Gruterianæ, in Urbe repertæ, pag. 199. n. 1. & 248 n. 8. quarum prior Trajanum καθ' ἐξοχὴν Curatorem viarum appellat. Verba ejus hæc ſunt:

EX. AUCTORITATE
IMP. CAES. DIVI. NERVAE. FIL.
NERVAE. TRAJANI AUG. GERMANICI. DACICI. PARTHICI. PONTIFICIS MAXIMI. TRIBUNIC. POTEST. V.
COS. V. P. P. CURAT. VIARUM
L. LICINIUS. C. F. CURA. IIII. VIR
M. JULIUS. M. F. FRONTO IIII. VIR
T. CAELIUS. Q. F. COCCEJANUS. IIII. VIR
SEX. FLAVIUS. L. F. FALTO IIII. VIR
CIPP. TERM.
VIAM TRAJAN. . . BRUTT.
SALENTIN. . . PUBL.
&c. &c.

Quemadmodum vero cura viarum ſingularium, jam ante Auguſtum, ſumma dignitas fuit, quæ aut Viris Conſularibus commiſſa, aut viam ad conſulatum ſternebat,

bat, uti C. Marcii Figuli & Julii Cæſaris exemplis conſtat, deinde etiam ipſi Imperatores, uti Auguſtus & Trajanus, munus Curatoris viarum non ſunt dedignati, ita eidem non è plebe viri, ſed genere illuſtres, & gradu honoris commendati præficiebantur. Monuit hoc Bergierius lib. I. ſect. 5. ex Statio lib. IV. ſylv. 4. qui in cenſum honorum Victorii Marcelli, viri Prætorii, refert, quod a Domitiano factus erat curator viæ Latinæ:

Quique tuos aliis ſubtexit munere faſces
Et ſpatia antiquæ mandat renovare Latinæ

Idem lib. IV. ſylv. 9. Plotium Grippum extollit, quod præfectus erat annonæ & ſtationibus omnium viarum:

Te Germanicus arbitrum ſequenti
Annonæ dedit: omniumque late
Præfecit ſtationibus viarum

Similiter Plinius, cum Cornuto Tertullo, eodem anno. A. DCCCLII. quo Conſulatu abierat, viæ Æmiliæ cura mandata eſſet, vehementer lætatur, quod provincia laudis & honoris fœcunda ei contigiſſet, lib. V. Epiſt. 15. *Receſſeram in municipium, cum mihi nunciatum eſt, Cornutum Tertullum accepiſſe Æmiliæ viæ curam. Exprimere non poſſum, quanto ſim gaudio affectus, & ipſius, & meo nomi-*

nie &c. Adhærebat huic dignitati imago Magiſtratus, apparitores & accenſi. Frontinus lib. II. de Aquæd. *Cum viarum frumentique curatores, qui quarta parte anni publico fungebantur miniſterio, ut curatores aquarum, judiciis vacent privatis publiciſque, apparitores & miniſteria, quamvis perſeveret adhuc ærarium erogare, tamen etiam Curatorum videntur deſiiſſe inertia & ſegnitia, non agentium officium.* Antoninus ipſis etiam coërcitionis poteſtatem dedit, in eos, qui in viis deliquiſſent, teſte Capitolino in ejus vita cap. XI. *Dedit Curatoribus regionum ac viarum poteſtatem, ut vel punirent, vel ad Præfectum Urbi puniendos remitterent eos, qui ultra vectigalia quicquam ab aliquo exegiſſent.* Præterea Paulus lib. V. *ſent. tit.* 6. §. 2. ſcribit, quod ſolicitudo, ne quis via publica aliquem prohibeat, ad hoſce viarum curatores pertinuit; & Venulejus denique in *l.* 2. *D. de cloac.* novam, ait, cloacam facere ab eo demum concedi debere, cui viarum publicarum cura ſit. Maxime ſi quis fuerit ſimul *Curator viar. & cloacarum*, qualis M. Poplicius Modeſtus, tempore Antonini Pii, occurrit, apud Gudium Inſcript. pag. 17. n. 6. Alias vero cloacæ curationi riparum & alvei Tiberis annectuntur apud Gruter. p. 381. n. 3.

Di-

Diſtincti a noſtris erant *Curatores operum publicorum*, ſed hactenus pares, quod optimi quique utrique muneri præficiebantur; uti Aulus Vitellius, qui poſtea Imperator, Africæ proconſulatu defunctus curam operum publicorum adminiſtravit Sueton. ejus vita c. 5. & Flavius Sabinus, Veſpaſiani frater ejusque filius operum publicorum curator audit in lapide Gruteri 2. pag. 128. Confer Phil. à Turre monum. vet. Antii pag. 106. Videntur etiam alii fuiſſe *Correctores* viarum corruptarum, extra ordinem dati, qualis *T. Vettius Probianus V. C. Corrector iter. viae Flaminiæ & Caſſiae Ciminiae vet. et Aureliae triumphal.* apud Gudium laudatur pag. 31. n. 10. Lapis Reineſii cl. 1. n. 249. meminit C. Julii Scyleros, V. C. *Procuratoris Auguſti viar. cur.* quem is explicat collegam Curatoribus datum, & proxime curam geſturum; at quid vetat, quo minus ipſum ex Claudii mandato geſſiſſe dicamus? Idem rurſus curæ fuit M. Hypſæo, qui apud Gruter. pag. 374. n. 5. PROC. AUG. VIAE OST. ET CAMP. appellatur, non quod prædia & villas Auguſti, in viis iſtis ſitas, ſimul adminiſtravit. Aliter P. Plautius Pulcher dicitur Curator viarum ſternendarum, *a vicinis lectus*, ex auctoritate Tiberii Claudii Auguſti,

guſti, apud eundem pag. 452. n. 5.

Noſtri vero Curatores plerumque in monumentis priſcis generaliter CUR. VIAR. vel ἐπιμεληταὶ τῶν ὁδῶν dicuntur, ut C. Gigantius Jocondus, V. C. CURAT. VIAR. apud Gudium pag. 126. n. 3. aliquando viæ ſingularis CUR. VIAE. LATINAE Gruter. p. 354. n. 5. & Cajus Julius Severus ἐπιμελητὴς ὁδοῦ Αππίας, apud Montfaucon. Palæogr. lib. II. pag. 159. quandoque duarum vel plurium; ut C. Ofenius V. C. *curator. viæ Latinæ & triumphal.* Gud. pag. 133. M. Iſaacius Fufficianus *bis cur. viar. Aureliae. Triumphal. Claudiae & Caſſiae Ciminiae* Gud. pag. 127. denique C. Oppius *Cur. viar. Clodiae, Anniae, Caſſiae, Ciminae & trium Trajanarum* laudatur in 4. Gruter. pag. 466. Horum quoque & ceterorum nomina in viis aliquando legebantur, ſi vel novam feciſſent, aut veterem ſua impenſa refeciſſent; nam alias ambitioſum id in privatis habebatur, & *indomitam*, ut Horatius vocat, *ſubſcribendi licentiam* Theodoſius in *l.* 31. *C. Th. de op. publ.* reſtrinxit. Major honos erat, ſi via ab Auctore & Curatore ſuo nomen ferret, ut Pompeja, Quinctia, Domitia &c. de quibus accipi debet Siculus Flaccus de condit. agror. pag. 9. *Viarum*, ait, *non omnium*

mnium una eademque eſt conditio: nam ſunt viæ publicæ regales, quæ publice muniuntur & auctorum nomina obtinent: nam & curatores accipiunt, & per redemtores muniuntur.

Redemptores illi erant architecti, mechanici & opifices, qui vias & pontes certa æris ſumma faciundos a Curatoribus conducebant, nam antiquitus emere pro accipere ponebatur, & *redemptores operum*, qui opera facienda conduxerunt, crebro apud veteres occurrunt. Alias *mancipes* dicuntur, quod manu digitove ſublato oſtendebant, ſe opus illud conducere, auctore Feſto, quem Hotmanus lib. XI. Obſ. c. 10 illuſtrat. Hos inter referendus eſt Cn. Cornelius Muſæus MANCEPS. VIAE. APPIAE apud Gruter pag. 622. 2. Eosdem mulctavit Cn. Domitius Corbulo Senator, quod pecuniam acceptam viarum refectioni non impendiſſent. Tacitus lib. III. Annal. 31. *Corbulo plurima per Italiam itinera fraude mancipum & incuria magiſtratuum interrupta & impervia clamitando executionem ejus negotii libens ſuſcepit: quod haud perinde publice uſui habitum, quam exitioſum multis, quorum in pecuniam atque famam damnationibus & haſta ſæviebat.* Dio Caſſius eandem miſeriam plenius enarrans

rans lib. 59. Magiſtratus illos *Curatores viarum* explicat, de quorum ſegnitia, in munere non agendo, Frontini quoque querelam vidimus.

CAPUT VI.

De Augusto, tutore viarum maximo.

Viæ publicæ titulis Romanorum Principum dedicatæ, quorum impendiis vel auſpiciis munitæ erant. L. 4. C. de privil. dom. Aug. ex Sidonio illuſtrata. Bergierius & Henninius laudantur. Auguſto in viis muniendis præivit Julius Cæſar; ſed ipſe viarum per Italiam & provincias maximus curator. Arcus triumphales eam ob rem in ejus honorem poſiti, nummi publice cuſi, & lapides milliares inſcripti. Milliarium aureum in capite fori Romani ab ipſo ſtatutum, in quo omnes Italiæ viæ militares deſierunt. Num ab eodem initium dimenſionis lapidum, an vero a portis, an a continentibus ædificiis, diſſentiunt Eruditi, qui conciliantur. L. 154. D. de V. S. explicatur. Milium Conſtantinopolitanum a Romano diverſum. Curſus publici ab Auguſto inſtituti ſtationes, in mutationes & manſiones diviſæ. Quid

Quid ſit curſus vehicularis & angaria in l. 18. §. 4. D. mun. & hon. quid duploma in l. 137. §. 2. D. de V. O. Viæ publicæ, a Veſpaſiano, Trajano aliisque Impp. aut factæ aut refectæ, per indicem monſtratæ.

INter publicæ magnitudinis opera, à quibus vel inſtructis vel inſtauratis Principes Romani titulos quæſiverunt, vias publicas haud poſtremum ſibi locum vindicare, aperte liquet ex Theodoſii junioris conſtitutione, in *l. 6. C. Th. de itin. mun.* & *l. 4. C. de priv. dom. Aug.* ubi *inſtructio viæ publicæ, & pontium ſtratarumque opera, titulis magnorum Principum dedicata* dicuntur. Patuit hoc olim ex innumeris lapidibus ſeu columnis, quæ in viis Italiæ & Provinciarum millia paſſuum notabant; quarum nonnullæ ſolos milliarium numeros, pleræque vero ſimul titulos & nomina Principum inſcripta habebant, per quos, vel quorum ævo & auſpiciis viæ factæ, refectæ & in priſtinum ſtatum reſtitutæ fuiſſent. Sidonius Apollinaris, in Propemtico ad libellum, carm. 24.

Egreſſus foribus meis, libelle,
Hanc ſervare viam, precor, memento,
Quæ noſtros bene ducit ad ſodales,

Quorum nomina ſedulus notavi.
Antiquus tibi nec teratur agger,
Cujus per ſpatium ſatis vetuſtis
Nomen Cæſarum viret columnis.

Nos quoque ex columnis milliariis, Annalibus & nummaria ſuppellectile, quantum ſatis eſt, diſcimus, Imperatores, à Julio Cæſare ad Conſtantinum fere omnes, admirabili liberalitate vias muniviſſe, quoque magis ob æquitatem & pietatem celebrati, eo majorem in iis operam poſuiſſe; aliis ex vivo montium ſaxo exciſis, aliis pavimento conſolidatis, aliis glarea exaggeratis, aliis rurſus immenſa profuſione exornatis, & ponte conjunctis. Opus hoc non unius fuit, ſed plurium Principum, immo totius pæne orbis provinciarum, adeo ut Surita in præf. ad Antonini Itiner. haud ſciat, an non de humanis operibus & mundi miraculis hoc longe maximum fuerit, ab Ortu ad Occaſum regionum itinera complanata, ſtrata & infinitis milliarium intervallis dimenſa habuiſſe, ut membra provinciarum late diffuſa cum capite conjungerentur. Quominus autem plura ea de re hic dicamus, fecit Nicolaus Bergierius, in præclaro illo opere, de publicis & militaribus imperii Romani viis, ubi lib. I. ſect. 15. ad 20. Principes omnes, qui ſuis impendiis

vias

vias publicas curarunt, tanta eruditionis copia recenſuit, quæque deerant clariſſ. ejus interpres Henninius in notis tanta diligentia ſupplevit, ut in hac antiquitatis parte & aliorum & meæ diligentiæ poſuerint metam. Ne vero aſymboli videamur, de Auguſto, Principum primo & optimo, tantum ſelectiora quædam in medium proferemus.

Præiverat huic Julius Cæſar Dictator, quem ut patrem in plerisque ſibi imitandum propoſuit: is vero uti nihil eorum omittebat, quæ ad ampliandum imperium tuendumque Reip. commodum facerent, ita inter alia magnificentiæ opera, non modo ſiccare Pomptinas paludes, & viam munire a mari ſupero per Apennini dorſum, ad Tiberim uſque deſtinavit, auctore Suetonio c. 44. ſed etiam viæ Appiæ curator conſtitutus, magnam de ſuo pecuniam ei impendit, eaque ex re majorem ſibi populi favorem conciliavit, ut certatim novos honores quærerent, quibus delatis ei grates debitæ agerentur, ut ſcribit Plutarch. ej. vita c. 8. De eodem exſtat lapis apud Gruter. pag. 149. n. 1.

C. JULIUS CAESAR. VIAM. INVIAM. SOLERT. S. ET. IMPENDIO. ROTAB. REDD.

Multis autem poſt ſe paraſangis eum reliquit Auguſtus; nam quo facilius undique Urbs adiretur, primum deſumta ſibi ultro Flaminia via, Arimino tenus muniendа, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia ſternendas diſtribuit, teſte Suetonio lib. II. c. 30. Dio Caſſius lib. 53. addit, hanc rem adeo gratam fuiſſe Senatui populoque Romano, ut duos arcus triumphales, alterum in ponte Tiberino, alterum Arimini, in iisque juſtæ magnitudinis ſtatuam ei poni curaverit. Vide Fabrett. de aquæd. diſſ. I. Extant & nummi eam in rem cuſi apud Auguſtinum, Erizzum & Spanhemium, in quorum aliis averſa facie legitur: QUOD VIAE MUN. SUNT: in aliis vero columnæ milliariæ cernuntur, his verbis inſcriptæ: S. P. Q. R. IMP. CAES. QUOD. V. M. S. EX. EA. P. Q. J. S. AD. A. D. E. *Quod viæ munitæ ſunt, ex ea pecunia, quæ juſſu Senatus ad ærarium delata eſt.* Idem quoque, pace terra marique parta & Jano clauſo, præcipuus auctor viarum militarium fuit per provincias, ut dignitas imperii ibi eluceret. In Hiſpania VIAM. SUPERIORUM. COSS. TEMPORE. INCHO. ET. MULTIS. LOCIS. INTERMISSAM. PRO. DIGNITATE. IMPERII. LATIOREM

OREM. LONGIOREMQUE. GADEIS. USQUE. PERDUXIT, verba ſunt inſcriptionis Emeritæ repertæ apud Gruter. pag. 149. n. 4. Aliud ejusdem opus viarium in eadem provincia laudatur apud Gruterum pag. 153. 1. Aliud cum elogio PATRIS PATRIAE in via Aurelia Galliæ, invenies apud Bergier. pag. 510. De pontibus, magna viarum parte, ab eo ſtructis marmor Gruteri pag. 160. n. 2. & Procop. lib. 1. de bello Goth. teſtantur. Qua diligentia denique in Alpibus vias ſtruxerit, rupibus quantum id fieri licuit exciſis, easque latronum excidio purgaverit, apud Strabon. lib. IV. pag. 204. videre licebit.

Nobis duo inprimis inſtituta ejus vialia memoratu digna, & Themidis cultoribus ſcitu neceſſaria eſſe videntur, nimirum Columna aurata in foro poſita, & Curſus publicus. Prior vulgo *milliarium aureum*, Tacito 1. Hiſt. c. 27. & Sueton. Othon. c. 6 vel *milliarium Urbis l.* 154. *de V. S.* Plutarcho χρυσοῦς κίων vocatur. Auctorem ejus Auguſtum laudat aperte Dio Caſſius lib. 54. Αὐτός τε προςάτης τῶν περὶ τὴν Ρώμην ὁδῶν αἱρεθεὶς, καὶ τὸν χρυσοῦν μίλιον κεκλημένον ἔςησε. *Ipſe viarum, quæ ſunt circa Romam, Curator conſtitutus milliarium aureum, quod vocatur, fecit.* Locum,

 ubi

ubi poſita fuerit, ſignavit Plinius lib. III. Hiſt. nat. c. 5. de ambitu Urbis, ex emendatione Lipſii lib. III. de Magn. Rom. c. 2. & Fabretti: *Ejuſdem ſpatii menſura, currente à Milliario in capite Fori Romani ſtatuto, ad ſingulas portas, quæ ſunt hodie numero* XXIV. *ita ut* XII. *portæ ſemel numerentur, prætereantur ex veteribus* VII. *quæ eſſe deſierunt, efficit paſſuum per directum* CIↃ. CIↃ. CIↃ. IↃCC. LXV. *Ad extrema vero tectorum, cum Caſtris Prætoriis, ab eodem Milliario, per Vicos omnium viarum menſura colligit paullo amplius* VII. *M. P.* Figuram ejus depingi, & Veſpaſianum, Nervam ac Hadrianum refectores laudari apud Gruter. corp. inſcript. pag. 154. n. 4. credidit Miſſon Itin. Ital. p. I. ep. 38. Verum hoc æque dubium eſt, quam quo pacto accipi debeat, quod de uſu illius columnæ ſcribit Plutarch. in Galba. c. 31. Ἐβάδιζεν εἰς ἀγορὰν, οὗ χρυσοῦς εἱστήκει κίων, εἰς ὃν αἱ τετμημέναι τῆς Ἰταλίας ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσιν, *Progreſſus in forum, ubi aurea columna eſt poſita, in quam viæ militares Italiæ deſinunt.*

Plerique Antiquarii ex hoc loco colligunt, milliarios lapides, in viis Italiæ, a columna iſta numeros ſuos inchoaſſe; idque ipſam *milliarii* vocem indicare, nec alium ſcopum Auguſti fingi poſſe, quam ut

ut in foro eſſet principium & meta omnium itinerum, utque viæ militares ab eo numerarentur. Ita ſentiunt viri maximi Anton. Auguſtinus lib. IV. Emend. c. 7. Baron. in Martyrol. ad XI. Aug. Salmaſ. ad Solin. pag. 642. Turneb. lib. V. Adverſ. cap. 1. aliique minorum gentium ſcriptores. Lucas autem Holſtenius primus in alia abiit, in diſſertatiuncula, *de Milliario aureo*, quæ tum poſt notas ejus in Stephanum Byzantinum, tum in Grævii Theſ. Antiq. tom. IV. pag. 1805. reperitur. Movet ipſum partim uſus loquendi vulgaris, quo primum milliare, non a medio foro, ſed ab Urbe, id eſt a portis Urbis numeratur: partim lapis milliaris primus in via Appia extra Urbem repertus, qui intra Urbem ampliſſimam poſitus eſſe & inveniri debuiſſet, ſi a milliario aureo paſſus mille metiaris. Calculum Holſtenio adjecit Fabrettus de aquæduct. diſſ. III. n. 243. ſed nullo argumento allato probationem in alium locum rejecit. Juriſconſulti vero paſſim provocant ad Æmilii Macri *l.* 154. *D. de V. S. Mille paſſus, non à milliario urbis, ſed à continentibus ædificiis numerandi ſunt.*

Si meam ſententiam quæris, nullum quidem hactenus vidi Auctorem, quo probaretur, numerum lapidum a Milliario au-

reo cepiſſe. Solus etiam Plutarchus ait; omnes Italiæ vias in columnam illam deſiiſſe; aliud vero eſt finiri, aliud inchoari, & ab utroque rurſus differt numerari. Nihilominus, ob rationes ſupra allatas, pronior ſum in eorum ſententiam, qui ajunt, ſi de longitudine itineris quæratur, milliaria vulgo numerata fuiſſe a milliario Urbis, & ad milliarium Urbis. Quod autem Macer ait, ea à continentibus ædificiis numerari, id forſan ſingulare fuit in lege Julia viceſimaria, quam in d. l. 154. explicavit. Illa autem ratione caducorum cavebat, ut teſtamenta poſt mortem teſtatoris à præſentibus intra triduum, ab abſentibus vero intra quinque dies aperirentur, cum ſupervenerint, auctore Paulo, *lib.* IV. *Sent. tit.* 6. §. 3. His ergo viginti millia paſſuum data in dies ſingulos, ſicut aliis in *l.* 2. *§.* 3. *D. Quis ordo* & *l.* 3. *de V. S.* eosque paſſus à continentibus ædificiis numerari placuit, ſi alicui heredum Româ in municipium proficiſcendum fuerit, ne tam neceſſario vectigali mora fieret, ut ait Paul. d. l. Forte etiam alio fini mille paſſus in lege dicebantur, de quibus numerandis dubitatum; vel in ea Romæ vox fuit, quæ continentibus ædificiis finitur, *l.* 2. *pr. l.* 87. *D. de V. S.* vel denique Macer de eo, qui intra

intra continentia, ſed non multis paſſuum millibus a loco, ubi teſtamentum aperiretur, fuerat, diſputaſſe videtur. Optimum eſt quod eligas. Ego autem iſta magis veriſimilia putem, quam ſi, cum aliis, in *d. l.* 154. *mille paſſus non à muro Urbis*; vel cum Gothofredo verbis transpoſitis: *mille paſſus non à continentibus ædificiis, ſed a milliario Urbis numerandi ſunt*, legamus.

Diverſa quæſtio eſt, an lapides Italiæ milliares a Milliario aureo numeros ſuos duxerint, an a portis Urbis, an vero a continentibus ædificiis? Media ſententia mihi probabilior videtur. Et primo quia Gracchus notas numerales columnis inſcripſerat dudum; has vero ab Auguſto mutatas nondum legimus, & vix eſt, ut eæ ſine confuſionis metu mutari potuerint. Deinde altum apud veteres eſt ſilentium de lapidibus milliaribus intra Urbem poſitis; hæc autem, Plinio teſte, tam ſpatioſa fuit, ut lapis primus, ſecundus, & tertius, ad ſingulas portas ducens, poſitus eſſe debuerit intra mœnia. Cum illo mihi velim quis conciliet quod Paulus in *l.* 42. *D. de excuſ. tut.* centeſimum *ab Urbe* milliarium, & Aurelius Victor in Epitome *ex Urbe*, dixerunt. Item quod Sueton. Aug. c. 94. nemus ad

quartum lapidem viæ Campanæ, & alibi in Claud. c. 23. relegationem intra lapidem tertium ab Urbe memoravit. Juvenalis ſat. VI. vſ. 277. horam a ſuperſtitioſis ex libro ſumtam ait, *Ad primum lapidem vectari cum placet.* Si tu reponis, quartum extra Urbis muros lapidem primum vocari; quid faciemus Feſto, qui *Initium*, ait eſſe, *quo quid incipiat, ut viæ Appiæ, Porta Capena*? certiſſimo indicio partem viæ Appiæ, quæ intra Urbem erat, non pro via publica, intervallis dimenſa, ſed platea habitam; idque multo magis de viis, quæ ab ipſis portis incipiebant, dicendum erit. Jam ſi addas ſuburbia ab eodem milliario aureo per vicos omnium viarum porrecta ad ſeptem millia paſſuum, ut ſupra ex Plinio audivimus, ubi ſodes inter ædificia contigua collocabis hortos, qui *inter lapidem ſecundum & tertium, irrigantur infra viam Ardeatinam & Aſinariam?* ut ſcribit Feſtus in *Retricibus.* Denique inſtar omnium ſit Martialis lib. VII. Ep. 30. ad Regulum:

Quicquid villicus Umber, aut colonus,
Aut Tuſci tibi Tuſculive mittunt,
Aut rus marmore tertio notatum.

Antequam ab aureo noſtro milliario diſcedamus, illud non prætereundum eſt, in nova Roma, ad ejus exemplum, Μίλιον fuiſſe

fuiſſe, in medio foro, ædi Sophianæ proximum, ſed ſtructura & amplitudine a Romano longe diverſum: neque enim nuda erat columna lapidea, cum globo aureo, ſed ædificium editius, fornicibus conſtans, ſtatuis aliisque ornamentis decoratum. Gyllius, in Conſtant. topogr. l. II. cap. 23. μίλιον dictum putat atrium ampliſſimum, quod *Auguſteum* vocabant: ſed magis eſt, ut vicina videantur, quia in Deſcriptione Urbis Conſtantinop. Regio quarta continere dicitur *Milliarium aureum*, *Auguſteum*, *Baſilicam* &c. Minime Carolus du Frene, in Conſtantinop. Chriſtiana lib. 1. cap. 24. dubitat, ab eo vias militares & itinera numerata eſſe, nec fidem habet Heſychio & Codino, qui, ante inſtauratum a Conſtantino Byzantium, illius meminere. Sane multa Conſtantinopoli, ad imitationem veteris Romæ, ab illo inſtituta fuiſſe, vel inde patet, quod urbem in quatuordecim κλίματα, regiones, has autem in vicos diviſit trecentos viginti duos; ſingulis quoque regionibus unum curatorem, ρεγεωνάρχην Codino dictum, & quinque ferme ἀμφοδάρχας, id eſt vicomagiſtros præfecit, quibus per noctem tuendæ urbis cura mandata, uti laudata Deſcriptio oſtendit. Meminit illarum Regionum *l. 22. C. Th. de div. off. &*

Nov.

Nov. 43. *c.* 1. Milii vero Codinus, Nicetas, & alii apud du Frene d. l. Vereor autem, ut originem *Piloriorum* hodiernorum, quæ mediis in foris erigi ſolent, à *Pilis aureis*, ad ſimilitudinem milliarii Romani confectis, recte repetierit: nonne enim ſufficit vox pilæ vel piluræ, ad quam alligati rei plebis ludibrio exponuntur? Sed de his viderint, quibus otium eſt.

Nos ad alterum Auguſti viarium inſtitutum properamus, de quo ita Suetonius in ejus vita c. 49. *Quo celerius ac ſub manum annunciari cognoſcique poſſet, quid in provincia quaque gereretur, juvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuit.* Credebat ſcilicet prudentiſſimus Princeps, provincias cunctas facilius tranquille gubernari poſſe, ſi quid in ſingulis gereretur celerrime cognoſceret; ideoque ut Perſæ olim, Cyro auctore, angaris & aſtandis, Græci hemerodromis uſi, ipſe primum juvenes expeditos, dehinc vehicula per vias publicas diſpoſuit, ex quibus Hadriani tempore curſus fiſcalis enatus eſt, teſte Spartiano in ejus vita c. 7. Huic fini viæ militares diviſæ erant in Stationes, quarum aliæ *Manſiones*, aliæ *Mutationes* dicebantur. Illæ hoſpitia ampla manendi &

& quieſcendi cauſa praebebant, in his vero veredos, jumenta & vehicula mutabant peregrinantes, uti ex titulis utriusque Codicis *de curſu publico*, nec non ex Itinerario Burdegalenſi diſcimus, & Guido Pancirolus, in Not. Imp. Spanhemius de Præſt. & uſu num. diſſ. XIII. Lipſius cent. III. ep. 59. Cuperus lib. IV. Obſ. 2. Idem ad Lactant. de mort. perſec. cap. 45. toto argumento exhauſto, pluribus explicarunt. Multæ vero leges ex his lucem mutuantur, v. c. quod Arcadius Chariſius in *l.* 18. *§.* 4. *D. de mun. & hon.* ait: *Curſus vehicularis ſolicitudo, item angariarum præbitio perſonale munus eſt*: præpoſiti quippe manſionum & angariarum ſola animi proviſione, & laboris intentione, ſine aliquo patrimonii detrimento curſum publicum curabant: vehiculorum autem ſubvectio & angariarum præſtatio fuit patrimoniorum munus, poſſeſſionibus indictum, *d. l.* 18. *§.* 21. *l.* 10. *§.* 2. *l.* 11. *D. de vac. & excuſ.* Angariæ illæ ab *angaris*, ſeu curſoribus Perſarum dictæ, qui ad præſtandos ſibi equos, vi compellere poterant; unde ἀγγαρεύω compello, Matth. XXVII. vſ. 32. & *angariare naves l.* 4. *§.* 1. *D. de veteran.* Paullin. Epiſt. 37. *Jumentum angariavit in vias duras.*

Ad rem curſualem quoque pertinent diplo-

plomata, quibus licentia dabatur magiſtratibus curſus publici uſurpandi. De his Venulejus ſcribit in *l.* 137. *§.* 2. *D. de V. O.* eum, qui Epheſi daturum ſe ſpoſpondit, *neque duplomate, diebus ac noctibus, & omni tempeſtate contemta, iter continuare cogi, neque tam delicate progredi debere, ut reprehenſione dignus appareat.* Nemini autem, quacunque conſpicuus fuerit dignitate, pro ſua voluntate, curſu publico uti licuit, ſed opus erat codicillis, duplicata charta ſcriptis, ſive literis publicis, a Principe, Præfecto prætorio, vel aliquando a rectoribus provinciarum obtentis, quas etiam *evectiones* vocabant, ut quævis curſui neceſſaria præſtentur, *l.* 27. *§.* 2. *D. de leg. Corn. de falſ. l.* 8. *C. Th. de curſ. publ.* Plin. lib. x. ep. 14. *feſtinationem tabellarii diplomate adjuvi.* Capitolin. in Pertin. c. 1. *quod ſine diplomatibus curſum uſurpaverat pedibus iter facere coactus eſt.* V. Bergier. lib. IV. ſect. 15. ibique Hennin. in notis.

Satis, niſi fallor, ex his ſpeciminibus conſtat, quantus viarum curator fuerit Auguſtus, & ſi cui ea non ſufficiant, is duo monumenta, ob vias munitas addere poterit, à Reineſio ipſi vindicata, epiſt. 48. pag. 442. Nunc in proclivi foret oſtendere, quam gnaviter boni quique

Prin-

Principes ejus veſtigia preſſerint, ſuæque magnificentiæ argumenta per orbem terrarum ſtupendis ſumtibus propagari ſtuduerint, niſi inutilis & nimiæ diligentiæ id eſſe videretur. Nec tamen ſilebo, quod Tiberius Claudius Cæſar Auguſtus, CENSOR. VIAM CLAUDIAM. VALER. A. CERFENNIA. OSTIA ATER. MUNIVIT. IDEMQUE. PONTES. FECIT. XLIII. apud Reineſium cl. III. n. 80. eodem nempe modo, quo ſupra pag. 340. Veſpaſianum vidimus, qua Cenſorem, vias muniviſſe. De hoc Aurelius Victor ej. vita *Per omnes terras, qua jus Romanum eſt, viæ operibus maximis munitæ, & cavati montes per Flaminiam prono tranſgreſſu.* De optimo Trajano præter nummum, effigie jacentis mulieris, cum rota, arundine & inſcriptione VIA TRAJANA, ſatis obvium, adeſt egregius lapis Gruteri pag. 446. n. 4. Auximi deſcriptus, in quo curator quidam viarum, TRIUM TRAJANARUM laudatur. Adde his Principi æqualem & teſtem oculatum Galenum, Method. med. IX. 8. *Vias*, inquit, *Trajanus refecit, quæ quidem earum humidæ aut lutoſæ partes erant, lapidibus ſternens, aut editis aggeſtionibus exaltans, quæ ſenticoſæ & aſperæ erant, eas expurgans; ac flumina, quæ tranſiri non poſſent, pontibus*

tibus

tibus jungens; ubi longior, quam opus erat, via videbatur, aliam breviorem exſcindens; ſicubi vero propter arduum collem difficilis erat, per mitiora loca deflectens; jam ſi obſeſſa feris, vel deſerta erat, ab illa transferens, ac per habitata ducens, tum aſperas complanans. De ceteris Imperatoribus, Hadriano v. gr. Antonino Pio, Severo & Caracalla crebræ loquuntur marmorum inſcriptiones, apud Gruterum pag. 156. 163. Sponium Miſcell. p. 270. Reineſ. lib. III. Var. lect. c. 16. & Fleetwoodum Syll. inſcr. pag. 105. ubi duo Impp. littus, adſiduis maris adluentibus fluctibus ad labem ruinæ labefactatum, aggeribus marini operis in fundamentis exſtruxiſſe leguntur, ut *commeantibus in via Severiana periculum abeſſet.* Pulchra item eſt inſcriptio Gudiana pag. 71. n. I. in qua Imp. Antoninus Pius bono reip. natus dicitur, *quod viam ante hac lapilleam, utiliter ſtratam & corruptam, ſilice novo, quo firmior commeantibus eſſet, per milliaria ſum.* XXI. *ſua pecunia fecit.* De M. Aurelio Philoſopho Capitolinus in ej. vit. c. 4. *vias Urbis atque itinerum diligentiſſime curavit.*

CA-

CAPUT VII.

De Praesidum cura viarum in provinciis.

Præſides & Proconſules, per omnem pæne terrarum orbem, vias muniverunt & ſignarunt; per Syriam, Gallias, Luſitaniam & Britanniam; cujus quatuor viæ regiæ, à Romanis conſtructæ. Curatores viarum extra ordinem a Proconſulibus conſtituti. L. 7. §. 1. D de off. Proconſ. illuſtratur. Viæ provinciales malis hominibus purgatæ. Curſus publici cura Præſidibus mandata, ab Anatolio reſtituta. Stratores & præcurſores Regum atque illuſtrium. Johannes Baptiſta Chriſti metator, ad Eſa. 40. vſ. 3. Mal. III. vſ. 1. Cur nemo Proconſulum ſtratores ſuos habere potuerit? l. 4. §. 1. D. de off. Proconſ. male a Goveano correcta, nec felicius a Ræ, vardo & Reineſio explicata. Vera ejus ſententia. Statores Proconſulum a ſtando, miniſtrando. Militum miniſteria ſunt apparitorum. Ingreſſus Præſidum in provincias ſolennis, ubi ingredi moris erat L. 4. §. 5. l. 5. D. de off. Proconſ. illuſtratur.

Præſidis nomen generale eſt, eoque & Proconſules, & Legatos Cæſaris, & omnes, qui provincias regunt, complectimur, præeunte Macro in *l.* I. *D. de off. Præſ.* Hi vero majus imperium habentes, de omnibus cauſis, de quibus Romani magiſtratus, cognoſcebant, nec quicquam erat in provincia, quod non per ipſos expediretur *l.* 7. §. 2. *l.* 8. *l.* 9. *D. de off. Proc. l.* 10. 11. 12. *D. de off. Præſ.* Viis ergo ſternendis, aperiendis, ſignandis & everſis reſtituendis incumbendum eis fuit inprimis, tum ut exercitus Romani commodius per provincias ducerentur, tum ut majore celeritate Roma & Romam nunciari poſſent omnia, tum denique ut ipſi cum comitatu ſuo facilius provinciarum urbes obirent, & in conventibus publicas controverſias, hiberno maxime tempore, ab armis otioſi cognoſcerent. Sane rudis ſit, qui intra Italiæ fines, qua Urbs adibatur, ſtetiſſe putet viarum magnificentiam; ab ortu enim ad occaſum regionum itinera ſtrata & lapidibus milliaribus dimenſa fuerunt. *Romani vias per omnem pæne orbem diſpoſuerunt, propter rectitudinem itinerum, & ne plebs eſſet otioſa*, ait Iſidor. lib. XIII. Orig. c. 16.

Stante republica jam duo illuſtria viarum

rum militarium, per Galliam Aquitanicam atque Macedoniam ſtratarum & ſignatarum exempla dedimus ſupra pag. 362. His accedat, quod Cicero Fontejum, Galliæ Prætorem, Legatis ſuis viarum munitiones mandaſſe refert orat. pro Fontej. cap. 4. *Cum majoribus negotiis M. Fontejus impediretur, & cum ad Remp. pertineret viam Domitiam munire, Legatis ſuis, primariis viris, C. Annio Bellieno & C. Fontejo negotium dedit. Itaque præfuerunt, imperaverunt pro dignitate ſua, quod viſum eſt, & probaverunt.* Majore vero diligentia paullo poſt Agrippa, Auguſti gener, Gallias quaquaverſum viis ornavit, & quatuor maxime, & longitudine & operis difficultate ſpectabiles, Lugduno duxit, auctore Strabone lib. III. pag. 208. Idem ſtudium fuit Q. Venidii Rufi, Legati Auguſtorum Severi & Antonini, ac præſidis Phœniciæ; uti ex columna milliaria diſcimus, quæ paſſibus circiter quingentis extra Sidonem adhuc exſtat, in via, qua Tyrum itur, quamque Nicol. Poireſſonus vidit & exſcripſit apud Sponium pag 270. & Gudium pag. 69. n. 1. VIAS. ET MILLIARIA. PER. Q. VENIDIUM RUFUM. LEG. AUG. PR. PR. PRÆSIDEM PROVINC. SYRIÆ. PHOENIC. RENOV. Similiter Imp.

 Ju-

Julius Verus Maximinus & Jul. Verus Maximinus Cæſar, in Luſitania, hanc in rem opera Q. Trajani Decii, Legati, viri illuſtris, & ejuſdem forte, qui poſt Philippos imperavit, uſi dicuntur in lapide Gruteri pag. 151. n. 5. VIAS. ET. PONTES. TEMPORE. VETUSTATIS. COLLAPSOS. RESTITUERUNT. CURANTE. Q. DECIO. LEG. AUG. PRÆF. PRÆT. A. BRACCARA. AUG. M. P. Ad hanc quoque claſſem pertinet mutilum marmor Arelatenſe apud eundem pag. 159. n. 8. in viri cujuſdam illuſtris auxiliaris Præf. prætorio Galliarum memoriam poſitum, quod DE ARELATE MA. . . MILIARIA. PONI. S. M. P. I. id eſt *de Arelate*, Sextanorum oppido, ad *Maritimam* uſque coloniam, miliarios lapides poni ſua pecunia curavit, uti vir præclarus, Thomas Reineſius, repudiata Scaligeri ſententia, qui lib. 2. Auſon. lect. c. 30. Arelatem *mamiliariam* dictam fuiſſe ex eo conjecerat, bene explicavit lib. III. var. lect. c. 16. Britannia denique, teſte Cambdeno, in ejus deſcriptione pag. m. 37. vias admirando opere, per omnem regionem, alicubi deſiccatis paludibus, alibi aggeratis vallibus, a Romanis munitas & conſtratas accepit, ea latitudine, ut occurrentia ſibi invicem vehicula

hicula libere exciperent. Vulgus quatuor tantum hujuſmodi vias eſſe voluit, *Wallingſtreat*, *Ikenildſtreat*, *Foſſe & Erminſtreat*; ſed illæ præcipuæ fuere. *Cheminios regales* vocat Edwardus Confeſſor in LL. cap. 12. 13. quorum *duo in longitudinem regni, alii duo in latitudinem diſtenduntur*.

Viarum ergo regiarum cura ad Rectores provinciarum pertinuit, quibus & ſtationes navium, portus, litora, turres & caſtella in limitibus, omneſque provinciarum abſceſſus, in utroque Codice crebro, ſed maxime in titulis *C. de itin. mun.* & *de litorum & itinerum cuſtodia* commendantur. Ulpianus etiam inter officia Proconſulis retulit, ut ſi in celebrem civitatem vel provinciæ caput advenerit, opera publica circumeat, inſpiciendi gratia, an ſarta tectaque ſint, & ſi qua cœpta ſunt, curet, ut conſummentur, prout vires ejus Reip. permittunt; *curatoreſque operum diligentes* ſolenniter præponat, *l.* 7. §. 1. *D. de off. Proconſ.* Tales ſunt, a quibus Javolenus, in *l.* 12. *D. de muner.* munitionem *viarum* quandoque extra ordinem exigi ad tempus, ait; quoſque Chariſius in *l.* 18. §. 7. *D. eod.* dicit ad *faciendas vias eligi ſolere*. Congruit item bono & gravi Præſidi, ut pacata &

 quie-

quieta provincia ſit, id quod non difficile obtinebat, ſi latrones, plagiarios & graſſatores, viatoribus inſidiantes, ſollicite conquireret, eorumque receptores coërceret: nam & in mandatis Principum erat, *ut curet is, qui provinciæ præeſt, malis hominibus provinciam purgari, l. 3. & l. 13. D. de off. Præſ.* Iiſdem curſus publici inſpectio mandata fuit, qui ad publicas neceſſitates expediendas in civitatibus & ſtationibus non poterat velox eſſe ſine viis publicis recte munitis. *l. 4. l. 15. C. Th. de curſ. publ l. 7. C. Th. de div. off.* Capitolin. in Pertin. c. 1. & Symmachus lib. II. ep. 27. Graviter Aurelius Victor in Trajano: *Noſcendis ocius, quæ ubique è Republica gerebantur, admota media publici curſus: quod equidem munus ſatis utile, in peſtem orbis Romani vertit poſteriorum avaritia, inſolentiaque, niſi quod bis annis* (ſub Conſtantio) *ſuffectæ vires Illyrico ſint, Præfecto medente Anatolio. Boni malique in Republ. nihil eſt, quod in diverſum traduci nequeat moribus præſidentium.*

Cum vero Proconſules magno comitatu & pompa in provincias proficiſci ſolerent, mirum videri poſſet, qua ratione Ulpianus in *l. 4. §. 1. D. de off. proconſ.* ſcribat: *Nemo proconſulum ſtratores ſuos habere poteſt,*

teſt, ſed vice eorum milites miniſterio in provinciis funguntur. Senſus legis eruendus erit ex ſignificatu vocis *ſtratoris*, qui varius fuit. Et primum quidem vix hoc loco intelligi poſſunt, qui Proconſulem ſuſtollunt in equum, de quibus late ſupra egimus pag. 367. nulla enim hujus rei prohibendæ ratio eſſe potuit, cum cuivis etiam privato eorum copia patuerit. Probabilius alii cogitant de viarum ſtratoribus, qui totum iter diſponunt. Notum enim eſt, quoties reges, aut eorum vicarii iter faciunt, præmitti qui hiantia ſolident, exſtantia complanent, & per devia compendium faciant, ne quid itineri obſtet aut moram faciat; Xenophon ὁδοποιοὺς appellavit. Sic Malach. III. vſ. 1. *En ego præmitto angelum meum, qui parabit viam ante faciem meam.* Et Joannes Baptiſta idcirco Servatoris noſtri Strator, præcurſor et metator à Petro Chryſologo ſerm. 125. vocatur, quia ipſe viam Domino ſtravit ſternique mandavit, ſecundum vaticinium Eſaiæ XL. vſ. 3. 4. juncto Matth. III. vſ. 3. Sponius quoque Miſcell. pag. 233. Diomedem ſtratorem viæ Appiæ ex marmore nobis ſiſtit, Cupero non refragante, ad Lactant de mort. perſ. c. 5. Videntur præterea ſtratores in officio Præfectorum Prætorio, Proconſulum et Præſidum re-

vera fuiſſe, ſecundum *l. ult. D. de jure immun.* & *l.* 1. *C. de off. Præf. præt. Afr.* In actis etiam Cypriani *Galerii Maximi Proconſulis ſtrator*, ſicut in inſcriptione Tarraconenſi apud Gruter. pag. 389. n. 2. Silius Hoſpes T. Claudii Candidi, optimi *Præſidis ſtrator* vocatur. Dici ergo poſſet, mentem Ulpiani eſſe, neminem Proconſulum propriis viarum ſtratoribus uti poſſe, cum milites in promtu ſint, qui eo officio fungantur: nam pars prior hujus capitis iter ab Urbe in provinciam deſcribit; quoniam in præcedente *pr.* vetantur metatis in tranſitu onerare provinciam, per quam tranſeunt, & in ſequente *§.* 4. edictum de adventu ſuo, mittere jubentur: poſtea demum officium eorum, ubi provinciam ſibi deſtinatam ingreſſi ſunt, exponitur.

In alia autem omnia abiit Goveanus lib. 1. var. c. 42. legendo *ſtatores ſervos*, pro *ſtratores ſuos*; quia ſervi admitti non debeant ad publicum miniſterium, quale eſt apparitorum Proconſulis, qui ad coërcendos & carceri mancipandos delinquentes ipſi præſto erant & famulabantur. Nam *ſtare* eſt verbum ejus rei, uti Scaliger in Priapeja ex Manilio docuit pag. 200. Ita *ſtatores, milites & municipalia miniſteria* jungit *l.* 10. *D. ex quib. cauſ. maj.* Cicero Pro-

Proconſul & Imperator Statores ſuos cum literis ad Cælium Prætorem mittit, lib. XI. ep. 29. STATOR PRÆTORIS apud Grut. pag. 1031. n. 3. & STATOR PRÆTORIANORUM in 8. pag. 546. memorantur. Verum Goveano non potuit adſentiri Cujacius lib. XI. Obſ. c. 1. quia Ulpianus *ſtratores ſuos*, id eſt domeſticos, proprios, & a ſe in id miniſterium conſtitutos, opponit militibus, qui exteri potius, quam ſui ſunt Proconſulibus; nec ſane opus eſt *ſervos* legamus, qui ſuorum nomine continentur. Felicior Rævardus lib. 1. Var. c. 12. Ulpianum ex Lampridii Alexandro Severo cap. 52. explicaſſe videtur: is enim Princeps *Apparitores nullos eſſe paſſus eſt Tribunis aut Ducibus, niſi milites ante ire voluit; juſſitque ut ante Tribunum quatuor milites ambularent; ante Ducem ſex; ante Legatum decem; hique ad domos ſuas reciperentur.* Similiter Reineſius ad cl. 1. Inſcript. 19. Ulpianum ad Alexandri conſtitutionem reſpexiſſe putat, qua Ducibus & Proconſulibus, loco ſtratorum, quibus olim ſtipati, milites adſignavit. Sed præterquam quod Ulpianus pleraque ſua jam ante Severum ſub Caracalla ſcripſit, male Proconſulum, in provinciis pacatis, cum ducibus et judicibus militaribus inſtituitur comparatio.

Neutris quidem domeſticos licuit ad apparendi officium adhibere; ſed Proconſules habuerunt apparitores publice conſtitutos, ante tribunos et duces milites ambulabant.

Quid ergo? legis noſtræ ſeries indicat, Proconſules lictoribus, virgariis & officialibus in provinciis uſos eſſe, non vero domeſticis & propriis, ſed publicis, qui hic *milites*, alibi *commentarienſes*, *mancipes carceris*, *clavicularii*, *&* *ferales miniſtri* vocantur. Hi reos carceri traditos cuſtodiebant, *l.* 1. *C. de cuſtod. reor.* in provincia quavis publici erant, ac perpetui *l.* 34. *D. de reb. cred.* neque Proconſul eos ſecum ex Urbe ducebat, ſed conſtitutos reperiebat; gravi ratione, ne prædarum occaſio inde naſceretur, dum rei aut eorum potentiam perhorreſcerent, aut conniventium cuſtodiæ elaberentur, uti Jacob. Gothofredus notat ad *l.* 1. *C. Th. de cuſtod. reor.* verba ſequentia: *Illud obſervabitur, ut neque his, qui ſtratorum funguntur miniſterio, neque miniſtris eorum liceat crudelitatem ſuam accuſatoribus vendere, & innocentes intra carcerum ſepta leto dare.* Ecce! quos Ulpianus *milites* vocat *miniſterio vice ſtratorum fungentes*, eos Conſtantinus *ſtratorum miniſterio fungi* ait, et utroque loco mini-

ſtri,

ſtri, quos penes officium cuſtodiæ reorum erat, intelligendi ſunt, non vero milites armati, & in numeros relati: nam civiles apparitores Ulpianus alibi etiam *manum militarem*, in *l.* 68. *D. de rei vind.* eique æqualis Alexander *militare officium* in *l.* 2. *C. ſi manc. ita venier.* vocant, alibi iidem in pœnam *militia ſolvuntur*, in *l.* 4. *C. Th. de execut.* & *l.* 3. *C. de div. off.* ubi ſtratores rurſus habes, ſed alio forte ſenſu. Cur vero carcerum cuſtodes & executores milites appellati, non una eſt ratio; nam ſi res ferret, erant armis inſtructi; & qui circa latus Magiſtratuum hærent, militare dicuntur. Vid. Ampliſſ. Bynkershoek lib. III. Obſ. c. 14. &, qui cuſtodiam militarem à carcere bene diſtinguit, Lipſium in Excurſ. ad Tacit. lib. III. Annal. lit. B. Ceterum vocabula *ſtratoris* & *ſtatoris* a librariis nonnunquam videntur permutata eſſe; unde varietas lectionis in *l.* 10. *D. l.* 1. *C.* aliisque locis quibusdam ſupra laudatis. Cujac. ad *l.* 1. *C. de ſtrator.* nihil referre putavit ſtratores dixeris, an ſtatores; ſed officia eorum diverſa fuiſſe, Salmaſ. notavit, ad Capitolini Antonin. c. 8. & ad Vulcatii Avidium Caſſ. c. 8.

Inter ceteras autem provinciarum vias illa quam maxime eminuit, per quam acceſſus

ceſſus ad urbes metropoles ordinarius erat; ſcribit enim Ulpianus in eadem *l.* 4. §. 4. 5. & *l.* 7. *D. de off. Proconſ.* Proconſuli ingreſſuro provinciam hoc obſervandum fuiſſe, ut edictum de adventu ſuo mitteret, & maxime excuſaret, ne publice vel privatim ſibi occurratur: ut deinde ea parte ingrederetur, per quam ingredi moris eſſet, & quas Græci ἐπιδημίας, id eſt, acceſſus ad urbem appellant: magni quoque facere provinciales ſervari ſibi conſuetudinem & prærogativam, in civitates nobiliores primum veniendi, ubi magnis provincialium ſtudiis, laudibus, feriatis diebus, aliisque publici velut gaudii ſignificationibus adventus ejus celebrabatur. Etſi vero excuſaſſet occurſum ſolennem, ſine dubio obviam ei proceſſerunt multi, cujuſcunque conditionis homines, lætiſſimo agmine, fauſta omnia congerentes, viamque totam floribus, coronis & odoribus complentes; genere adulationis antiquiſſimo, & frequentiſſimo, cujusque plura apud unum Sueton. veſtigia reperimus lib. II. c. 98. lib. IV. cap. 13. & lib. VI. cap. 25. De Metello Valer. Max. lib. IX. cap. I. n. 5. ſcribit, quod in Hiſpania *adventus ſuos ab hoſpitibus aris & thure excipi paſſus ſit* Hirtius de B. G. c. 51. *Nihil relinquebatur,*
quod

quod ad ornatum portarum, itinerum, locorumque communium, qua Cæſar iturus erat, excogitari poſſet; cum liberis omnis multitudo obviam procedebat, hoſtiæ omnibus locis immolabantur. Plura veterum loca de floribus per viam ſparſis, & florum aſpergine apud Lipſ. ad Tacit. II. Hiſt. c. 70. Caſaubon. ad Sueton. Calig. c. 13. Freinshem. ad Curt. lib. v. c. 1. & ad Florum lib. II. c. 7. videre licet. Ovid. IV. Triſt. 2. vſ. 49.

Quaque ibis manibus circum plaudere tuorum,
Undique jactato flore tegente vias.

DE TUTELA VIARUM

PARS III.

DE LEGIBUS, AD VIARUM SECURITATEM PERTINENTIBUS.

CAPUT I.

DE EDICTO VIARIO ÆDILIUM CURULIUM.

Ædiles Curules, ob curam viarum ſibi mandatam, noxia animalia haberi vetant, qua vulgo iter ſit. Verba Edicti viarii, in l. 40. 41. & 42. D. de Ædilit. ed. an ſint genuina, an recentiora, & à quo ſurrogata. Charondas, Cujacius & Strauchius Edictum mutilantes refelluntur. Leunclavii defenſio Florentinæ, Græcorum auctoritate, an recta? Quid ſit Aper minor, quid Verres, contra Lipſium. κάπρος *& verrem, & aprum notat, non caprum.* σύαγρος *porcus ferus, vel domeſticus. Duæ obſervationes Grammaticæ*

matica ad illa Edicti verba: animal quod noceret, ſive ſoluta ſint ſive alligata. *Conjectura de verbis Pauli ſeparandis ab Edicto. Solidi ducenti in Edicto a Triboniano poſiti pro viginti millibus ſeſtertiorum. Aureus ſolidus demum tempore Alexandri Severi, Solidus vero abſolute pro aureo ſerius uſurpari cœpit. Robertus Cenalis notatur. Pondus Aurei olim majus, quam Solidi, ſub Juſtiniano idem. l. 1. C. Th. de ponderat. emendata. Tribonianus cum ſociis defenditur.*

Legum appellatione non tantum XII. tabulas et rogationes Conſulares, ſed latiore ſignificatu Edicta quoque Ædilium, Praetorum et Principum, aliaſque generales Conſtitutiones intelligimus; ſicut Cicero Praetoris Edictum *legem annuam*, et JCti Reſcripta Principum *leges* appellarunt. Inter varia autem jura, ad viarum et viatorum ſecuritatem pertinentia, eminet inprimis edictum Ædilium Curulium pulcherrimum, et multarum obſervationum fecundum, in quo tamen illuſtrando nec Veteres, nec Recentiores valde laborarunt. Cum enim JCtorum tempore ſatis illud uſu expoſitum eſſet, ſupervacuae for-

forſan operae plenior ejus interpretatio viſa fuit, aut certe architecti Pandectarum eam totam praetermiſerunt. Mihi autem plenius explicandum, et primo quidem loco videbatur Edictum, quod non modo ad Urbis dominantis ſecuritatem, ſed et ab illis Magiſtratibus propoſitum eſt, quibus proprio quaſi munere cura platearum fuit mandata, ut ſupra vidimus p. II. cap. 2. Praeterea fuit illud priſcis temporibus tam utile et neceſſarium, ut ei adſcribi poſſit *Bonum factum.* Quid enim utilius eſt, quam viatores abſque Mauri jaculis et arcu itineri ſe dare poſſe? et quid magis neceſſarium, quam ut animalia ferocia, et humanum ſitientia ſanguinem e publico in vincula ſua, vel ad Garamantas et Afros proſcribantur? Viam, in qua non eſt leo, quamque violenta nulla fera conſcendit, metaphorice laudat Eſaias XXXV. vſ. 9. Solonis quoque legem de cane, qui momorderit, noxae dando, ut ſcitam ad ſecuritatem et valde gratioſam Plutarchus laudat, in ej. vita c. 40. Galenus denique meth. med. IX. 8. inter Trajani curas refert, ut viae feris obſeſſae purgarentur.

Sed miſſis ambagibus ipſa verba Edicti Ædilitii videamus, quae duo Juriſconſultorum principes, Ulpianus & Paulus, uter-

uterque *libro ſecundo ad Edictum Ædilium Curulium*, ſequentem in modum nobis retulerunt, in *l.* 40. *& ſeqq. de Ædil. ed.* Ajunt Ædiles: *Ne quis canem, verrem, vel minorem aprum, lupum, urſum, pantheram, leonem, aliudve, quod noceret animal, ſive ſoluta ſint, ſive alligata, ut contineri vinculis, quo minus damnum inferant, non poſſint, qua vulgo iter fiet, ita habuiſſe velit, ut cuiquam nocere damnumve dare poſſit. Si adverſus ea factum erit, & homo liber ex ea re perierit, ſolidi ducenti: ſi nocitum homini libero eſſe dicetur, quanti bonum æquum judici videbitur, condemnetur: ceterarum rerum, quanti damnum datum factumve ſit dupli.*

Hiſce verbis, an aliis caſcis mage & obſoletis, hoc Edictum propoſitum fuerit, non temere dixerim: poſterius autem ex Gellii lib. IV. Noct. Att. c. 2. conjicere licebit, ubi partem edicti Ædilium Curulium, more ſuo, genuinis & priſcam majeſtatem redolentibus verbis, ita enarrat: *Titulus ſervorum ſingulorum utei ſcriptus ſit coerato, ita utei intellegi recte poſſit, quid morbi vitiive quoique ſit.* Forſan juniores Ædiles, in translatitiis edictis ſuis, verbis recentioribus uſi ſunt; aut, quod magis placet, Julianus, in compoſitione Edicti perpetui, cujus pars

& appendix fuit Ædilitium, ridiculum eſſe cenſuit, malle ſermonem durum, quo majores locuti eſſent, quam quo tunc politius loquerentur. Verum de his quilibet ſentiat, prout lubet.

Nos potius videamus, quid de verbis *vel minorem aprum* habendum ſit, quae Ludovicus Charondas, tanquam abundantia, primus notis II. II. incluſit, etſi Florentiae & in Vulgata Accurſii reperiantur. Colorem haec annotatio haberet, ſi voces duas priores tantum ad gloſſema retuliſſet, quas Juſtinianus quoque in §. 1. *Inſt. ſi quadr. paup.* omiſit; unde Cujacius, in notis ibi, non dubitavit, eas in Edicto noſtro ſupereſſe. At haec ratio ſi admittatur, longe plura in Edicto delenda forent, quae dicto §. 1. deſunt; neque Triumviris, qui Inſtitutiones compoſuerunt, ſolenne fuit, propria & integra Legum vel Edictorum verba nobis dare, ſed plerumque contenti ſunt, eorum ſententiam expreſſiſſe. Nihilominus Johannes Strauchius, in diſſ. Ædilitia poſteriore c. 4. §. 5. cum Charonda, acriter contendit, Ædiles tantum locutos eſſe de verre domeſtico, voces autem *vel minorem aprum* una litura eſſe delendas; quippe quae ipſi a ſcioli manu irrepſiſſe videntur, non capientis, quid verres inter feras faciat.

Pro-

Provocat hunc in finem ad Theophilum & Baſilica, quae aprum non agnoſcant; ſed quod addit, *in Inſtitutis nihil eſt de apro*, id αὐτοψία refutat. Contra Johannes Leuuclavius Notatorum lib. II. n. 45. adverſus Criticos ita ſentientes, Græcorum rurſus produxit auctoritatem, quos utrumque vertere ait, verrem quidem κάπρον, et aprum minorem σύαγρον. At vero in Baſilicis et in eorum Synopſi una tantum vox occurrit lib. XIX. tit. 10 n. 26. Ὁ κύνα ἄγριον, ἢ κάπρον, ἢ ἄρκτον, ἢ λύκον, ἢ πανθῆρα, ἢ λέοντα, ἢ ἕτερον βλαπτικὸν ζῶον etc. *Qui canem ferocem, aut verrem, aut urſum, aut lupum, aut pantheram, aut leonem, aliudve noxium animal.* Nec aliter Harmenopulus lib. VI. Προχ. tit. I. §. 2. Ὁ ζῶον ἄγριον βλαπτικὸν οἷον κύνα, κάπρον, λέοντα, λύκον, καὶ ἐπὶ τῶν ὁμοίων. *Qui ferum animal, quod nocere poſſit, ut canem, verrem, leonem, lupum, atque id genus.* Denique Theophilus, in paraphraſi §. I. *Inſt. ſi quadr. paup.* una voce contentus eſt, iſthoc tantum diſcrimine, quod pro κάπρον ponit σύαγρον hoc modo: κύνα, ἢ σύαγρον, ἢ ἄρκτον, ἢ λέοντα ἔχειν ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ, δι' οὗ παρέρχεται πλῆθος.

Si meam ſententiam poſtulas, non multum cauſæ video, cur conſtantem Pandectes Florentini, Vulgatæ & Haloandri lectionem deſeramus: prohibent enim Æ-

diles *minorem aprum*, id eſt parvum, non valde dentatum, qua vulgo iter fit, haberi; quia grandiores & primæ magnitudinis apri, ut Petronius vocat, vel ob nimiam ferociam, rarius prope vias & plateas in vinculis habebantur, vel ſane ſi habebantur, ſub verris vocabulo erant comprehenſi, quod quemvis porcum teſticulatum notat, non vero exſectum, ut Lipſius voluit lib. II. Variar. lect. c. 17. Deinde ad Græcos quod attinet, illis ſimiliter κάπρος, vel σῦς κάπρος, tam de porco fero, quam de domeſtico ἐνόρχῳ dicitur, uti Henricus Stephanus, ex Homero & Heſiodo, multis probavit. Sexus enim nomen eſt, & κάπρος τὸ αἰδοῖον τοῦ ἀνδρὸς exponitur Suidæ; καπρίζειν Ariſtoteles dicit de ſue femina verrem appetente, quod Latinis eſt *ſurire*. Gloſſæ *verres* κάπρος, & aliæ κάπρος, *verres*. Græcis vero transmarinis κάπρος eſt aper, inde & Romani per aphæreſin aprum dixerunt; neque κάπρος cum capro debet confundi, id quod quibuſdam magni nominis interpretibus accidiſſe, Paulus Leopardus lib. II. Emendat. cap. 10. obſervavit. Varro lib. IV. de L. L. *Apri ab eo, quod in locis aſperis, niſi à Græcis, quod ſi* κάπρος. Sic Callimachus hymn. in Dian. vſ. 155. χλούνην κάπρον vocat, quem Homerus Iliad v. vſ. 535. σῦν ἄγριον *aprum*

aprum ſilveſtrem appellavit. Quando igitur Baſilica *verrem* κάπρον ἄγριον vertunt, ſimul *aprum minorem* comprehendunt, ſicut Theophilus utrumque & ferum & domeſticum porcum voce σύαγρον complexus eſt: aper enim, citra aliud proprium nomen, σῦς ἄγριος, porcus ferus, *porcus e ſilva*, aut *porcus agri*, at Poëtis frequentius σύαγρος vocatur, uti Athenæus lib. IX. Deipnoſ. cap. 14. ex Antiphone & Dionyſio demonſtravit. Similiter apud Latinos nemini ignotum eſſe, quod apri ſues vocentur, ait Varro lib. II. de R. R. c. I. Iſidor. lib. XII. Orig. cap. I. *Aper a feritate vocatus; unde & apud Græcos* σῦς ἄγριος, *id eſt ferus dicitur, omne enim quod ferum eſt & immite abuſive agreſte vocamus.*

His de animalibus immundis, ad nauſeam forte pertractatis, priusquam ad rem veniamus, duas Grammaticas obſervationes ſubjiciam. Et primo quidem admonendi ſumus, *animal, quod noceret*, idem hic eſſe, quod nocere poſſet vel ſoleat: hoc enim loquendi genus, quo verba actum ſignificantia pro potentialibus accipiuntur, omnibus fere ſcriptoribus familiare eſt, quoties periculum inſtans & certo eventurum indicatur. Pomponius, in *l.* 21. *D. de ſtatulib.* ait: *Videbitur pro*

hoc accipi debet, videri poterit; & ſic verba XII. *Tabb. Veteres interpretati ſunt: Si aqua pluvia nocet, id eſt nocere poterit.* Nec aliter Ulpianus, in *l.* 2. *§.* 31. *D. ne quid in loc. publ.* verba Prætoris: *Quo ea via, idque iter deterius ſit, fiat,* exponit, ſive ſtatim deterior via ſit, ſive poſtea: etenim quædam ſunt talia, ut ſtatim facto ſuo noceant, quædam talia, ut in præſentiarum quidem nihil noceant, in futurum autem nocere debeant. Sic Pilatus apud Marcum xv. vſ. 6. unum ex vinctis *dimittebat*, id eſt dimittere ſolebat, Matth. xxvii. vſ. 15. Cicero lib. v. in Verr. cap. 49 ſorores *veniebant*, hoc eſt venturæ erant, & Tacitus vi. Annal. 43. *cedebant*, pro cedere volebant. Similia dabit Cujac. lib. xiv. Obſ. cap. 9. Caſaubon. in Suetonii Jul. cap. 29. & Gronov. ad Livium lib. 34. cap. 1. & 37. cap. 17.

Altera obſervatio erit circa ſtructuram vocum: *animal, ſive ſoluta ſint, ſive alligata*, quæ congrua eſt, non ratione ejus, quod dicitur, ſed quod intelligitur. Vulgus hanc figuram, ignoto priſcis nomine, σύνθεσιν, Voſſius autem σύνεσιν, quaſi intelligentiam, appellat, ejusque uſus non modo eſt in collectivis nominibus, quorum numerus ſingularis vim habet plurativi, ſed etiam in aliis. Cicero pro Milone:

Si

Si tempus eſt ullum jure hominis necandi, quæ multa ſunt. Virgil. lib. VIII. Æneid. vſ. 427. *Fulmen, quæ plurima cælo dejicit.* Poſſet etiam dici, verba *ſive ſoluta ſint*, non ad proximum *animal*, ſed ad animalia diverſi generis, prius memorata, referri debere; ut cum Solinus ait cap. 23. *Polypus & chamæleon glabra ſunt.* Tacitus V. Hiſt. cap. 5. *Parentes, liberos, fratres vilia habere.* Forte non errabimus, ſi totam *l.* 41. *de Ædil. ed.* ad Pauli interpretationem Edicti referamus, etſi ejus verba nunc in omnibus exemplaribus pro verbis Ædilium venditentur: niſi quis putet longe pluribus verbis conceptum fuiſſe Edictum, & *Ædiles tollendæ dubitationis gratia bis*, κτ̀ τȣ̃ ἀυτȣ̃, *id eſt de eodem idem dixiſſe, ne quæ dubitatio ſupereſſet*, ut ipſe tautologus loquitur Ulpianus in *l.* 1. *§.* 7. *D. de Ædil. ed.*

Ultimo loco & hoc addendum eſt, in ſanctione hujus Edicti manifeſtum deprehendi emblema Triboniani & ſociorum, qui *ſolidos ducentos* poſuerunt pro pœna viginti millium ſeſtertiorum. Olim enim ſeſtertiis agebatur, quorum centum unum aureum efficiebant. Vide *l.* 1. *§.* 12. *D. de extr. cognit.* juncto Tacito lib. XI. Annal. cap. 7. & Gronov. de pec. vet. lib. II. cap. 5. Sub occupata republica horum

Aureorum mature fit mentio, apud Plinium, Juvenalem, Dionem, Suetonium & Juriſconſultos, neque omnia horum loca, ubi aureus occurrit, interpolata eſſe dicere auſim, cum Wiſſenbachio, in Emblem. Tribon. ad l. ult. D. de jus in voc. licet non diffitendum ſit; millia ſeſtertiorum Pauli *lib.* III. *tit.* 5. §. 10. in aureos mutata eſſe, in *l.* 25. §. 2. *D. de SCt. Silan.* & alibi quoque, uti Cujac. lib. XIX. Obſ. cap. 31. notavit. *Aureorum ſolidorum* primus meminit Lampridius in Alex. Severo cap. 39. ut tamen incertum ſit, illius, an ſui, id eſt Conſtantinei ſeculi voce uſus fuerit. Quapropter nec accedo Roberto Cenali, qui de pond. & menſ. rat. in Theſ. Grævii tom. XI. pag. 1548. ſcribit: *Leges quotquot ſcriptis redactæ ſunt a JCtis, qui Alexandri Mammeæ tempore floruerunt, de ſolidis aureis didrachmalibus, quorum quatuor unciam implent, intelligendas eſſe.* Solidus vero abſolute pro aureo uſurpatus ante Diocletianum vel Conſtantinum M. vix legitur; quo imperante, & gaudente mutationibus veterum inſtitutorum, id vulgo obtinuit, uti Scaliger. in poſtumo de re monet. libello, in Theſ. Gronovii tom. IX. & du Frene, in Diſſert. de Imp. Conſtant. numm. n. 76. ex Codice Theodoſiano,

Iſidoro

Iſidoro aliisque oſtenderunt. Adeoque minime ſolidi, vel aurei, ab Ethnicis Imperatoribus ſignati, ſed quos Imperatores Chriſtiani cuderunt, ita ut ſinguli ſextam unciæ partem, & ſeptuaginta duo libram auri efficerent, hic intelligendi ſunt; hos enim Juſtinianus precibus Viglii Pontificis inductus, ubique gentium valere juſſit.

Nota ſunt quæ de ſolidi æſtimatione viri ſummi, Cujacius lib. XIX. Obſ. cap. 31. & Hotman. lib. IV. Antiq. pag. 678. acrius, nec ſine conviciis, diſputarunt. Sane pondus & pretium, uti olim aureorum, ita poſtea & ſolidorum variavit. Priſco tempore quadraginta aurei ex libra ſignabantur, ut Plinius ſcribit lib. XXXIII. cap. 3. Sed paullatim imminuti, & ævo Alexandri Severi ad duas drachmas contracti ſunt; ſub Conſtantinopolitanis autem Imperatoribus pondus diverſum & minus fuit. Plerique Conſtantini ævo 84. ſub Valentiniano autem 72. ſolidos in libram auri computatos, ajunt, atque ita, temporibus diſtinctis, conciliant *l.* 5. *C. de ſuſcept.* & *l.* 13. *C. Th. eod.* cum *l.* 1. *C. Th. de ponderat.* ſed quia ne ſic quidem quaternorum ſcriptulorum conſtat ratio, forſan Panciroli & Savoti de numm. antiq. p. 111. cap. 17. emendatio eſt recipienda, qui in

d. l. 1. pro VII. ſolidis VI. & pro XIV. potius XII. ſcribendum eſſe voluerunt, id quod etiam Joh. Fred. Gronovius lib. IV. de pec. vet. cap. 13. calculo ſuo probavit. Aureus olim differebat a ſolido proportione ſeſcupla, ita ut 48. aurei libram auri efficerent: ſed a Conſtantini & Juliani tempore ejus pondus ita decrevit, ut tempore Juſtiniani ſolido par fuerit; quapropter ſolidus & aureus promiſcue accipiuntur, ut conſtat ex *l.* 24. *D. de in jus voc.* junct. *§. f. Inſt. de pœn. tem. lit. l.* 5. *§.* 6. *D. de his qui effud.* junct. *§.* 1. *Inſt. de oblig. quæ quaſi ex del.* & *l.* 37. *§.* 1. *D. de pecul.* junct. *l.* 1. *C. comm. de legat.* Vid. Ant. Auguſtin. lib. 11. Emendat. cap. 9. & Covarruv. in vet. numiſm. collat. cap. III. tom. 1. Oper. pag. 576. Hoc vero non eo dictum volo; ut nota quædam falſi, audaciæ aut ſtultitiæ inuratur Pandectarum architectis, tanquam male de nobis meritis: quicquid enim hi ad mores ſui temporis detorſerunt, mandato Juſtiniani eſt tribuendum; qui Prætorum aut Ædilium edicta confirmaturus, ſimul monetam veterem interpretari, eamque ſuæ exæquare debuit, cum omnes Digeſtorum libros quaſi a manu ſua accipi voluerit. vid. ejus *l.* 1. *§.* 6. 7. *l.* 2. *§.* 10. *l.* 3. *§.* 20. *C. de Vet. jur. enucl.*

CA-

CAPUT II.

DE OCCASIONE ET NECESSITATE AEDILITII EDICTI.

Ædiles curules Edictum hoc propoſuerunt, qua viarum, non autem fori inſpectores, contra Maranum. Fuit illud a ceteris eorum Edictis, quæ vel ſuperſunt, vel perierunt, ſeparatum. Canes & moloſſi ad limina ditiorum. Verres & ſues in haris pauperum urbanis. Vivaria aprorum extra Urbem. Lupi, urſi, pantheræ & leones in caveis Magnatum, partim ad oſtentationem, partim ad ludos Circi cruentos. Stupendus harum belluarum numerus ex ſilvis Africanis & Syriacis, ferreis in caveis Romam advectus, tam ſub libera, quam occupata Republica. Frequentes ſtrages ab illis negligentius cuſtoditis. Exordia hujus edicti ex jure Hebræo. Exod. XXI. *vſ.* 28. *ſeq. inde ad Phœnicas, ab his ad Græcos venit. Solonis lex de cane mordente, a Xenophonte, Platone & Paulo in Sententiis laudata, ab Ædilibus extenſa, & diligentius, quam a Decemviris, expoſita. Edictum hoc late valuit in provinciis, quæ pompam ludorum imitabantur. Amphitheatrorum index, quæ extra Romam.*

Pri-

PRimariam Edicti cauſam à cura viarum, Ædilibus curulibus mandata, repetendam eſſe cenſeo: neque enim hi munere ſuo ſatis ſe perfunctos rati ſunt, ſi puræ eſſent plateæ, & ab omnibus, quæ liberum tranſitum impedirent, vacuæ; ſed feroces quoque canes & ſævas belluas procul a viis arcendas crediderunt, exemplo Aſtynomorum, quibus Plato, in Republica ſua, mandavit lib. VI. viderent, ne hominum corpora, viſceribus ſuis nudata, a feris beſtiis in via publica comederentur. Hæc autem viarum urbanarum curatio, cum magnam, ut ſupra vidimus, muneris Ædilitii partem occupaverit, nihil cauſæ habuit doctiſſimus Maranus, cur in Parat. D. de Ædilit. edict. occaſionem hujus Edicti retulerit ad animalia, quæ in foro & viis publicis venum exponebantur: quis enim unquam dixit aut ſcriptum nobis reliquit, leones & feras quasque beſtias Romæ, inſtar equorum & boum, publice venales proſtitiſſe? aut forum ibi ferarum, ſicut ſuum & jumentorum fuiſſe?

Non magis ſubſcribo Alberico a Porta, Fulgoſio, Zoeſio, Bockelmanno, ejusque aſſeclis, qui unicum tantum Ædilium Curulium crepant Edictum; cujus primo capite emtoribus mancipiorum; alte-

altero his, qui jumenta emunt; & tertio viatoribus proſpiciatur. Quæ enim connexio capitis tertii cum prioribus? & quidni potius dicamus, Ædiles de variis cauſis, ad jurisdictionem ſuam pertinentibus, exemplo Prætorum, diverſa edicta propoſuiſſe, inde a Plauti uſque temporibus, qui *Edictiones Æditlitias* memoravit. Hæc vero deinde in unum corpus collecta, licet juris honorarii portio eſſent, Edictis Prætorum olim non continebantur, ſed propria collectione, quæ tamen priori cohærebat, erant comprehenſa: donec Julianus, cum Edictum perpetuum ordinaret, quædam ex iis ſeligenda eſſe duxit, *l.* 2. §. 5. *C. de vet. jur. enucl.* Theophilus ad §. 7. Inſt. de J. N. G. & C. *Ædiles*, inſit, *de quibuſdam cauſis jus conſtituebant*, & *Edictum eorum factum eſt portio*, & *cohæret edicto amborum Prætorum*, *Urbani* & *Peregrini.* Sic Gellii illud accipio lib. IV. cap. 2. *In edicto Ædilium Curulium*, *qua parte de mancipiis vendundis cautum eſt*, id eſt in corpore edictorum AEdilitiorum, partibus & titulis diſtincto, ad quod Cajus, Ulpianus & Paulus ſingulares commentarios ediderunt. Ipſi ſane JCti Edicta diſtinguunt in *l.* 1. §. 2. 3. 4. *l.* 38. §. 1. 2. *l.* 63. *D. de Ædilit. ed.* & ne quis omnia

AEdi-

AEdilium edicta ſub illum titulum relata credat, ecce deperditi cujuſdam edicti, de puero alieno non caſtrando, meminit l. 27. §. 28. *D. ad L. aquil.* Ovidius nos docet lib. VI. Faſt. vſ. 663. AEdiles ſumtus funeris edicto coarctaſſe, ne plures, quam decem tibicines pompam funeris irent. Alias item actiones, nobis incognitas, quæ certo tempore non finitæ, quia non reſcindebant id quod jure civili ratum erat, ab illis proditas eſſe, ex *l.* 2. *D. de diverſ. & temp. præſcr.* colligere licet; niſi cum Ampliſſimo Bynkershoekio, lib. IV. Obſ. cap. 8. pro *pleræque* ibi legamus *peræque*.

Verius ergo eſt, canes & verres, ſtabula ſua aliquando relinquentes, leones item & pantheras, clauſtra & caveas frangentes, AEdilibus anſam dediſſe prohibendi, ne in poſterum promiſcue haberentur. Et primum quidem ad *Canes* quod attinet, pericula frequentia viatoribus ab his imminuiſſe, nemo dubitabit; ſive enim cogitemus, quod hi nocturni vigiles & cuſtodes incorrupti, ob ſingulare robur, vigilantiam & fidem, ad limina ditiorum plerumque alerentur; ſive quod decumanæ notæ canes, ad tuteſam, greſſus heriles comitantes, *Magnaque taurorum fractura colla Britannæ* in obvios aliquando ruerent, eosque lacerarent; omnino, in

in republica bene conſtituta, cautione opus fuit, ne quis inde quid noxæ caperet aut detrimenti. Uſus præterea docuerat, *Verres* quandoque laceſſitos aut libidine actos ferocire, & homines adoriri, quinimo devorare, unde AElianus ſuem animal antropophagon appellavit. *Verris obliquum meditantis ictum*, cecinit Horat. lib. III. od. 22. Neque dubitandum eſt, an ſues Romæ fuerint frequentes; quia Varro aliique rei ruſticæ ſcriptores copioſe diligenterque de fructu magno ex ſuibus diſſeruerunt. Idem quoque ad carnis pecudem primo loco ſuillam retulit, lib. IV. de L. L. Virgilius quidem lib. III. Georg. quo rei pecuariæ præcepta tradidit, de ſuibus manſuetis nihil dixit, & veteres JCti hæſitarunt, an ſues pecudum appellatione contineantur *l.* 65. *§.* 4. *D. de leg.* 3. quia feram quodammodo habent naturam, nec collo aut dorſo domantur, nullam denique utilitatem præſtant, dum vivunt. Vix tamen fundum quisquam colebat, quin ſues & verres haberet; ſed in ipſa quoque Urbe lutulentæ ſues in plateis ruebant, auctore Horatio; & crebro itu forum nundinarium fundosque petere diſcebant, Plinio teſte lib. VIII. c. 51. *Stantis convicia mandræ*, ait Juvenal. ſat. III. vſ. 237. id eſt haræ, in qua porci

porci includuntur. Aprorum quoque vivaria ceterorumque ſilveſtrium extra Urbem primus togati generis invenit Fulvius Hirpinus, qui in Tarquinienſi feras paſcere inſtituit, nec diu imitatores defuere L. Lucullus & Q. Hortenſius, auctore Plinio lib. VIII. cap. 52. & IX. c. 56.

Major de Apro, Lupo, Urſo, Panthera & Leone dubitatio exſurgit; quis enim, dicat aliquis, tantæ vecordiæ ut belluas has immanes, qua vulgo iter fit, habuiſſe velit? & quid opus fuit prohibitione, cum omnis vir bonus tetras haſce beſtias ex contubernio ſuo ad umbroſa nemora, ultra Sauromatas & glacialem Oceanum proſcriptas optet? Verum non ita fuit Romæ. Prorſus enim ac Reges Medorum, Macedonum et Babyloniorum feras olim in caveis adamarunt, apud Xenophontem, Philoſtratum et Curtium lib. V. cap. I. ac hodie Reges et Principes, oſtentationis gratia, et in magnificentiæ argumentum, leones, pantheras, leopardos, tigrides, aliasque ejusmodi beſtias generoſas alunt, ſic etiam Magnates Romani, proximorum incurioſi, longinqua ſectabantur, et belluas in clathris et cancellis ferreis vel ligneis continebant, de quibus multa Heinſius ad Claudian. lib. III. de laud. Stilicon. vſ. 272. et ad Silium

lium lib. I. vſ. 569. De Paſitele ſculptore Plinius ſcribit lib. XXXVI. cap. 5. *Accidit ei, cum in Navalibus* (hæc fuerunt in tertia regione Urbis ad Aventinum) *ubi feræ erant, per caveam intuens, leonem cælaret, ut ex alia cavea panthera erumperet, non levi periculo diligentiſſimi artificis.* Neque unus forte & alter, ſed plurimi ejuſmodi beſtias, ſive feras, ſive manſuefactas aluiſſe videntur, uti conjicio tum ex *l.* I. §. 10. *D. ſi quadr. paup.* tum ex Juvenal. ſat. VII. vſ. 75.

- - - Nec defuit illi,
Unde emeret multa paſcendum carne leonem
Jam domitum: conſtat leviori bellua ſumtu
Nimirum, & capiunt plus inteſtina poëtæ.

Deinde notum eſt, Leonum, urſorum & pantherarum venationes, in cruentis Circi vel amphitheatri ſpectaculis, maxima copia, jam inde editas eſſe, ex quo Q. Mucius P. F. Scævola, in Curuli ædilitate, primus leonum pugnam dedit, Plin. lib. VIII. H. N. cap. 16. Scaurus autem ædilitate ſua varias, id eſt, pardos mares variegatos, centum quinquaginta univerſas miſit, Pompejus quadringentas decem, Auguſtus quadringentas viginti, Plin. eod. lib. cap. 17. Domitius item Ahenobarbus, Ædilis Curulis, urſos Numidicos

 cen-

nunc immanitatem ferarum, nunc manſuetudinem incognitam præbentis, admiratione cunctatur & hæret, unde hæc copia parari potuerit aſſidue, & ſub uno Principe ſæpius: nec enim una aut triplex Africa, cum Aſia & Europa ei ſuffeciſſe videtur. Quanti labores iis conquirendis impenſi fuerint, Petronius eloquatur ita canens cap. 119.

Quæritur in ſilvis Mauri fera, & ultimus Ammon
Afrorum excutitur, ne deſit bellua dente
Ad mortes pretioſa fames, premit advena claſſes
Tigris & aurata gradiens vectatur in aula,
Ut bibat humanum, populo plaudente, cruorem.

Hac de cauſa venatio Leonum in ſilvis Africanis & Syriacis fuit privatis interdicta, niſi ſacris codicillis id impetraſſent; urſos vero venari per Numidiam cuivis, et comparare et alere licuit vid. *l. un. C. l.* 1. *&* 2. *C. Th. de venat. ferar.* quæque Franciſcus Amaya et Jac. Gothofredus, in commentariis, ibi obſervarunt.

Jam quidem ferreæ caveæ portatiles advehendis et continendis feris illis in uſu erant, quas Græci δεξαμψύας, vel μελεάγρας vocant, quarumque Symmachus lib. 11. epiſt. 77. uti Claudianus Paneg. III. in

laudem Stilic. vſ. 272. retium et clathrorum meminere:

Retibus & clathris dilata morte tenendæ
Ducendæque feræ.

Poſtea ilignas domus addit, ſeu caveas ligneas vſ. 322.

Hæc laqueis innexa gemunt: hæc clauſa feruntur
Ilignis domibus, fabri nec tigna polire,
Sufficiunt, rudibus ſagis texuntur & ornis,
Frondentes caveæ &c. &c.

Vix autem tanta diligentia in illis cuſtodiendis adhiberi potuit, quin aliquando erumperent et media in civitate horrendas ſtrages ederent. Tertullianus ad Martyres, c. 6. *Quoties feræ, & in ſilvis ſuis, & in mediis civitatibus, elapſæ caveis homines devoraverunt?* Ammian. Marcellinus lib. XXVIII. cap. I. *Maximinus effudit genuinam ferociam, pectori crudo affixam: ut ſæpe faciunt amphitheatrales feræ, diffractis tandem ſolutæ poſticis.* Lamprid. in vita Diadumeni c. 5. *Leo ruptis vinculis & quidem ferus effugit.* Triſte exemplum legitur lib. XVI. Hiſtoriæ miſcellæ: *Menſe Martio exſiluit elephas e ſtabulo noctu, & interfecit multos, alios debilitavit.* Hinc Chryſoſtomus homil. 60. in Matth. vivaria publica, in quibus be-

ſtiæ ad ſpectacula cuſtodiebantur, ſcribit, remota fuiſſe a Curia, Prætorio ac Palatio, ne forte beſtiis erumpentibus, periculum his in locis cuiquam crearetur. Quinimo Nardinus Romæ vet. lib. IV. c. 2. Vivarium Romanum extra muros Urbis ad portam Præneſtinam fuiſſe, ex ruderibus oſtendit, cui ſuffragatur Procop. lib. I. *Acie inſtructa circa Præneſtinam portam, ad eam muri partem mox ducit, quam Romani Vivarium vocant.* Juſſit id ſine dubio multitudo caſuum luctuoſorum, quæ noſtros quoque Ædiles, ludorum editores, et pericula crebra edoctos, jam ſub libertate excitavit, ut hoc Edictum, adverſus cives oſtentatores, vel Magiſtratus, aut privatos, ludos daturos, vel alios quoſcunque proponerent, quo ipſi et cives formidine liberarentur.

Hæc de occaſione & neceſſitate hujus Edicti ſufficere poterant, niſi quis forte de ejus fonte, origine & progreſſu quædam attexi poſtulet. Quotquot, cum Tertulliano, Caſſiodoro & Hugone Grotio, in ea ſunt ſententia, leges Romanas de lege divina, ut antiquiore, formam eſſe mutuatas, illi exordia hujus Edicti ex jure Hebræo Exodi XXI. vſ. 28. repetenda exiſtimabunt, inde ad Phœnicas, ab his ad Græcos perveniſſe: nam Solon, aucto-

re Plutarcho, in ejus vita cap. 40. inter alias leges de damno, quod quadrupes dediſſet, poſuit hanc: Κύνα δακόντα καραδῦναι κλοίῳ τετραπήχει δεδεμένον. *Canem, qui momorderit, catena quatuor cubitorum revinctum, noxæ dato.* Ad hanc reſpexit Xenophon lib. II. Hiſt. Græc. τοὺς δάκοντας κύνας κλοιῷ δήσαντες παραδιδόασι: *canes, qui momorderunt, catena vinctos, noxæ dedunt.* Eandem quoque repetiit Plato lib. XI. de LL. his verbis: Ἐὰν ὑποζύγιον ἢ ἵππος, ἢ κύων, ἤ τι τῶν θρεμμάτων σίνηταί τι τῶν πέλας, κατὰ ταὐτὰ ἐκτίνειν τὴν βλάβην. *Si jumentum, aut equus, aut canis, aut aliud quod domeſticum animal nocuerit, dominus eodem modo damnum reſarcito*, ac ſi ſervus dediſſet: nimirum noxam dedendo, vel reſtituendo quod alteri abeſſet, niſi interceſſerit dolus. An vero Paulus Solonis legem laudaverit lib. I. Sent. tit. 15. §. 1. in verbis: *quadrupede cedat, quod etiam lege Peſulania de cane cavetur*, non ſatis conſtat. Cujacius, Auguſtinus & Rittershuſius malunt *Solonia*, quibus ego aſſentior, donec natales legis *Peſulaniæ* clarius, quam adhuc factum eſt, in lucem proferantur. Nota erat lex Solonis Paulo, quæ in XII. Tabulas quoque tranſlata fuit, tab. VII. *Si quadrupes pauperiem faxit, dominus noxi æſtimiam offerto; ſi nolet, quod noxit dato.*

Puta-

Putarunt namque Decemviri ſatis eſſe, damnum vindicari, quod contra naturam ſui generis laſcivia aut pavore dediſſet quadrupes, id eſt, equus calcitroſus, vel bos cornupeta, âliudve animal, quod dorſo & collo domatur, ut Ulpianus definit *Frag.* XIX. 1. De ceteris animalibus, quæ ex generis ſui natura ſævire ſolent, non valde tunc temporis ſoliciti fuerunt, quia rarius illa Romæ habebantur. Canem vero, domus cuſtodem ſub quadrupedibus contineri, placuit in interpretatione Prudentum *l.* 1. §. 5. *l.* 2. §. 1. *D. ſi quadr.* forſan & utilis quadrupedaria ad beſtias manſuefactas ac feras, quæ in alicujus poteſtate eſſent, extenſa fuit *d. l.* 1. §. 2. 10. *l. pen. D. eod.* Verum AEdiles deinde, ob luxuriem quæſtionum, quotidie ex culpa emergentium, noluerunt amplius dominum ferocis animalis noxæ dando defungi poſſe, ſed prudenter contra omnes, qui animal quodcunque ferox, ſive ferum, ſive manſuetum, ſive manſuefactum, ibi habuerint, qua populi iter fit, pœnam pecuniariam, ſi nocuiſſet, propoſuerunt; quo iter facientes ſervarentur indemnes, & incauti domini plecterentur. Hæc vero tandem in extraordinariam fuit converſa, ſi reus non haberet in ære, uti infra ex Paulo *l.* 1. *tit.* 15. §. 2. dicemus.

Propoſitum eſt hoc Edictum initio Romæ tantum, ſed deinde ob inſignem utilitatem, maxime vero poſt compoſitum Edictum perpetuum, et datum omnibus in orbe Romano habitantibus jus civitatis, una cum ceteris AEdilium Edictis, late in provinciis valuit. τὰ δὲ τούτων ἔδικτα ἐκράτει καὶ ἐν ταῖς ἐπαρχίαις. *Horum*, AEdilium ſcilicet, *edicta etiam in provinciis obtinebant*, ait Theophilus, ad §. 7. Inſt. de J. N. G. et C. Merito autem hoc ubivis obtinuit, quia iter facientibus proſpicit, et magnificentia luxuſque per Italiam et provincias indies magis magiſque, a Tiberii ævo, augebatur. Nam ut liberi parentum vitia facilius exprimunt, quæ ſpecie amœnitatis blandiuntur, ſic coloniæ et municipia pompam ludorum æmulabantur, adeo ut noxii, perdita ſecuritate ſuis epulis beſtiarum ſaginas inſtruentes, illas, in apparatu arenæ, argenteis geſis inceſſerint, auctore Plinio lib. 33. c. 3. De Demochare, in civitate Platearum, munus gladiatorium edituro, ſive vere, ſive ficte, ita ſcribit Apulejus lib. IV. Metam *Qui præterea numerus, quæ facies ferarum? nam præcipuo ſtudio forenſi advexerat etiam generoſa illa damnatorum capitum funera. Sed præter ceteram ſpecioſi muneris ſupellectilem, totis utcunque patrimonii viribus imma-*

immanis urſæ comparabat numerum copioſum. Nam præter domeſticis venationibus captas, præter largis emtionibus partas, amicorum etiam donationibus variis certatim oblatis, tutela ſumtuoſa ſollicite nutriebat. Ipſi etiam de plebe municipes et libertini homines, favorem vulgi captantes, munera edebant; unde Juvenalis notas per oppida buccas, et Martialis ſutorum regulum cerdonem ludos edidiſſe, indignantur. Adde Plinium lib. 35. c. 7. et Tacitum lib. IV. Annal. c. 63. Vix denique colonia nobilior ſupereſt, in qua non inſanarum iſtarum cædium reliquiæ. Gallia magnam amphitheatrorum copiam dedit, nec minorem quam Italia; Forojulum, Arelate, Nemauſum, Burdigala et Auguſtodunum rudera oſtendunt. Tintinnacenſe deſcripſit Baluzius in Hiſtoria Tutelenſi, Nemauſenſe Joannes Poldus, Arelatenſe Joſephus Guiſius, Arauſionenſe Joſephus de la Piſe, Burdigalenſe Elias Vinetus, Veronenſe Torellus Sarayna. De Puteolano, Campano et Mediolanenſi Lipſius de Amphitheatris, quæ extra Romam, et Montfaucon. tom. III. Antiquit. pag. 158. adeundi ſunt.

CAPUT III.

DE SENTENTIA EDICTI ÆDILITII.

Ædiles vetant haberi omne, quod nocere poſſit, animal, qua vulgo iter ſit, ut canes feroces ſolutos; ſed domus illos defenſores vinctos ad limina ædium excubare permittunt. Oſtiarii ſervi, pariter ac canes, in catena. Januis Græcorum & Romanorum inſcriptum: Cave, cave canem. *Philip. III. vſ. 2. illuſtratur. Canes interdiu clauſi, noctu ſoluti, tam in Urbe quam ruri. Feras beſtias prope viam licuit habere, clauſtris & caveis recte incluſas. Leones, pantheræ & urſi manſuefacti, ſub jugum miſſi, bigas & quadrigas in publico traxere. Circulatores, qui ſerpentes aliaque animalia peregrina quæſtus cauſa proponunt, in hoc Edictum incidunt, vel extra ordinem coercentur. L. ult. D. de extraord. crim. ab Accurſio & Forcatulo perperam explicata. Quid ſit habere, qua vulgo iter ſit.*

ÆDiles igitur ferocia quævis animalia, tam domeſtica, quam fera, haberi vetantes, qua vulgo iter ſit, canem, verrem, aprum, lupum,

pum, urſum & pantheram exempli cauſa addunt: Ne quis vero exiſtimaret reliquas malefici generis belluas, ut tigrides, unicornes, elephantos, uros, vel etiam quadrupedes & jumenta, contra naturam generis ſui efferata, ut equos calcitrones & boves petulcos permitti, *generaliter*, id eſt, in univerſum, tanquam clauſulam generalem adjiciunt: *aliudve, quod noceret animal, ſive ſoluta ſint, ſive alligata, ut contineri vinculis, quo minus damnum inferant, non poſſint.* Quorum verborum, ſive ea Ædilium, ſive Pauli ſint, mentem ut recte percipiamus, rurſus in memoriam revocandum eſt, quod ſupra oſtendimus pag. 421. animal, *quod noceret*, idem hic eſſe, quod nocere poſſet vel ſoleat: non omnes enim omnino canes & verres ex publico pelluntur, ſed feroces & immanes. Hinc Baſilica canem vertunt, κύνα ἄγριον, atque ita in Synopſi legendum eſſe, recte Labbæus animadvertit. Phædrus & Seneca canem *acerem*, Paulus ferocem appellavit in *l. 2. §. 1. D. Si quadr. paup.* eoque pertinet *aſperitas canis*, ab Ulpiano memorata in *l. 1. §. 5. eod.* quam Græci τραχύτητα appellant. Minime autem haberi prohibent vertragos & ſagaces venaticos, quorum non ſibi, ſed domino venantium, haud mediocris mul-

multitudo fuit in divitum prædiis; neque reliquos mites, vocales & ad nocturnos ſtrepitus ſolicitos; quos Varro *domus defenſores*, Phædrus *liminis cuſtodes* appellavit. *Nihil enim mali eſt, canes ibi quam plurimos eſſe, ubi permulti obſervandi, multaque ſervanda ſunt*, ait Tullius pro Roſcio cap. 32. In ipſo Capitolio alebantur canes, ſemper in eos ſævientes, qui ſoli ingrederentur; alii in æde Vulcani ædituos agebant, neminem allatrantes, niſi ſacrilegos, vid. Gell. lib. VII. cap. I. & Valer. Max. lib. IX. cap. 13. Eleganter Columella lib. VII. de R. R. c. 12. *Quis hominum clarius, aut tanta vociferatione beſtiam aut furem prædicat, quam iſte latratu? quis famulus amantior domini? quis fidelior comes? quis cuſtos incorruptior? quis excubitor inveniri poteſt vigilantior? quis denique ultor aut vindex conſtantior?* De canum fide, robore & ſagacitate multa Plinius, Plutarchus, Ælianus, item Janus Vlitius ad Gratii Cyneg. Joh. Cajus de can. Britann. & Lipſius cent. I. ad Belgas epiſt. 44. quo, poſt Julium Cæſarem Scaligerum, animalis hujus blandientis nemo fuit amantior.

Verumenimvero quia dubitari poterat, an non canes feroces, ante aulas potentiorum, in vinculis, aut clauſtris habere liceat,

ceat, ſi nullum ab iis metuendum ſit periculum, ideo AEdiles elogium ſuum declarant ulterius, in verbis: *ſive ſoluta ſint, ſive alligata, ut contineri vinculis, quo minus damnum inferant, non poſſint*, tacite permittentes animalia, etiam fera, prope vias alligata habere, modo vincula ſufficiant ad continendum, eaque non facile ab iis queant revelli. Hanc explicationem nobis ſuggerit particula *ut*, pro qua male Haloander *ſive*, alii *aut* legunt, & confirmant Græci, tum in Baſilicis lib. XIX. tit. 10. n. 26. ζῶον λελυμένον, ἢ μὴ οὕτως δεδεμένον ὥστε μὴ δυνάσθαι βλάπτειν, *Animal, ſive ſolutum, ſive non ſic alligatum, ut damnum inferre nequeat.* tum Harmenopulus προχ. lib. VI. tit. 1. §. 2. Ο ζῶον ἄγριον βλαπτικὸν λελυμένον, ἢ μὴ οὕτως δεδεμένον, ὥστε μὴ δυνάσθαι βλάπτειν ἔχων ἐν δημοσίᾳ παρόδῳ. Hoc ipſum denique indicant verba ſequentia Edicti *in l.* 42. *ita habuiſſe velit, ut cuiquam nocere, damnumve dare poſſit*, quæ ſola rem omnem conficiunt. Conſtat præterea Romæ, pariter ac apud Græcos, canes fuiſſe acres, ad limina ædium, ſed vinctos catena, qui fures, januam intraturos, magno tumultu excipiebant. Apud Homerum Iliad χ. Priamus ait, ſe aluiſſe, κύνας πυλαωροὺς ἐν προθύροισι κειμένους, *Canes portæ cuſtodes, qui pro foribus excubabant:* & AEſchylus, in Agamem-

memnone, idcirco eos, qui res cuſtodiunt, κύνας appellavit. Seneca, declamator Romanus, *catenarium canem* vocat lib. III. contr. 20 & alter Seneca lib. III. de ira c. 37. *Iraſceris ergo catenario cani?* ubi male Voſſius, in Inſt. orat. janitorem vel oſtiarium interpretatur. Petronius cap. 72. ad *januam venimus, ubi canis catenarius.* Præſto autem erat plerumque atrienſis, qui interventu ſuo canem placaret, & a foribus abduceret, Plaut. Moſtell. III. ſc. vſ. 167. Quinimo janitores, ſive oſtiarii, æque ac canes catenati, in limine domini & in cellulis, quæ magnarum domorum aut inſularum foribus erant adſtructæ, excubabant. Multis id docuit Faber lib. II. Sem. c. 12. Brodæus lib. III. Miſc. c. 3. & Sagittarius de jan. vet. c. 16. ideoque paucis erimus contenti. Meminit *oſtiarii* Alfenus Varus in *l.* 61. *D. de legat* 3. Ulpianus in *l.* 12. *§.* 9. *&* 42. *D. de. inſtruct. & inſtrum. leg.* Sueton lib. VII. c. 16. *confugitque in cellulam janitoris, religato pro foribus cane.* Idem de clar. Rhet. c. 3. *Lucius Octacilius Pelitus ſerviſſe dicitur, atque etiam hoſtiarius, veteri more, in catena fuiſſe.* Ovid. lib. I. Amor eleg. 6. init.

Janitor indigne, dura religate catena,
Difficilem moto cardine pande forem.

Hoc

Hoc amplius qui canem ejuſmodi mordacem alebant, imagine canis, in pariete vel janua picti, cum inſcriptione CAVE CAVE CANEM, monebant ingreſſuros, ut a cane ſibi caverent. Varro Eumenidibus, apud Nonium, in voce *præbitio*, mihi eſt auctor: *Quod ea die mea præbitio, in janua, Cave cave canem, inſcribi jubeo*: hoc eſt, cum hodie convivium parandum ſit, januæ meæ cave canem inſcribi juſſi, ut ab aditu deterreantur, qui ad condictum venturi ſunt. Petronius cap. 29. *Ad ſiniſtram intrantibus, non longe ab oſtiarii cella, canis ingens catena vinctus in pariete erat pictus, ſuperque quadrata litera ſcriptum, Cave cave canem.* A Græcis illud ſumtum eſſe, ex Lyſiſtrata Ariſtophanis docuit Turnebus lib. XV. Adverſ. c. 4. & deinde proverbii more uſurpatum a Veteribus, cum aliquem terrere, arcere, vel hominem maledicum caveri vellent; unde & ſatyra Varronis hac inſcriptione fuit. Huc etiam Thomas Gatakerus Adverſ. miſcell. c. 38. illud Pauli referendum putavit Philipp. III. vſ. 2. βλέπετε τὰς κύνας, *cavete canes*, id eſt, Eccleſiæ hoſtes, qui rabidorum canum inſtar Apoſtolos impetebant.

Vinctos ergo canes habere licuit, neque damnum ab iis datum luebatur, ſi quis

quis moniti & inſcriptionis ſecurus, in aream vel domum alienam ſe contuliſſet. In agris vero Catonis præceptum erat cap. 124. de R. R. *Canes interdiu clauſos eſſe oportere; ut noctu vigilantiores ſint & acriores.* Repetiit Varro lib. I. de R. R. c. 21. *Canes potius cum dignitate, & acres paucos habendum, quam multos, quos conſuefacias potius noctu vigilare, & interdiu clauſos dormire, catena vinctos eſſe, ut ſoluti acriores fiant.* Nocturnorum canum meminit Cicero pro Milon. c. 13. & illum tuto dormire poſſe, qui canem habet cuſtodem, dixit Libanius in progymn. Ipſe Canis de ſe apud Phædrum lib. III. fab. 7.

Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce ut quieſcam & vigilem, cum nox venerit,

In Urbe vero & Municipiis æditui & janitores ſub noctem in baſilicis, inſulis, & ædibus undique clauſis, canes efferatos ſolvebant, atque in ſacrilegos fureſque mittebant vigiles hos, ſemper intentos, & ſuper omnes ſtationarios ſolicitos. Argumentum hujus rei peto ex Seneca, qui de brevit. vit. c. XI. quosdam in cauſis agendis ita actuoſos fuiſſe, ſcribit, ut eos a claudenda *baſilica immisſi demum canes ejecerint.* Atque hæc de animalibus ferocibus manſuetis.

Feras

Feras autem ſævas & ſanguine humano gaudentes, nunquam ſolutas, verum clauſtris & caveis incluſas habere licuit; modo vincula eſſent firma & ſufficerent ad impetum earum reprimendum: alioquin ſi ex vinculis, quibus irritantur, erumpunt, ſunt ferociores, & iras ingentes, quas diu in pectore volverunt, exequuntur, auctore Liv. lib. 34. cap. 4. & 35. cap. 18. Libanius, in encomio Dianæ tom. 1. *Si forte quædam ex illis beſtiis, quæ in vivariis diu maceratæ ſunt, elapſa e cavea per civitatem diſcurrere cœpit, ſolo adſpectu terrorem injicit. Continuo ſibi quisque perſugium quærit, januæ clauduntur.* Beſtias autem accipere debemus ex feritate magis, quam ex animalis genere: quid enim ſi leo ſit manſuefactus, non erit Edicto locus, ſaltem quamdiu ad priſtinam aſperitatem non eſt reverſus. Erant quippe manſuetarii, qui belluas ſæviſſimas manſuefacerent, ut quæ antea ad occurſum hominum expaverant, ſub jugum miſſæ currus traherent, ſubſiderent in genua, ambularent per funem, atque in contubernium & domus divitum reciperentur. *l.* 1. *§.* 6. *D. de poſtul. l.* 4. *D. A. R. D.* Hinc in ſchematibus Deorum, Auguſtorum, & Auguſtarum bigæ quadrigæque elephantorum, leonum & pan-

therarum conſpiciuntur, ac Heliogabalus *proceſſit in publicum quatuor cervis junctis ingentibus : junxit ſibi & leones, Matrem magnam ſe appellans: junxit & tigres, Liberum ſeſe vocans*, auctore Lamprid. in ejus vita c. 28. Quouſque domitores illi profecerint late deſcribit Manil. lib. IV. Mart. lib. I. ep. 105. Seneca Epiſt. 85. fin. & lib. II. de ira cap. 31. ubi: *Adſpice intra domum urſorum leonumque ora placida, tractantibus pueris pariter ac feminis, adulanteſque domino feras.* Ædiles igitur has domitas beſtias haberi non vetant, quamdiu ferus, quem exuerant, non rediit animus: at ſi torvitas mitigata in perniciem vel damnum aliorum rurſum exaſperatur, qui eas aluit incidit in Edictum: nam ut Martialis de urſo cecinit, lib. VI. Ep. 64.

Sit placidus licet, & lambat digitoſque manuſque,
Si dolor, & bilis, ſi juſta coëgerit ira,
Urſus erit

Ita de leone Statius lib. II. Achilleid. vſ. 183.

Ut leo, materno cum raptus ab ubere, mores
Accepit, pectique jubas hominemque vereri
Edidicit, nullaſque ruit, niſi juſſus, in iras:

Si

Si ſemel adverſo radiavit lumine ferrum,
Ejurata fides, domitorque inimicus, in illum
Prima fames, timidoque pudet ſerviſſe magiſtro.

Eodem hoc Edicto tenentur Circulatores, qui ſerpentes, urſos, leones, ſimias, cercopithecos, aut ſimilia animalia circumferunt, & quæſtus cauſa oſtendunt, ut tamen, pro ratione circumſtantiarum, extraordinariæ quoque actioni ſit locus. Paulus lib. 1. Sent. in *l. ult. D. de extraord. crim. In circulatores, qui ſerpentes circumferunt, & proponunt, ſi cui ob eorum metum damnum datum eſt, pro modo admiſſi, actio dabitur.* Male Accurſius hunc locum accepit de agyrtis, qui propoſitis ſubito ſerpentibus, metum hominibus incutiunt, ut fugiant, & res ſuas dimittant, alii autem veniant, qui eas furentur. Potius circulatores hic ſunt præſtigiatores, qui animos hominum ſenſusque quadam veritatis ſpecie illudunt, & ludicra edunt, coram populo, in modum circuli circumſtante, unde & nomen. Gloſſæ *Circulator* ὀχλάγωγος, ἀγύρτης. Talis erat L. Clodius, *pharmacopola circumforaneus*, apud Ciceron. pro Cluent. c. 14. & *Circulator Antonius*, notiſſimus homo Hiſpali, apud eundem lib. x. epiſt. 32. Se-

neca lib. VI. de benef. c. XI. *Alter apud proximum circulatorem reſedit.* Prudent. Hymn. in Roman. vſ. 303. *Quos ſæpe falſus circulator decipit.* Hi vero ſæpius animalia peregrina, fera, manſuefacta, arteſve edocta, accepto pretio proponebant, vel, ad populum alliciendum, gratis monſtrabant. Petron. cap. 47. *Ego putabam petauriſtarios intraſſe, & porcos, ſicut in circulis mos eſt, portenta aliqua facturos.* Celſus lib. v. de medicina c. 27. n. 3. *Colubra tuto eſtur, ictus ejus occidit, &, ſi ſtupente ea (quod per quædam medicamenta circulatores faciunt) in os digitum quis indidit, neque percuſſus eſt, nulla in ea ſaliva noxia eſt.* Iidem quoque impoſtores, cinctum forte cum anguibus faciebant, ad auctoritatem ſibi conciliandam, inuſitata ſpecie; unde *metus* circumſtantium. Steph. Forcatulus, Necyom. dial. 88. n. 4. *Circulatores*, ait, *ſunt præſtigiatores, qui carmine ſerpentes ſopiunt, & deinde ferunt ſibi innoxios, ut alios terreant:* verum non terrendi, ſed conciliandæ exiſtimationis gratia, ſerpentes veneno ſpoliatos circumferebant, licet animos infirmiorum ſæpe metus occuparet. Similiter Bacchi, in feſto Omophagiorum, *ſeſe tortis ſerpentibus incingebant*, ut ait Catullus carm. 65. & inde *oſtenſo angue terribiles* erant, auctore Fir-

Firmico de err. prof. relig. c. 6. Prudentius adverſus Symm. lib. I. vſ. 129.

- - - Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & virides diſcindunt ore chelydros;
Qui Bromium placare volunt.

Nullum itaque noxium animal, ſive id ferum, ſive manſuetum, ſive manſuefactum ſit, *qua vulgo iter ſit*, *habere* licet. Habere dupliciter accipitur: nam & eum habere dicimus, qui rei dominus eſt, & eum, qui dominus quidem non eſt, ſed tenet *l.* 38. *§.* 9. *D. de V. O.* atque eodem modo verba *quæque ibi habuit*, in interdicto unde vi accipiuntur, ut non ſolum res proprias, ſed etiam depoſitas, commodatas, oppignoratas & fructuarias comprehendant *l.* 1. *§.* 33. *D. de vi & vi arm.* Vulgo iter ſit, qua cuivis e populo ire licet; ſive viæ ſint regiæ, ſive aliæ quævis, per fundum privatum cuilibet patentes; ſubeſt enim hic eadem ratio, quam in *l.* 7. *§.* 1. *&* 2. *D. de his qui dejecer. vel effud.* adfert Ulpianus: *quia publice utile eſt, ſine metu & periculo per itinera commeari, & quia iter facientibus proſpicitur, non viis publicis ſtudetur: ſemper enim ea loca, per quæ vulgo iter ſit, eandem ſecuritatem debent habere.*

CAPUT IV.

DE SANCTIONE ÆDILITII EDICTI EJUSQUE ÆQUITATE.

Si liber homo ab animali feroce occiſus, pœna eſt cc. *ſolidorum: ſi vulneratus, judex eum; qui beſtiam habuit, condemnat in id, quod bonum æquum videtur. Ceterarum rerum nomine quantum damni datum factumve ſit dupli. Hunc in finem prodita eſt actio in factum, Æditia; quacum utilis actio noxalis de pauperie, & aliquando criminalis extraordinaria concurrit. Quatenus actiones brutorum ex ſimplicitate naturali dominis imputentur, ſex ſpeciebus diſtinctis explicatur. l.* 1. §. 11. *D. ſi quadrup. paup. aliter quam a Grotio expoſita. Exodi* XXI. *vſ.* 29. *& Baba Kamma illuſtratur. Jus gentium Germanicarum, Saliorum, Ripuariorum, Saxonum &c Cur Ædiles beſtiis occidentibus nullam dictarint pœnam. Leges hac de re Hebraeorum & Græcorum explicatæ. Exempla brutorum quaſi punitorum vetera & recentiora. Deodanda Anglorum.*

Vidi-

Vidimus partem Edicti priorem prohibentem, ſupereſt de pœnali dicamus. Ajunt Ædiles: *Si adverſus ea factum erit, & homo liber ex ea re perierit, ſolidi ducenti: Si nocitum homini libero eſſe dicetur, quantum bonum æquum judici videbitur, condemnetur: ceterarum rerum, quanti damnum datum factumve ſit, dupli.* Condemnatio diverſa eſt ex re, cui nocitum eſt, & diſtinguunt AEdiles. 1. An liber homo occiſus 2. An liber homo vulneratus 3. An in ſervi corpus vel in alias res damnum datum ſit. Si liber homo, ab animali feroce occiſus, datur ejus heredi, non ut heredi, ſed ut uni de populo, actio in factum ad ducentos ſolidos; non pro liberi corporis æſtimatione, quam nullam recipit, ſed pro pœna mera, agnato, affini, vel cuilibet de populo agenti applicanda *arg. l.* 1. *§.* 5. *l.* 5. *§.* 5. *D. de his effud.* Nec refert, mas an femina, filiusfamilias, an paterfamilias, infans an adultus perierit: nam & Homerus Iliad. XXIII. eis verſibus, qui referuntur in *l.* 16. *§.* 8. *D. de pœn.* infantis cædem ἀνδροκτασίαν vocat; & Imperatores capite puniendum cenſent eum, qui infantem occiderit *l. pen. C. ad L. Corn. de ſic.* Quinimo ipſe ſummus legiſlator, in edicto de

bove cornupeta Exodi XXI. vſ. 29. & 31. nominatim viri & mulieris, filii & filiæ, id eſt parvuli & parvulæ meminit, ne quis illud ad mares, & ætate majores tantum pertinere putet; quorum ut jactura major, ita vita pretioſior eſt. Rarius autem olim forte matrona honeſta in via publica occidi potuit, quia οἰκουρὸς a D. Paulo & Auguſto apud Dionem laudatur. LANIFICA. PIA PUDICA. FRUGI. CASTA. DOMISEDA inter matronalia decora refertur in marmore vetere. Propert. III. Eleg. 10.

- - - *caſta domi perſederat uxor.*

Alterum ſanctionis membrum eſt, ſi homo liber vivat, ſed *nocitum* tamen ei eſſe dicatur; tunc enim dominus animalis, vel quisquis illud habuit, actione Ædilitia in factum, quaſi ex delicto conventus, *quantum bonum æquum judici videbitur*, condemnandus eſt. *Nocitum* hic non pertinet ad damna, quæ in re hominis liberi facta ſunt, puta ſi veſtimenta ejus, vel quid aliud ſciſſum corruptumve eſt, ſed ea, quæ in corpus ejus admittuntur, ut ſi pedibus fortaſſis manibusque vulnus illatum eſt *l.* I. *§.* 6. *D. de his qui effud.* id enim omne, cum magnam habeat latitudinem, judex libero arbitrio inſtructus reſarciri jubebit. *Æquum bonum* ἀσυνδέτως

hic

hic accipitur pro omni eo, quod beat & æqualitatem civium ſervat; adeoque opponitur juri ſummo, quod ſumma plerumque injuria, ſumma malitia & crux eſt. Cicero lib. II. ad Herenn. *Ex æquo & bono jus conſtat, quod ad utilitatem communem videtur pertinere.* Plautus æquum a legibus ſeparat Menæchm. IV. ſc. 2. vſ. 10. *Qui neque Leges, neque Æquum bonum uſquam colunt.* Terent. Heaut. IV. ſc. I. *Qui neque Jus, neque bonum, neque æquum ſciunt.* Statius lib. III. Sylv. vſ. 87. *Solum & ſine faſcibus æquum* vocat, cui fori rabiem & *ſtrictæ jurgia litis* opponit. Hujusmodi igitur æquus judex rationem habebit impenſarum, & honoris Medico præſtiti, nec non operarum, quas vulneratus a tempore damni dati amiſit, quaſque inutilis ad labores factus, amiſſurus eſt, arg. *l.* 3. *D. ſi quadr. paup.* Deformitatis autem & cicatricum jure Romano nulla habetur ratio, quia hæc neque patrimonium liberi hominis minuunt, neque auferunt ei alimentorum quærendorum facultatem. *l. fin. D. de his qui dejec.*

Tertium ſanctionis membrum eſt: *Ceterarum rerum, quantum damni datum factumve ſit dupli.* Damnum, non a demtione, ut Paulus, cum Varrone & Iſidoro; neque a δαπάνη, quaſi *dapnum*, ut

Scaliger & Menagius; nec a δάμνω, quod eſt βιάζω, ut Grotius, nec ἀπὸ τοῦ δαμνᾶν, affligere, ut Guietus; ſed fortaſſis a δαμάω δάμνημι dictum, eſt τὸ ἔλαττον, cum quis minus habet ſuo; ſive res ejus inanimata ſit corrupta, ſciſſa & lacerata, ſive ſervus vel ancilla ſint occiſi vel vulnerati: adeo ut artificii, ad quod inutiles facti, & deformitatis quoque ratio habeatur, ſi pulchra horum facies deturpata ſit, quum ante majoris vendi poſſent. Harmenop. Προχ. lib. VI. tit. I. §. fin. Sic Horat. lib. II. epiſt. 2. ad pretium pueri augendum refert, quod

Candidus & talos a vertice pulcher ad imos.

Juvenal. Sat. x. vſ. 196.

Plurima ſunt juvenum diſcrimina, pulchrior ille
Hoc, atque ille alio, multum hic robuſtior illo.

Alias damnum iſtud, quod quadrupes fecit, JConſultis *pauperies* vocatur; quia dominum facit pauperiorem, nec tamen ab injuria facientis proficiſcitur. *Nulla eſt injuria, niſi a conſilio profecta. Nocere itaque nobis poſſunt muta animalia, ut ferrum & lapis, injuriam quidem facere non poſſunt*, ait Seneca lib. II. de ira c. 26. Damnum autem intelligimus pecuniarium,

nec

nec affectionis habetur ratio; quia pretia rerum non ex affectu, nec ex utilitate ſingulorum, ſed communiter funguntur, *l.* 33. *D. ad L. Aquil. l.* 63. *D. ad L Falc.* Neque hic inſpicitur, quantum quis forte ex re corrupta lucrari potuiſſet, aut quanti res in eo anno, vel intra dies triginta retro pluris fuerit. *Damnum eſt amiſſio eorum, quæ habueris*, ait Quintilian. decl. 120.

Sic ergo in triplici ſpecie, hactenus explicata, committitur pœna ab Ædilibus ſtatuta, ad quam extorquendam comparata eſt actio in factum, honoraria, ex quaſi delicto, pœnalis, quæ competit ei, cui nocitum eſt, & quandoque cuilibet de populo, adverſus eum, qui animal ferox habuit, ad id, quod Edicto comprehenſum eſt. Levius eſt hoc judicium actione legis Aquiliæ, quia præſens æſtimatio, non præterita inſpicitur: gravius contra in eo, quod ſemper in duplum tendit, ſi damnum rebus datum eſt, quum *damni formula*, ut Plinius vocat lib. IX. cap. 59. ſui natura in ſimplum ſit, & ab accidenti demum per inficiationem dupletur *l.* 2. §. 1. *l.* 23. §. *pen. D. ad L. Aquil.* Ratio eſt, ut metu gravioris pœnæ itinera publica reddantur tutiora, quod ut fiat Reipublicæ intereſt. Præterea cum hac Ædilitia

litia in factum actione primo concurrit utilis actio noxalis de pauperie, ſi damnum, à cane vel à verre domeſtico datum, ejus dominus inops reſarcire non poſſit, *l.* 2. §. 1. *l.* 4. *D ſi quadrup.* Sic enim non tam negotium & factum duplex ſpectatur, uti Cujacius voluit, quam quod actiones illæ ad diverſa tendunt, & inſtitutâ quadrupedariâ aliquid amplius in Ædilitia reperitur: nunquam enim, (ut hiſpida & inſuavi oratione, cum JCtis, ait Juſtinianus) actiones, præſertim pœnales, de eadem re concurrentes, altera alteram conſumit §. 1. *Inſt. ſi quadr. paup. l.* 2. *D. de priv. del. l.* 60. *D. de obl. & act. l.* 43. §. 1. *& l.* 130. *de R. I.* ibique Jac. Gothofredus. Deinde præter actionem de pauperie, cum Ædilitia concurrit actio extraordinaria criminalis, de qua Pauli locum infra cap. v. videbimus ex ejus *lib.* 1. *ſent. tit.* 15. §. 2.

Nunc antequam manum de tabula tollamus, reſtat, æquitatem Edicti naturalem, & uſum, vel non uſum hodiernum paucis inveſtigemus. Ex naturali ſimplicitate actiones brutorum domino non imputantur, niſi quatenus ille potuit & debuit eas moderari, ne in damnum aliorum erumpant. Prioris ratio eſt, quia abſque facto ſuo nemo obligatur; poſterio-

ris,

ris, quia cohabitatio noſtra nulli debet eſſe moleſta, alias ex culpa, ſive in faciendo, ſive in non faciendo, obligatio oritur naturaliter, ut damnum reſarciatur. Quod ſi enim ex regulis ſocialitatis quilibet mala alteri impendentia avertere debet, ſi id ſine periculo fieri queat; quanto magis domini brutorum, ex regula generali de non lædendis aliis, & tuenda hominum æqualitate, reſarcire debent pauperiem, eam ob cauſam illatam, quod iſti ex debita cuſtodia & circumſpectione aliquid neglexerunt, aut cauſam & occaſionem malorum eventuum, qui prævideri poterant, vel ipſi dederunt, vel non ſubtraxerunt. *Qui occaſionem præſtat, damnum feciſſe videtur*, ait Paulus in *l.* 30. *§.* 3. *D. ad L. Aquil.*

Hoc vero ut accuratius intelligatur, videndum eſt (1(an ipſe *læſus* petulantia ſua v. gr. bovem cornu petere ſolitum, & fœnum in cornu habentem, aut canem mordacem irritaverit, vel magna negligentia, cum poterat, ſibi ab illis non caverit, & talis de ſe queri debet. *l.* 2. *§.* 1. *D. ſi quadr. paup.* Paulus lib. 1. ſent. tit. 15. §. 3. *Ei, qui irritatu ſuo feram beſtiam, vel quamcunque aliam quadrupedem in ſe proritaverit, eaque damnum dederit, neque in ejus dominum, neque in cuſtodem*

actio

actio datur. (2. *Si tertius* canem irritavit & effecit, ut aliquem morderet, Aquilia vel in factum is qui inſtigavit, minime vero canis dominus tenetur *l.* 1. *§*. 6. *D. ſi quadr. paup. l.* 11. *§*. 5 *D. ad L. Aquil.* (3. Si arietes vel *boves inter* ſe commiſerint, id eſt cornibus ſe invicem petierint, & alter alterum occidit, cum Quinto Mucio, diſtinguendum eſt, utrum is perierit, qui aggreſſus erat, & ceſſabit actio, an vero is, qui non provocaverat, & competit actio, ut noxa ſarciatur, aut in noxam dedatur animal, quod nocuit *l.* 1. *§*. 11. *D. ſi quadr. paup.* cujus rei ratio non tam in umbra juris, quod brutis competat, quærenda eſt, cum Grotio, lib. 1. de J. B. & P. c. 2. *§*. 3. n. 2. quam quod dominus arietis procacis & provocantis eum non cuſtodivit. (4. Si animalia noſtra, *citra noſtram culpam*, & contra naturam ſui generis ſponte commota, alteri damnum dederint, Grotius lib. 11. c. 17 *§*. 21. ex ſolo jure civili venire putat, quod damnum ſarcire, vel animal dedere debeamus; id quod ſimili à furioſo vel infante, qui damnum dedere, petito, & exemplo navis noſtræ, in aliam impactæ, firmari videtur: ſed quia noxa caput ſequitur, in contrarium dici poteſt, quod dominus obſtet laeſo, quominus is brutum capiendo

vel

vel occidendo damnum ſibi reparet: major autem reparandae laeſionis, quam dominii eſt favor, ideoque recte a domino animalis poſtulatur, ut damnum reparet, aut ſi animal ipſi tanti non ſit, illud noxae dedat. Vid. Pufend. de J. N. & G. l. III. c. I. §. 6. & quæ notavi ad Ej. O. H. & C. lib. I. c. 6. §. 11. 12.

Quid autem (5. ſi beſtia fera vel animal domeſticum *domini culpa* damnum dedit, aut liberum hominem occidit? Omnis certe culpa, etiam minima, ſufficit ad reſtitutionis obligationem; ſed hoc amplius, ſi fera negligentius habita, & quidem in loco, quo vulgo iter ſit, culpa augetur, & prope ad maleficium accedit, ideoque pœnae eſt locus, cujus metu cives fiant attenti, & plebs adverſus potentiores muniatur. Sicut ergo Aquilius, in Plebiſcito ſuo hoc recte attendit, ſi corpore & in corpus, occidendo, vulnerando vel rumpendo, damnum a liberis hominibus fuerit datum, eoque duodecim Tabulis & legibus omnibus anterioribus, ob nimiam lenitatem, derogavit; ita Æediles quoque, ſupplendi Juris Civilis gratia, pœnam pecuniariam propoſuerunt, ſi quis magna negligentia feras habuiſſet prope vias publicas, eæque hominem liberum occidiſſent vel vulneraſſent, aut in aliis rebus dam-

damnum intuliſſent. Quod ſi adhuc (6) *malitia quædam* notabilis acceſſit, & dominus a vicinis monitus, vel a magiſtratu juſſus animal ferox non includat diligentius, nec dimittat, extraordinariæ pœnæ corporis afflictivæ erit locus: dolo enim carere non videtur, qui judicis mandato non obtemperat *l.* 199. *de R. J.* Ex lege divina dominus bovis hominem occidentis capite plectitur, cui teſtato, tribus vicibus & coram magiſtratu erat denunciatum, ut bovem aſſervaret, eumque non aſſervaverit, Exod. XXI. vſ. 29. ubi, quicquid nugentur Rabbini, mors judicis ſententia irroganda intelligitur, ne legis mitigatio, quæ proxime ſequitur, fruſtranea ſit. De bove autem Plato lib. IX. de LL. *Si jumentum aut quodpiam aliud animal quemquam occiderit, ejus conſanguinei homicidam judicio perſequuntor. Judicent autem agrorum magiſtri, quos & quot occiſi conſanguineus voluerit.*

Hæc ſunt, niſi fallor, præcipua juris naturalis dictata, ex quibus controverſiæ huc pertinentes decidi debent, quæque gentes moratiores, additis quibusdam, vel detractis, in judicando ſecutæ ſunt. Sic Hebræorum Juris conſulti, cum mitius ſtatui viderent de bove caſu damnum inferente, quam de bove petulco, Exod.

XXI.

xxi. vſ. 35. 36. animalia innocua a nocuis, convictis & conteſtatis accurate diſtinxerunt, & alia damna ex ipſo corpore vivi animalis noxæ dati, alia vero ex præſtantiſſimo, id eſt in ſolidum, rependi voluerunt. vid. Baba Kamma cap. i. §. 4. & ii. §. 4. Iisdem placuit regula, nihil intereſſe occidat quis, an mortis cauſam præbeat; ſed aliquando animal tantum lapidari, aliquando dominum ejus, vel commodatarium, aut conductorem ſimul occidi, aliquando mulcta pecuniaria plecti voluerunt. Vide L'Empereur ad Baba Kamma cap. iv. §. 5. 9. & cap. vii. §. 7. ubi: *Nemo canem educabit, niſi catena ligetur.*

Apud veteres Teutones dominus animalis noxii obligatus fuit ad damnum reſtituendum; ut tamen animal domeſticum a fero, & dominus ſciens ab ignorante ſepararetur. In lege Salica Francorum tit. 39. *Si aliquis homo ex quolibet quadrupede, qui domeſticus fuerit, occidatur, & hoc cum teſtibus poterit adprobari, dum illius dominus, cujus pecus erat, ante legem non adimplevit, medietatem de ipſa leudi componat, & pro alia medietate ipſum quadrupedem homini donet. Si vero pecoris dominus vitium in eo non intellexerit ſecundum legem exinde ſe poteſt defendere,*

dere, & de ipſo pecore nihil ſolvat. Leudis eſt pretium hominis occiſi, quo aut vivi redimitur vita, aut mortui componitur; idque *Weregildum* dicitur in ſimili lege Ripuariorum tit. 46. nam apud nationes Germanicas non modo res & mancipia, ſed etiam homines liberi, cujuscunque ſtatus & dignitatis, ſuam habuerunt æſtimationem, uti ex earum legibus Schilterus docuit Exerc. ad D. XIX. §. 14. ſeqq. Græci ἀπηφόνιον, Galli reparationem civilem vocant. Vid. Cujac. lib. XIV. Obſ. cap. 4. In lege Saxonum tit. 12. *Si animal quodlibet damnum cuilibet intulerit, ab eo, cujus eſſe conſtiterit, componatur, excepta fayda*, id eſt, pœna. Idem Rex Rotharis conſtituit, in lege Langobardorum lib. 1. tit. 21. §. 3. Wiſigothi autem, Burgundiones & Scoti mitius cum domino egerunt, cujus nulla eſſet culpa, eumque aut noxiam ſarcire, aut animal in noxam dare voluerunt. LL. Wiſigoth. lib. VIII. tit. 4. cap. 12. & Burgund. tit. 18. cap. 1. Saxones vero & Lubecenſes, cum Alemannis hoc amplius domino verris, canis, aut bovis cornupetæ permiſerunt litis æſtimationem evitare ſtatim derelinquendo caput, quod nocuit, Landr. lib. 2. art. 40. & jus Lubecenſe lib. III. tit. 11. art. 1. juncto jure Aleman. cap. 211. ubi

ubi quædam hujus Ædilitii Edicti, minus recte intellecti, veſtigia, in verbis: *wes Hunt*, *adir Beer*, *adir Ochſe*, *adir Pfert* &c. reperiuntur. De equis feritate ſua nocentibus, duo ſunt textus ſingulares in *cap.* 13. *&* 16. x. *de homicid.* quibuscum jungi poteſt Auguſtinus ad Poblicolam, epiſt. 154. in *can.* 8. *cauſ.* 23. *qu.* 5. Hodie pœna ducentorum aureorum & dupli, ab Ædilibus dictata, ceſſat, & pro conditione cauſæ mulcta, aliquando & gravior pœna corporis afflictiva, arbitrio judicis, rariſſime autem capitalis dictatur; qua de re, præter Scriptores criminales, Grot. p. 111. Introd. cap. 33. & Mornac. ad l. 1. D. ſi quadr. paup. adeundi ſunt. Ita Carolus V. Nemeſ. art. 136. *Qui feram beſtiam, genitali feritate præditam, habet patiturve, unde vitæ corporiſve periculum aliis ſit metuendum, eam dominus removere tenetur: quod ſi enim illa damnum dederit, aut hominem occiderit, dominus feræ, pro conditione cauſæ, arbitrio judicantium pœnæ ſubjicitur, & quidem gravius, ſi admonitio Magiſtratus vel judicis præceſſerit.*

Corollarii loco videamus, cur ipſis beſtiis, quæ cauſa ſunt proxima mortis, nullam Æediles irrogarint pœnam? Quia ſcilicet in eas non cadit crimen, cum nec

 legem

legem nec legiſlatorem cognoſcant, ſed omnia impetu agant naturali, & vacent culpa, multo magis dolo: *nec enim poteſt animal injuria feciſſe, quod ſenſu caret*, id eſt rationis uſu, judicio & affectu, ut ait Ulpianus in *l.* 1. *§.* 3 *D. ſi quadrup.* Cicero lib. 1. de Offic. cap. 16. *In equis, in leonibus juſtitiam non dicimus: ſunt enim rationis & orationis expertes*, & Seneca lib. 1. de ira cap. 3. feras ira carere, dicit, ſed pro ira habere impulſum: *Muta animalia humanis affectibus carent: habent autem ſimiles illis quosdam impulſus.* Quod autem Deus Optimus Maximus ab omni beſtia requirit ſanguinem hominis, quem effudit Geneſ. IX. vſ. 5. & bovem, qui virum aut mulierem cornu petiit, lapidibus obrui jubet, & carne ejus interdicit, etiam alienigenæ, Exod. XXI. vſ. 28. non ea vere pœna eſt beſtiæ, ſed dominus punitur amiſſione animalis, non ſatis diligenter cuſtoditi, & periculum ac ſcandalum vitatur futurum. Abenezra: *Deus pœnam impoſuit domino bovis.* vid. Grot. lib. II. de J. B. & P. cap. 21. §. XI. & Selden. de J. N. l. 1. cap. 4. Præterea horror ſimul injicitur hominibus, ne velint in eo delinquere, ob quod vident animal brutum impune non dimitti. *Pecora credendum eſt juſſa interfici, quia flagi-*

flagitio contaminata, indignam ſacti refricant memoriam, ex Auguſtino ſcribit Gratianus, in *cauſ.* 15. *qu.* 1. *can.* 4. Ad imitationem Moſis, Solon quoque canem, qui momorderit, noxæ dari præcepit, bojis quatuor cubitorum alligatum, ne ſcilicet ita innexus noceret, utque læſus de eo ſtatuere poſſet, quicquid luberet, ſicut jam ſupra vidimus ex Plutarcho in ejus vita cap. 40. ubi quid ſit κλοιὸς, ſive *bojæ*, ut Plautus loquitur, optime ex Xenophont. Hellen. diſcere licet. Plato item lib. IX. de LL. ſancivit: *Jumentum, aut aliud animal, quod hominem occiderit, cædis convictum morte plectitor, & extra fines ejicitor:* eadem ſcilicet ratione, qua inſtrumentum, quo homicidium eſſet patratum, ſceleris pœnas dedit, apud Pauſaniam, & ſtatuæ aliæve res inanimatæ, ex lege Draconis, in Prytaneo reæ cædis judicatæ & in mare demerſæ leguntur, apud Demoſthenem, Pauſaniam & Suidam. Vid. Petit ad LL. Atticas lib. VII. p. 523. Ex Democriti lege animalia, quæ pauperiem fecerint, non noxæ, ſed neci dari jubentur, auctore Stobæo ſerm. 42. Apud Salaminios lex erat, ut ſus inventa depaſcens ſegetem alienam edentetur, ut refert Ælianus: idemque legibus Alemannicis cautum eſt cap. 211. non in pœnam,

ſed ne iterum noceret. Illud vero mirum eſt, quod Plinius lib. VIII. Hiſt. nat. cap. 16. ſcribit, Polybium referre, ſe *leones*, urbium Africæ depopulatores, *cruci fixos vidiſſe, quia cæteri, metu pœnæ ſimilis, abſterrerentur eadem noxa.* Idem lib. XXIX. cap. 4. in monumentum Urbis, olim a Gallis captæ, *Supplicia*, ait, *annua canes pendunt, inter ædem Juventutis & Summani, vivi in furca ſambucea arbore fixi.* Neque recentiora deſunt exempla animalium, ob cædem factam occiſorum, apud Boërium, Guidonem Papæ, Ærodium, Mornacium aliosque laudatos a Thomæ de noxia animal cap. 27. n. 31. idque Jure Alemannico cautum eſt, dicto cap. 211. §. 2. At Heigius, Clarus & Carpzovius tantum beſtiam, quacum Sodomia commiſſa eſt, igne comburendam tradunt: in reliquis Anglorum mos placet, ut pretium brutorum, quorum impetu homo occiſus eſt, in pios uſus erogetur, & Deo donetur; *Deodande* vocant. Vid. Bracton lib. III. tract. 2. cap. 5. n. 8. & du Frêne h. v.

C A-

CAPUT V.

De edicto prætoris, de dejectis, effuſis et periculose poſitis.

Prætor Urbanus Edictis ſuis, in ſecuritatem viarum, promiſit actiones & interdicta: non vero extra ordinem punivit eum, qui feram beſtiam colligaſſet, qua populi iter eſt. Paulus in Sent. explicatur. Verba Edicti Prætoris de dejectis. Ejus utilitas & neceſſitas quatuor argumentis demonſtrata, petitis a multitudine hominum in Urbe, ab itinerum anguſtiis, altitudine ædium, earumque ſuggrundis, protectis & mænianis. Itinera poſt Neronis incendium latiora, & tamen anguſta. Modus ædificiorum ex l. 1. §. 17. D. de op. nov. nunc. Homines plebeji ſub tectis habitantes, cœnacularii dicti. Cur mæniana in Edicto omiſſa. Secundum caput Legis Aquiliæ an egerit de dejectis & effuſis, ad l. 5. §. 4. de his qui eff. & l. 27. §. 4. ad L. Aquil. Jus Hebræorum ex Baba Kamma. Fundamentum Edicti eſt obligatio quaſi ex delicto inhabitantis, quocum agitur actione in factum. Condemnatio ex primo Edicti capite quadruplex. Qua in re ea differat ab actione Ædi-

litia, & Legis Aquiliæ. Quatenus cicatricum nulla ratio habeatur. Actio ex ſecundo Edicti capite in decem aureos popularis adverſus quem detur. Cujacii emendatio l. 5. §. 12. D. de his qui dej. rejecta. Franciſci Galliæ Regis edictum ex Thuano.

AB Ædilibus Curulibus progredimur ad Prætores urbanos, qui adjuvandi, vel ſupplendi, vel corrigendi juris civilis gratia, varia jura in ſecuritatem viarum introduxerunt; nunc enim datis actionibus pœnalibus damna a petulantibus vel imprudentibus habitatoribus, vel à nautis, cauponibus, & publicanis, in Urbe vel ruri, viatoribus data graviter coërcent; nunc etiam iis, quorum intereſt, interdicta prohibitoria & reſtitutoria, ne quid in via vel flumine publico fiat, quo iter vel navigatio deterior ſit, pollicentur. Prius vero quam de ſingulis his agamus Pauli locus, ob vicinitatem cum præcedentibus, excutiendus eſt, cujus verba ſunt *lib.* 1. *ſent. tit.* 15. §. 2. quæ ſequuntur: *Feram beſtiam in ea parte, qua populi iter eſt, colligari Prætor prohibet. Et ideo ſive ab ipſa, ſive propter eam ab alio alteri damnum datum fuerit, pro modo admiſſi,*

extra

extra ordinem actio in dominum vel cuſtodem datur; maxime ſi ex eo homo perierit, vel fuerit læſus. Summus Cujacius *ad h. l.* exiſtimavit *Prætorem* hic poni pro *Ædile*; non enim edicto Prætoris, ſed Ædilium nos prohiberi ferox animal ibi habere, qua vulgo iter fit. Sequitur eum Cl. Noodt. lib. 1. Probabil. cap. 6. &, ut fieri ſolet, alii. Neque inelegans hæc obſervatio prima fronte videtur, quia Prætoris nomen, pariter ac Præſidis, generale eſt, atque Proconſules, Legatos Cæſaris, Dictatores, Conſules, &, ut paucis dicam, omnes, qui jure vel exercitu præeunt, comprehendit; maxime vero Ædiles, quia jus Ædilitium dicitur juris honorarii portio *§. 7. Inſt. de I. N. G. & C.* & Prætorias ſtipulationes ſic exaudiri oportet, ut in iis contineantur AEdilitiæ; nam & hæ a jurisdictione veniunt *§. 2. Inſt. de diviſ. ſtip.* junct. *l. 5. pr. D. de V. O.* Verum huic explicationi graviſſime obſtat, quod AEdiles nullam extraordinariam actionem, quae in tergum & ſcapulas domini animalis daretur, ſed pœnam pecuniariam, laeſo applicandam, introduxerunt. Deinde non fuit Jurisconſultis in more, Praetoris & AEdilium vocabula confundere, quorum jurisdictio erat diverſa, *l. 63. D. de Ædil. edict.* &

 l. 31.

l. 31. *D. de evict.* Tiberius apud Tacitum lib. III. Annal. cap. 53. *Non Ædilis, aut Prætoris, aut Conſulis partes ſuſtineo.* Quinimo vix *Prætor* hic locum ſuum tueri poteſt: nam licet is edicta, ad ſecuritatem viarum pertinentia, propoſuerit, & Prætores de iisdem rebus, de quibus Ædiles, jus dixerint, omnium denique magiſtratuum jurisdictio Prætoria poſſit vocari, uti Cujac. lib. VIII. Obſ. cap. 38. & Cont. lib. 2. ſubſec. lect. cap. 16. docuerunt, tamen Vir Clariſſ. Ant. Schultingius, in notis ad hunc Pauli locum, recte monuit, Prætorem vel Ædiles hujuſmodi correctionem extraordinariam, qualis hic deſcribitur, infligere non potuiſſe; quia mero imperio erant deſtituti, & omnia omnino crimina pertinebant ad Præfectum Urbi, *l.* I. *pr. D. de Off. Præf. urb.* Forſan ergo melius vocem *Prætor* non Paulo, ſed ejus enarratori Aniano acceptam feremus, qui tales minime nobis dedit Pauli libros, quales ex ejus officina prodierunt. Notum eſt, pœnas extraordinarias pleraſque moribus eſſe introductas, ob inopiam reorum, ut qui non haberent in ære, luerent in pelle. vid. *l.* 7. §. 3. *D. de jurisdict. l. ult. D. de privat. delict. l. ult. D. de furt. l. ult. D. de injur. l.* I. *in fin. D. de pœn.* Atque hinc for-

forſan cauſa eſt repetenda, cur Juſtinianus, in §. 1. *Inſt. ſi quadrup.* pœnam ducentorum ſolidorum, ob liberum hominem occiſum, omiſerit; quia tunc plerique extra ordinem criminaliter, maxime adverſus inopes agebant, quo magis temeritas eorum coërceretur.

His præmiſſis ad Edictum adverſus hos, qui effuderint, vel dejecerint, vel poſitum habuerint ſupra eum locum, quo vulgo iter fit, à Prætore propoſitum, nos convertimus, cujus duo ſunt capita. Prioris verba, auctore Ulpiano, in *l.* 1. *D. de his qui effud.* ita ſeſe habent: *Unde in eum locum, quo vulgo iter fiet, vel in quo conſiſtetur, dejectum vel effuſum quid erit, quantum ex ea re damnum datum factumve erit, in eum, qui ibi habitaverit, in duplum judicium dabo. Si eo ictu homo liber periiſſe dicetur, quinquaginta aureorum judicium dabo. Si vivet, nocitumque ei eſſe dicetur, quantum ob eam rem æquum judici videbitur, eum, cum quo agetur, condemnari, tanti judicium dabo. Si ſervus inſciente domino feciſſe dicetur, in judicio adjiciam, aut noxam dedere.* Alterum caput his verbis conceptum fuiſſe, idem Ulpianus tradit, in *l.* 5. §. 6. *D eod. tit.* Praetor ait: *Ne quis in ſuggrunda protectove, ſupra eum locum,*

qua

qua volgo iter fiet, inve quo conſiſtetur, id poſitum habeat, cujus caſus nocere cui poſſit. Qui adverſus ea fecerit, in eum ſolidorum decem in factum judicium dabo: ſi ſervus inſciente domino feciſſe dicetur, (aut æſtimationem dari) aut noxæ dari jubebo.

Quanta hujus Edicti fuerit utilitas & neceſſitas, nemo non videt; nam ſi quis ex domo mea, vel conducta, aut gratis habitata, tegulam dejecit, vel aquam aut urinam effudit, ita ut alicui noceret, in factum mecum agitur; quia publice utile eſt ſine metu & periculo per plateas commeari. Sed magis utilitas illa apparebit, ſi multitudinem hominum in Urbe, itinerum anguſtias, altitudinem ædium, earumque protecta & projectiones in memoriam revocemus. Lipſius lib. III. de magnitud. Rom. c. 3. in univerſum quatuor hominum milliones in Urbe urbium, orbis compendio, & circa eam fuiſſe cenſet; nec ultra fidem, ſi numerum civium, peregrinorum, militum & ſervorum cogitemus. Jam ſub libera republica cenſita fuiſſe, A. V. 683. Civium DCCCC. millia ex Livii epitome conſtat, & a Phlegonte Tralliano confirmatur. Vid. Voſſ. de magnit. Rom. vet. c. 6. Tiberii ævo *plebs difficile convenire cœpit, populus certe multo*

multo difficilius, in tanta turba hominum, ait Pompon. in *l.* 2. *§.* 9. *de O. J.* Sub Nerone Seneca ad Helviam matrem c. 6. *Adſpice agedum*, inquit, *hanc frequentiam, cui vix urbis immenſæ tecta ſufficiunt: maxima pars illius turbæ patria caret: ex municipiis, ex coloniis ſuis, ex toto denique orbe terrarum confluxerunt.* Idem lib. II. de ira c. 7. *Hæc tot millia ad forum prima luce properantia, quam turpes lites, quanto turpiores advocatos habent?* Lucanus denique lib. 1. Pharſ. vſ. 24. pleraque Italiæ oppida deſerta & vacua eſſe queritur, raros in illis errare habitatores, nulloque cuſtode domus teneri; ſed deinde vſ. 511. Romam. vocat

- - - urbem populis victiſque frequentem
Gentibus, & generis, coëat ſi turba, capacem
Humani.

Cum illa multitudine hominum jam mihi, quæſo, compara plateas, non admodum latas, & quantum periculi ex dejectis vel effuſis turbæ imminuerit videbis. Cicero ſuo tempore, Agrar. II. c. 35. *anguſtiſſimis ſemitis* Romanos, præ Capua, uſos fuiſſe ait. Seneca lib. II. controv. 9. *Tanta altitudo ædificiorum eſt, tantæque viarum anguſtiæ, ut neque adverſus ignem præ-*

præſidium, *neque ex ruinis ullum ullam in partem effugium ſit.* Similiter Tacitus, ante Neronis incendium, Urbem deſcribit, *artis itineribus*, *hucque & illic flexis*, *atque enormibus vicis*, lib. XV. Annal. c. 38. Nero autem cum Urbem maxima ex parte, ante necem ſuam, inſtauraret, vias publicas direxit ac laxavit, neglecta prioris ætatis ſerie ac forma; Tacitus d. l. c. 43. *Urbis*, *quæ domui ſupererant*, *non ut poſt Gallica incendia*, *nulla diſtinctione*, *nec paſſim erectæ*, *ſed dimenſis vicorum ordinibus*, *& latis viarum ſpatiis*, *cohibitaque ædificiorum altitudine*, *ac patefactis areis.* Paullo poſt addit: *Erant tamen qui crederent*, *veterem illam formam ſalubritati magis conduxiſſe*; *quoniam anguſtiæ itinerum & altitudo tectorum non perinde ſolis vapore perrumperentur: at nunc patulam latitudinem*, *& nulla umbra defenſam*, *graviore æſtu ardeſcere.* Verum ne hæc quidem patula viarum multitudo copiam hominum adſidue defluentium capere potuit, Seneca prodente, 1 de clem. 6. *Cogitate hanc civitatem*, *in qua turba per latiſſima itinera*, *ſine intermiſſione defluens*, *eliditur*, *in qua conſumitur quicquid terris omnibus aratur.* Juvenalis item ſat. III. vſ. 236. rhedarum tranſitus *arcto vicorum inflexu*

ſom-

ſomnum Druſo eripuiſſe cecinit, & ſat. VI. vſ. 78.

Longa per anguſtos figamus pulpita vicos.

Sed & quamvis latæ eſſent plateæ, tabernis tamen & pergulis inſtitorum, cauponum, tonſorum & lanionum anguſtiores reddebantur, donec Domitianus ei rei modum impoſuit, cui Martialis idcirco gratulatur lib. VII. Epigr. 60.

Stringitur in denſa nec cæca novacula turba,
Occupat aut totas nigra popina vias.
Tonſor, caupo, coquus, lanio ſua limina ſervant.
Nunc Roma eſt: nuper magna taberna fuit.

His tertium momentum accedat ab altitudine ædificiorum petitum, ex quorum ſupremis cœnaculis plebs Romana, teſtas fractas & rimoſa vaſa dejiciens, lapſu graviore cerebra tranſeuntium feriebat. Initio quidem, cum per Urbis laxitatem licebat, unius tantum contignationis erant ædificia, culmo horrentia & e ſtramine conſtructa, ut Virgilius & Ovidius teſtantur: ſed poſtquam area plana infinitam illam hominum frequentiam recipere non poſſet, ad auxilium altitudinis ædificiorum res ipſa coëgit devenire; itaque altitudines, crebris contignationibus coaxa-

coaxatæ, ſummas cœnaculorum utilitates & deſpectationes perfecerunt, auctore Vitruvio lib. II. cap. 8. Rutilius quidem Rufus jam olim orationem habuerat, de modo ædificiorum, Sueton. Aug. cap. 89. Auguſtus quoque Cæſar, ut ruinæ caverentur, edixit, ne novum ullum ædificium, ad viam publicam factum, ultra ſeptuaginta pedes attolleretur, Strabo lib. V. pag. 368. Hoc ipſum deinde ſecutus eſt Nero, cum ab incendio Romam inſtauraret, ut ex Tacito vidimus; Trajanus denique ſtatuit, ne domorum altitudo ſexaginta ſuperaret pedes, ob ruinas faciles, teſte Sexto Aurelio Epit. cap. 13. Atque hæ ſunt *Leges & Edicta Principum, quæ ad modum ædificiorum facta ſunt*, apud Ulpian. *l.* 1. *§.* 17. *D. de op. nov. nunc.* vid. Briſſonium lib. I. ſel. ant. c. I. & Rævard. lib. III. Conject. cap. 12. Neceſſitas autem effecit, ut Principum illa Edicta, ſive gratia frequenter impetrata, aut non uſu divitum & potentiorum negligerentur, ut Lipſius exiſtimavit d. lib. III. cap. 4. ſive, quod ob *d. l.* I. magis mihi arridet, tacitam habuerint exceptionem, ſi vicini, ſolida jaci fundamenta videntes, conſentirent, ut modum excedere liceret, atque ita pactum vel ſtipulatio ædificanti ſuffragaretur,

tur, ut Zeno inquit, in *l.* 12. *§.* 1. *C. de ædif. priv.* Hoc ſane ut credamus jubet tum ſervitus altius tollendi, a JCtis noſtris toties memorata, tum crebra teſtimonia veterum de tectis ædium ſublimibus, etiam poſt illos Auguſtos exſtructis. Senecæ Rhetoris ſub Tiberio querelam jam ante audivimus; huic accedat junior Seneca ad Helv. cap. 9. *Quo altius turres ſuſtulerint, quo latius vicos porrexerint, quo majori mole faſtigia cœnationum ſubvexerint, hoc plus erit, quod illis cœlum abſcondat.* Petronius, Neroni familiaris, Satyr. cap. 120. *Ædificant auro, ſedesque ad ſidera mittunt.* Claudian. in II. Conſ. Stilic. vſ. 131

Qua nihil in terris complectitur altius æther,
Cujus nec ſpatium viſus, nec corda decorem,
Nec laudem vox ulla capit, quæ luce metalli
Æmula vicinis faſtigia conſerit aſtris.

Hoc amplius ſciendum eſt, quod in partibus ædium ſuperioribus, opifices plerumque & pauperes, cum familia ex conducto habitarint, qui *cænacularii* idcirco in *l.* 11. *§.* 5. *D. de pign. act.* ſicut illi, qui domus totas conductas, quæſtus gratia, per ſingula cœnacula loca-

 bant,

bant, *cœnaculariam exercere* dicebantur *l.* 5. *§.* 1. *D. de his qui dej.* uti Budæus ad *l.* 13. *§. f. de uſufr.* & Torrent. ad Horat lib. 1. epiſt. 1. vſ. 91. dudum explicarunt. Cœnacula vero ſub ipſis tectis & tegulis erant altiſſima, ut ſcalis vel cochleis ad ea adſcendi deberet. Jam Ennius, ſuo tempore, *cœnacula maxima cœli.* Juvenalis: *tabulata tibi jam tertia fumant.* Martialis: *Et ſcalis habito tribus, ſed altis.* Prudentius lib. 1. contra Symm.

Omnis, qui celſa ſcandit cœnacula vulgus,
Quique terit ſilicem variis diſcurſibus
atrum.

Augebatur periculum ob ſuggrunda & protecta, extrà domum ſupra plateam exporrecta, quorum caput ſecundum Edicti meminit. Suggrunda Budæus ad *l.* 5. *§. f. D. de his qui effud.* explicat partes tecti prominentes, quibus ſtillicidia a parietibus arceantur, qualia fere ſint Lugdunenſia tecta. Cujacius, in Parat. D. de damno inf. tabulas vocat, circum ædificia a ſummo extenſas, quæ ædes tueantur ab injuria imbrium, atque etiam, ſi larignæ fuerint, a periculo incendiorum, Palladio & Vitruvio auctoribus. add. *l.* 242. §. 1. *de V. S.* Protecta ſunt projecta tecta; Græcis ἔκθετα, *l* 29 *§.* 1. *ad L. Aq.* Latius patent

patent Projectiones, ſive partes domus ita prominentes, ut nuſquam quieſcant; qualia ſunt mæniana & podia penſilia, unde adſpectus eſt in vicos & plateas, *l.* 2. *l. ult.* §. 1. *D. de S. P. V.* Mæniana a Mænio ſunt appellata: is enim cum domum ſuam venderet, excepit ſibi jus unius columnæ, ſuper quam tectum projiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipſe & poſteri munus gladiatorium ſpectarent, ut ex Feſto & Aſconio notum eſt. Mentio illorum fit in *l.* 20. *D. de S. P. V.* & *l.* 2. §. 6. *D. ne quid in loc. publ.* Græci ἐξωστὰς appellant, & ἐξωστάρια, uti ex Gloſſis conſtat, & Cujacius lib. 1. Obſ. cap. 30. ad *l. pen C. de ædif. priv.* plenius explanavit. Similia ſunt, quæ παραπετάσια dicuntur, in *l.* 39. *C. Th. de op. publ.* In provinciis ea ædificare permiſſum fuit, in Urbe non ſemper, nec forte eo tempore, quo hoc Edictum proponebatur. Ammianus Marcellinus lib. XXVII. cap. 9. de Prætextato, Præfecto Urbis: *Mæniana ſuſtulit omnia, fabricari Romæ priſcis quoque vetita legibus.* Ut adeo ſatis ex his conſtet, muniendam fuiſſe multitudinem per plateas Romanas diffluentem, adverſus injurias, quæ ex alto imminebant. Audiamus Juvenalem ſat III. vſ. 268. ad avarum:

Reſpice nunc alia ac diverſa pericula noctis:
Quod ſpatium tectis ſublimibus, unde cerebrum
Teſta ferit, quoties rimoſa & curta feneſtris
Vaſa cadunt: quanto percuſſum pondere ſignent
Et lædant ſilicem. Poſſis ignavus haberi,
Et ſubiti caſus improvidus, ad cœnam ſi
Inteſtatus eas. Adeo tot fata, quot illa
Nocte patent vigiles, te prætereunte, feneſtræ.

Ad hiſtoriam Edicti quod attinet, nemo dubitat, quin paterfamilias, qui ipſe corpus ſolidum, ut tegulam, lapidem, lignum dejecit ex ædibus ſuis, vel rem liquidam ipſe effudit in eum locum, qua vulgo iter fit, vel conſiſtitur, obligetur naturaliter ad damnum reſarciendum, & lege civili inſuper, ob craſſam negligentiam, multari poſſit. Prius ex jure Hebræorum tradit Baba Kamma cap. III. §. 2. 3. *Effundens aquam vel ſtercus in locum publicum, qua alius damnum patiatur, hujus damnum præſtare tenetur.* Poſterius vero Aquilius tribunus plebiſcito ſuo Romæ introduxit cap. III. Quid vero ſi habitantes cum eo uxor, filiusfamilias, hoſpes, cliens, libertus, aut ſervus dejecerint? Ipſi quidem dejicientes prin-

principaliter ex facto ſuo tenentur, ut tamen patrifamilias damnum quoque imputari poſſit, quatenus is, tamquam familiæ ſuæ princeps, poterat & debebat actiones eorum, quos ſub tectum recepit, moderari, ut ne civibus eſſent moleſtae, vel ſecuritatem viarum impedirent. Sed quia rarius ſciri poteſt, quis dejecerit aut effuderit, maxime ſi plures in eodem cœnaculo habitent, vel ſi nocte dejectum ſit, hinc utile viſum fuit Praetori actionem pœnalem proponere adverſus aedium habitatorem, hoc fundamento, quod ille obligatus ſit quaſi ex delicto, id eſt ex facto illicito, ſola culpa admiſſo: peccaſſe enim quodammodo videtur ob id, quod homines petulantes, incautos, parumve providos in cænacula recepit. *l.* 5. *§.* 5. *D. de obligat. & act.* ideoque aequum eſt, ut ſuam ſuorumque culpam praeſtet *l.* 6. *§.* 2. *D. de his qui effud.* vid Grotium lib. II. cap. 17. *§.* 6. ſeq. & Pufend. lib. III. de J. N. cap. I. *§.* 6.

Marquardus Freherus lib. II. Veriſ. c. 3. olim putarat, ſecundo capite Legis Aquiliae de dejecto vel effuſo actionem proditam fuiſſe; quia Ulpianus ſcribit, dominum aedium hac ex cauſa legis Aquiliae actione condemnari poſſe *l.* 5. §. 4. *D. de his qui effud. vel. dej.* verum diſceſſit ab

hac ſententia, quia damnum dejiciendo datum rupti, ſive corrupti appellatione, in tertio capite legis Aquiliae, poteſt comprehendi *l.* 27. *§.* 13. *D. ad L. Aquil.* Sed tanti ponderis non viſa fuit hæc ratio viro Ampl. Corn. van Bynkershoek lib. 1. Obſ. cap. 13. quin cenſeret, caput illud egiſſe de dejectis, quod Prætores deinde, ob quæſtionum luxuriam, Edicto complexi fuerint. Movet ipſum tum argumenti & utriuſque tituli affinitas, tum quod Mucius actionem de dejecto ramo ex lege Aquilia eſſe dixit in *l.* 31. *D. eod.* tum Ulpiani auctoritas *d. l.* 5. *§.* 4. & denique quod actio pœnalis de dejectis, tanquam ex lege civili oriunda, perpetua eſt *l.* 5. *§.* 5. *&* *ult. de his qui effud.* Et ſane fatendum eſt, inter tot virorum clariſſimorum de capitulo illo conjecturas ad *l.* 27. *§.* 4. *D. ad L. Aquil.* puta Cujacii, Chifletii, Freheri, etiam Jacobi Conſtantinæi lib. 1. ſubtil. enod. cap. 6. hanc maxime probabilem videri, ob *d. l.* 5. *§.* 4. Pace tamen Viri Illuſtris liceat qualescunque dubitandi cauſas in medium proferre; primo enim ex verbis legis Aquiliæ ita demum actio datur, ſi quis ipſe corpore ſuo, non hoſpes aut ſervus, damnum dedit. Deinde damnum injuria datum eſt verum delictum, hic quaſi ex delicto agitur. Ratio-

tiones porro Edicti ſupra allatæ nondum ſorte tempore Aquilii tam evidentes fuerunt, ut tot inter alia damnorum genera opus eſſe crediderit capite de dejectis ſingulari. Ulpianus vero actionem in factum Praetoriam Aquiliæ vocare potuit; quia lex iſta, derogans omnibus legibus anterioribus, ſive XII. Tabulis, ſive aliis, fons erat omnium deciſionum de damno dato, ad quam Praetor, tanquam legum interpres, varias actiones accommodavit, quae eodem nomine Legis Aquiliae veniunt, & in perpetuum dantur. Utique multitudo periculorum & utilitas viarum Praetorem moverunt, ut duas has damni ſpecies gravius coërceret, quam in tertio legis Aquiliae factum erat; *neque adjecit culpæ mentionem, vel inficiationis, ut in duplum detur actio, quamvis damni injuriæ utrumque exigat*, ait Ulpian. in *l.* 1. §. 4. *D. de his qui effud.* Denique ex mente Praetoris hoc Edictum extenſum eſt ab Urbe ad municipia, civitates & vicos, per quos vulgo iter fit; & ſi de nave dejectum, datur actio utilis in eum, qui navi præpoſitus eſt *l.* 6. *pr.* & §. 3 *eod.* At putator, qui non proclamavit, incidit in L. Aquiliam §. 5. *Inſt. de L. Aquil.* vel extra ordinem punitur Paul. *l.* v. *tit.* 23. §. 12. nullus hic eſt habitator, qui con-

niri poſſit, ideoque *l.* 31. *D. ad L. Aquil.* ab hoc Edicto aliena eſt.

Condemnatio ex primo Edicti capite non una eſt: nam (1) ſi damnum ſordibus effuſis datum ſit in veſtimenta aliasve res, quæ æſtimationem admittunt, Prætor adverſus habitatorem in ſuo, vel conducto, vel gratuito, non vero contra ejus heredem, judicium dat in duplum damni dati. (2) Si liber homo ex ea re occiſus, actio popularis datur ad pœnam quinquaginta aureorum, cuivis ex populo intra annum, non vero heredi, nec contra heredem *l.* 5. §. 5. *eod.* Ratio autem, cur Ædiles in *l.* 42. *D. de Ædil. ed.* graviorem ducentorum ſolidorum pœnam dictaverint, homine libero a feroce animali occiſo, hæc eſt, quod gravius ſit alere leonem, urſum & lupum, quam hominem negligentem recipere, non tamen ita nocere ſolitum, & triſtis forſan caſus excitavit Ædiles, ut rigidius viarum ſecuritatem ſibi mandatam tuerentur. (3) Si liber homo vivit, ſed ei nocitum dicatur, perpetuo agere licet, in id quod æquum judici videbitur: is autem computabit mercedes medicis praeſtitas aliaque impendia, quae in curatione facta ſunt, & operas, quibus laeſus caruit aut cariturus eſt: nam qui de actu tenetur ſimul tenetur de his, quae illum ex

actus

actus vi ſunt conſecuta. Senec. v. contr. 5. Cicatricum vero aut deformitatis nulla fit æſtimatio, quia liberum corpus nullam æſtimationem recipit *l. fin. D. h. t.* & licet reciperet, non eſt, cui illa exſolvi poſſit, quia nemo membrorum ſuorum dominus eſt *l.* 13. *pr. D. ad. L. Aquil.* propter atrocem vero contumeliam injuriarum agi poteſt §. 9. *Inſt. ad L. Aquil.* & duæ fiunt æſtimationes, alia damni, alia contumeliæ, *l.* 5. §. 1. *ad. L. Aquil.* id quod adverſus Titii cenſuram juris Romani obſervandum eſt, Obſ. ad Laut. 268. Secundum Hebræorum leges, lædens nomine damni, doloris, curationis, ceſſationis & ignominiæ tenetur, apud Conſtantin. L'Empereur ad Baba Kamma cap. 8. §. 1. 2. Multi quoque, cum Gomezio & Zoeſio, excipiunt virgines innuptas, quod oris gratia iis eſt inſtar dotis, & nunc difficilius maritum ſunt nacturæ, nec inique! ſed minime hac actione eis experiundum, quæ rei læſæ æſtimationem proſequitur. Apulej. in Apolog. *Virgo formoſa, etſi oppido pauper, tamen abunde dotata eſt: adfert quippe ad maritum novam animi indolem, pulchritudinis gratiam, floris rudimentum.* (4) Si ſervus aliquid dejecerit, vel ex ejus cœnaculo aliquid ſit effuſum aut dejectum, in ſolidum obli-

gatur dominus, non modo, qui auctor fuit ſervo dejiciendi, ſed etiam qui ſcivit, &, cum prohibere poſſet, non prohibuit; ipſe enim dejeciſſe videtur; at ſi dominus ignoravit, actio noxalis eſt *l.* 2. *l.* 3. *D. de noxal. act.* hoc effectu, ut duplum ſit in condemnatione, noxæ deditio in ſolutione *l.* 6. §. 1. *D. de re jud.*

Ex altero Edicti capite datur actio popularis in factum, cuivis e populo, adverſus eum, qui aliquid ſupra eum locum, quo vulgo iter fit, poſitum vel ſuſpenſum habet, cujus caſus alicui nocere poſſit, ad decem aureos actori applicandos. *l.* 5. §. 6. *D. de his qui effud.* Poſitum hic accipere debemus, quicquid in habitationis, cœnaculi, horrei, vel ædificii cujuscunque ſuggrunda protectove expoſitum ſit; modo id decidendo nocere poſſit, licet nondum nocuerit, *d. l.* 5. §. 9. Ratio eſt, ut metu gravioris pœnae cives, & maxime plebeji, in ſupremis cœnaculis res opificii ſui crebrius ſuſpendentes, fiant cauti, & itinera reddantur tutiora. Non datur hæc actio promiſcue adverſus habitantem, uti ex primo capite, ſed adverſus eum, qui poſitum habet, ſive ipſe poſuit, vel ab alio poſitum patitur: ſive ſit dominus ædium, ſive inhabitator, id eſt, ἔνοικος, inquilinus & conductor, nec refert ædes inhabi-

habitent, an non *d. l.* 5. §. 8. Si ſervus poſuit domino ſciente, hic ſuo nomine tenetur, quia paſſus eſt poni; ſin inſciente, noxali judicio eſt locus. *d. l.* 5. §. 10.

Quid autem ſi id, quod poſitum erat, deciderit & nocuerit? Ulpianus ait, in *d. l.* 5. §. 12. *In eum competit actio, qui poſuit, non in eum, qui habitaverit: quaſi hæc actio non ſufficiat; quia poſitum habuiſſe non utique videtur, qui poſuit, niſi vel dominus fuit ædium, vel habitator.* Non temere Cujacius lib. XXII. Obſ. cap. 32. vitii hic aliquid haerere putat, quod non niſi trajectione verborum ſanari poſſit, hoc modo: *in eum competit actio, qui habitaverit, non in eum, qui poſuit.* Repugnat autem Suerinius repetit. lect. cap. 20. nec leves abſurditates ex hac correctione exoriri cauſatur. Videamus. Species hæc eſt: Cajus habitat ædes, in quibus Titius, qui eas non habitat, poſuit aut ſuſpendit aliquid periculoſe; quod cadendo nocuit. Multum intererit, an Cajo ſciente & patiente in ſuggrunda vel projecto aliquid poſitum fuerit, an ipſo ignorante, vel ſciente, ſed in alia parte ædium, extra protectum. Si poſterius ſupponas, haec actio *non ſufficit*, id eſt, deficit: nec enim ea datur adverſus Titium, qui poſuit, quia non eſt dominus aedium, neque habita-

bitator; nec adverſus Cajum, qui habitat, quia is neque poſuit, neque poſitum habet, aut habuit, quum ignorarit, neque in ſuggrunda poni paſſus ſit. Æquum vero viſum, ut actio in factum, in eum qui poſuit, ad exemplum hujus actionis, detur, in qua judex æſtimet, quantum ob eam rem præſtari æquum ſit: majore enim odio dignus eſt, qui occaſionem damni dedit, quam habitator, inter quem & caſum nullus hic eſt nexus. Hanc interpretationem tum voces *poſitum erat*, non poſitum habuerat, tum etiam duæ ſpecies ſequentes firmare videntur; altera de pictore, qui clypeum vel tabulam, ſed non in protecto, expoſitam habuit, & altera de amphora ex reticulo ſuſpenſa, quia & *legitima* Aquiliæ, *&* *honoraria actio deficit.* Quod ſi vero ſpeciem, cum Cujacio, ita concipias, ut Cajo ſciente & in ſuggruenda poſitum fuerit, id quod decidit, trajectio verborum per ſe quidem non mala eſt, ſed, præter codicum fidem, ei refragantur tum verba, *quaſi hæc actio non ſufficiat*, tum ſequentia per *nam* *&* conjuncta. Utique adverſus inhabitatorem actio ſufficiet ex capite ſecundo Edicti, quo coercetur qui poſitum habuit, *ſive nocuit id*, *quod poſitum erat*, *ſive non nocuit l.* 5. §. 11. *eod.* neque opus eſt ad men-

tem

tem capitis primi confugiamus: nam quod dicitur ſuſpenſum pro dejecto haberi, in *l.* 1. *§.* 3. *eod.* verum eſt, etiamſi habitator vel dominus ædium ſuſpendi non paſſus eſt, quod tamen requiritur, ut dici poſſit eos poſitum habuiſſe. Moribus noſtris actio quidem competit adverſus inhabitatores ædium, ut damnum dejiciendo datum reſarciant, verum actiones pœnales non frequentantur, & Ædiles curant, ne quid periculoſe poſitum aut ſuſpenſum ſit. Franciſcus tamen I. Rex Francorum, pœnam decem Francicorum in eos conſtituit, qui pannum Pariſiis ex feneſtra ſuſpenſum habeant, auctore Thuano lib. XVI. Hiſtor.

CAPUT VI.

De edictis Prætorum adversus nautas, caupones et stabularios.

Tria Edicta adverſus nautas, caupones & ſtabularios, totidem libris ſeparatim ab Ulpiano expoſita. Primum eſt de receptis, cujus æquitas, utilitas & neceſſitas oſtenditur. Diverſoria olim rara, donec a Lydis inventa. Caupones quidam meretricum & furum receptatores. Eorum iniquitas, vilitas & perfidia, ad l. 3. §. 1. D. naut. caup. Prætor

tor ab iis præſtare voluit ſuam ſuorumque culpam leviſſimam. An potuerint repellere viatores. Diſcordia inter l. 1. §. 1. eod. & l. un. §. 6. D. furti adv. naut. ſublata. De inſignibus cauponum, ante fores; an antiqua, ad Luc. 11. vſ. 16. Alterum Edictum de damno injuria dato, ex quo datur actio in factum perpetua, gravior quam Legis Aquiliæ, quaſi ex delicto, contra nautam vel cauponem, in duplum, non contra heredes. l. 3. §. 4. cum l. 7. §. ult. D. naut. caup. conciliata. Tertium Edictum de furto in navi aut caupona commiſſo, ſed non a vectore. De jure hoſpitii quædam ex moribus Germanorum, Francorum, Anglorum &c.

Pergimus ad Edicta Prætorum adverſus nautas, caupones & ſtabularios propoſita, in viatorum ſecuritatem, dum iſtorum diligentia acuitur & fraudes coërcentur. Tria autem videntur fuiſſe edicta, huc pertinentia, quorum primum eſt, de reſtituendis iis, quæ receperunt ſalva fore; alterum de damno dato, & tertium de furtis, in navi, caupona vel ſtabulo factis. De primo egit Ulpianus lib. XIV. de altero lib. XVIII. de tertio autem lib. XXXVIII. ad Edictum,

ctum, uti rubricæ *l.* 1. & *l.* 7. *D. naut. caup.* & *l. un. D. furti adverſ. naut.* oſtendunt. Verba Edicti prioris integra ſuperſunt, in *d. l.* 1. hæc: *Nautæ, caupones, ſtabularii, quod cujusque ſalvum fore receperint, niſi reſtituent, in eos judicium dabo.* Æquitas Edicti manifeſta eſt: cum enim hoc genus hominum viatores & hoſpites velut ad ſe invitent, & ſecurum trajectum vel diverſorium expreſſe promittant, hinc de omnibus, quæ diligentia humana caveri poterant, reſpondere tenentur. Nautæ quidem merces datur, ut trajiciat vectores; cauponi, ut viatores manere in caupona patiatur; ſtabulario, ut permittat jumenta apud ſe ſtabulari, & tamen cuſtodiæ nomine tenentur; quia ſalva fore recipiunt, quæ ad navim, cauponam vel ſtabulum perferuntur, adeoque præſumtio naſcitur, quod ad cuſtodiam exactiſſimam ſe obſtringere velint; ſive per ſe recipiant, ſive per magiſtrum navis, aut inſtitorem, cum neceſſe ſit plerumque eorum fidem ſequi *l.* 1. *l.* 5. *D. naut. caup.* & omnia facta magiſtri debet præſtare exercitor, qui eum navi præpoſuit *l.* 1. *§.* 5. *D. de exerc. act.* Ex his utilitas Edicti eſt manifeſta.

Tentari autem poſſet, actionem in factum, quæ ex Edicto proficiſcitur, ſuperva-

pervacuam eſſe, ſicut miratum acccepimus Pomponium, cur honoraria hæc ſit inducta, cum præſto eſſent actiones civiles; depoſiti, ſi gratis res ſuſceptæ, vel, ſi merces intervenerit, ex locato & conducto. Verum Prætor innoteſcere voluit, ſe curam agere reprimendæ iniquitatis id genus hominum, qui cum furibus, adverſus eos, quos reciperent, non raro coïbant *l.* 1. *§.* 1. *l.* 3. *§.* 1. *D. naut caup.* Horatius idcirco *perſidum cauponem* cum nautis audacibus conjungit lib. I. ſat. I. vſ. 29. Alibi eosdem, quaſi naturæ perverſitate, hoſpitibus malignos, & leviſſimæ fidei depingit, lib. I. ſat 5. vſ. 4. ubi Forum Appii ait:

Differtum nautis, cauponibus, atque malignis.

Neque Romæ tantum, ſed ubivis fere gentium male audivit iſthæc hominum trias; Eccleſ. XXVI. vſ. 28. *non juſtificabitur caupo a peccatis.* Dixit etiam Æſchylus κάπηλον τέχνημα, qualis tamen proprie eſt, qui minutatim vendit res eſculentas aut potulentas. Vetuſtiſſimis temporibus diu rariora fuerunt diverſoria, uti ex Lothi, Jonæ aliorumque hiſtoriis pulchre oſtenderunt Viri Cl. Perizonius ad Ælian. lib. IV. var. hiſt. cap. I. & Clericus ad Geneſ. XIX. vſ. 2. Poſtea Lydi primi caupones memorantur;

ſed

ſed illi & ceteri magnam partem meretricum & furum facti receptatores, apud quos viri honeſti divertere nolentes jus hoſpitii multa cum religione contraxerunt. vid. Juſtin. lib. I. cap. 7. Ælian. lib. III. cap. 14. lib. IX. cap. 19. & lib. XIV. cap. 14. & quæ plura de cauponiis, ſive meretriciis artibus Caſaubon. ad Theophraſti charact. pag. m. 184. & de vilitate, ignominia & avaritia cauponum Mornacius ex Platone, Ariſtotele & Plinio attulit, ad *l.* I. *d. t.*

Præterea in plus teneri voluit Prætor nautas & caupones, quam depoſitarios & locatores operarum; quia in locato conducto culpa levis, in depoſito dolus & lata culpa propria duntaxat præſtatur: hoc edicto autem omnimodo qui recepit tenetur, non tantum ex culpa leviſſima ſua, ſed & ſi ſine culpa ejus res periit, facto miniſtrorum, vectorum aut viatorum, niſi ſi quid damno fatali contingit *l.* I. *§. f. l.* 2. *l.* 3. *D. d. tit.* Nec quisquam putet gravius hoc adverſus eos conſtitutum: nam eſt in illorum arbitrio ne quem recipiant *l.* I. §. I. *eod.* licet ſemel viatores receptos repellere non poſſint *l. un §.* 6. *D. furt. adv. naut.* vel, ſi haec conciliatio diſpliceat, in arbitrio cujusque eſt, an velit cauponam exercere, ſi

vero ſigno præ foribus ſuſpenſo id profeſſus eſt, non poteſt repellere iter agentes. Ejusmodi ſignum nonnulli putarunt fuiſſe præſepe, in quo paſtores Chriſtum jacentem invenere, Luc. II. vſ. 16. & Sponius ita interpretatur, in inſcriptione Narbonenſe, OSPITALEM A GALLO GALLINACIO, quod gallus hoſpitii inſigne fuerit. Cetera de meſonautis, mediaſtinis, diaetariis, navium cuſtodibus, quid ſit χειρέμβολον facere, id eſt navi injicere, aliaque ad hujus Edicti interpretationem pertinentia Cujacius lib. XXVII. Obſ. cap. 31. Auguſtinus lib. III. Emend. cap. 3. adverſus Alciati lib. III. Diſpunct. cap. ult. & lib. I. Parerg. cap. 43. nec non Ampl. Bynkershoek lib. II. Obſ. cap. 14. erudite explicarunt.

Alterum Edictum, de damno injuria dato, in nave, caupona aut ſtabulo periit, ſententiam autem ejus verbis Cl. Noodtii ad D. pag. 145. proponam: *In nautas, caupones & ſtabularios, ſi damnum injuria datum erit ab his, quorum opera navem, cauponam aut ſtabulum exercent, in duplum judicium dabo: niſi prædixerint, ut unusquisque res ſuas ſervet, & prædictioni conſenſum ſit.* Ulpianus ſeparatim lib. XVIII. ad Edictum, & Paulus lib. XXII. ubi in materia legis Aquiliæ erant

erant occupati, de hoc Edicto egerunt, ſecundum rubricam fugitivæ *l.* 7. *&* *ult.* *D. naut. caup.* juncta inſcriptione *l* 5. 6. 7. *D. ad L. Aquil.* Prætor enim ad exemplum damni injuria dati, ſed gravius coërcet damnum, in navi, caupona vel ſtabulo viatoribus datum, idque bifariam: primum enim in duplum promittit actionem, licet nulla culpa vel inficiatio exercitoris fuerit probata; deinde non modo ex facto proprio exercitoris, ſed etiam ex facto illorum dat actionem, quorum opera navis exercetur, ſive liberi fuerint, ſive ſervi alieni, quia periculo ſuo eorum opera uſus: nec opus eſt perſonam ejus deſignare, qui deliquit, niſi quis contra illum agere velit, quod eſt quoque licitum, *l. pen.* *§. ult. D. naut. caup.* Quamvis ergo ex ſimplicitate naturali factum alienum nemini imputari poſſit, *l.* 74. *de R. J.* id tamen fallit, ſi voluntas noſtra concurrit, quæ vel ex culpa vel ex pacto colligitur *l.* 30. *§.* 4. *D. locat.* Utrumque adeſt in exercitore navis, cauponæ vel ſtabuli; nam ut ipſe non deliquerit, argui poteſt ejus culpa, quod malos adhibuit homines *§. ult. Inſt. de obligat. quæ quas ex del. l.* 7. *§.* 4. *D. naut. caup. l.* 5. *§. f. D. de oblig. & act.* Idem quoque ipſo facto, interpretatione Præ-

 toris

toris, tutum hoſpitium viatoribus promiſiſſe cenſetur: nec dubitandum eſt, quin is, qui ſalvum fore recipit, a damno quoque recipere videatur, ſed in hoc Edictum incidit, etſi periculum cuſtodiæ recipiendo non ſubiit, *l.* 1. §. 1. *l.* 5. *§.* 1. *D. naut. caup.* juncta *l. un. §.* 4. *D. furt. adv. naut.*

Notandum ergo non unum eſt diſcrimen hanc inter actionem in factum, & ſuperiorem ex primo Edicto, quod cum Accurſius ignoraret, plus ſemel hæſitavit & a vero aberravit longiſſime. Rectius actiones binas Ludovicus Vitalis diſcrevit lib. 1. lect. var. cap. 2. Veram autem interpretandi viam Gilbertus Regius Bonefidio, ope inſcriptionum, indicavit, Enantioph. jur. civil. lib. 11. c. 7. eandemque Cl. Noodtius ad h. t. & lib. 11. Obſ. cap. 9. ingreſſus eſt, omnibus autem ſummus Cujacius præluxit, in Parat. D. furti adverſus naut. Nimirum (1) actio in factum ex Edicto primo, quaſi ex contractu, eſt rei perſecutoria, in ſimplum, ut in fidem recepta reſtituantur, damnumque rebus, ſive in navi, ſive in litore datum reſtituatur. *l.* 3. *pr. D. naut. caup.* Hæc vero ex ſecundo Edicto, quaſi ex delicto, eſt pœnalis, in duplum damni injuria in ipſa navi vel caupona

pona, non extra eam dati, *l. 7. D. naut. caup.* (2) Illa datur ob damnum, a quocunque, etiam a viatoribus vel vectoribus datum *l.* 1. *§. f. l.* 2. *l.* 3. *D. eod.* hæc autem tantum pertinet ad nautas, & homines liberos, quorum opera exercitor utitur, & ad eos, qui habitandi cauſa in caupona ſunt; non vero ad eos, qui hoſpitio repentino excipiuntur, veluti viatores l. 6. §. 2. 3. *eod.* pulchra ratione: namque viatorem ſibi eligere caupo vel ſtabularius non videtur, nec repellere poteſt iter agentes, miniſtros autem & inhabitatores perpetuos ipſe quodammodo elegit, aut ſaltim non rejecit, nec exploravit cujus fidei, cujus innocentiæ ſint, quorum factum eum præſtare oportet, *l. un. §. 6. Furti adv. naut.* Sed nec ob damnum a ſervis propriis datum exercitor hac actione ex quaſi maleficio tenetur, verum noxæ eos dedendo ſe liberat, cum ei ignoſcendum ſit, ſi quales quales ad inſtruendam navem adhibuit, velut in domeſtico malo, *d. l. ult. §. 4. D. naut. caup.* & *l. un. §. 5. furti adv. naut.* Denique (3) prior actio in heredem, & perpetuo datur, quia rei perſecutionem continet *l. 3. §. pen. D. naut. caup.* hæc vero in heredem non datur, quia pœnalis eſt & honoraria, datur tamen perpetuo,

quia ad exemplum legis Aquiliæ a Prætore formata eſt *l. ult. §. 6. D. eod.* Sic ultro in concordiam redeunt omnia, nec umbra antinomiæ ſupereſt, ſi erratica illa duo capita finalia ſub tit. nautæ caup. ad ſuas ſedes referantur. vid. etiam Ampl. Brencman. de Leg. inſcript. §. 7.

Supereſt tertium Edictum, cujus itidem deperditi verba, ex *l.* 1. *pr. D. furt. adv. naut.* ita concipi poſſe videntur: *In nautas, caupones, ſtabularios, ſi quid a quoquo eorum, quosve ibi habebunt, furtum factum eſſe dicetur, in duplum judicium dabo: Sive furtum ope conſilio exercitoris factum ſit: ſive eorum cujus, qui in ea navi navigandi cauſa eſſet.* Sedes hujus edicti eſt in titulo D. *Furti adverſus nautas, caupones & ſtabularios*, cujus unicum Ulpiani caput eſt ex lib. XXXVIII. ad Edictum, in quo is de actionibus Prætoriis, quæ ad ſimilitudinem actionis furti civilis comparatæ ſunt, etiam de propria furti actione in publicanos, viatoribus moleſtos, egit: uti conſtat ex *l.* 12. *D. de publican.* quacum jungenda eſt *l.* 195. §. 3. *de V. S.* ubi ipſe Ulpianus hunc titulum Edicti *de furtis* appellat, *ut in Edicto Prætoris oſtendimus, ſub titulo de furtis, ubi Prætor loquitur de familia publicanorum.* Opus autem fuit Edicto,

ut

ut utilis furti actio, ex facto alieno, in exercitores navis, ſtabuli vel cauponæ competeret, quorum nulla injuria, nullumque maleficium eſt; & movit Prætorem rurſus, quod quaſi delinquere cenſetur, qui malorum hominum opera utitur, per quos viatores lædantur. Quidam in margine Ruſſardi, in Edicto noſtro pro *quosve* reponunt *quosve quasve*, forſan ut ipſe exercitor excludatur, quem conſtat, ob furtum viatoribus factum, ex vero delicto teneri, etiam in quadruplum, ſi fur manifeſtarius ſit, *§. ult. Inſt. de obl. quæ quaſi ex del.* at ſequentia oſtendunt, exercitorem, ſive vectores ope & conſilio ejus, ſive nautæ, vel vectores, qui in navi eſſent navigandi cauſa, ipſo inſcio furati ſunt, hac actione conveniri. Navigandi autem cauſa accipere debemus eos, qui adhibentur, ut navis naviget; quales etiam ſunt, qui pro vectura remos agunt, quos Ulpianus ναυτεπιβάτας recte vocavit, in *l. ult. §. 2. D. naut. caup.* Factum ceterorum vectorum, qui naulum ſolvunt, in hac actione non venit. vid. Cujac. lib. XXVII. Obſ. cap. 31.

Atque ita diſcretis Edictis luculenter apparet, quantam vectorum, viatorum, mulionum & quorumcunque peregrinantium curam geſſerit Prætor; dum non

modo in cuſtodiam recepta confeſtim ipſis reſtitui, ſed etiam ſi quid damni ipſis illatum aut ſurreptum ſit, duplo ſarciri voluit: credebat enim ſatis promotum iri auream illam, quæ peregrinis debetur, celeritatem, ſi ipſis vel directo cum eo, qui deliquerat, vel cum navis exercitore liceret experiri, neque difficili probatione ejus quod intereſt opus eſſet, cujus vice alterum tantum in duplo fungitur. Atque ita oportebat in Republica bene conſtituta: nam ipſe Deus Opt. Maximus, in Theocratia ſua, advenarum & peregrinantium cauſam majorem in modum commendavit Exod. XXII. vſ. 21. Deut. X. vſ. 18. Apud Indos, Cretenſes & Græcos Magiſtratus poſiti erant peregrinis, ne injuria afficerentur. Ipſe Gentilium Juppiter, quod hoſpitibus jura dediſſe credebatur, Ξένιος Ζεὺς apud Homerum Odyſſ. ξ' vſ. 55. & *Juppiter Hoſpitalis* apud Ciceronem & Plinium dictus eſt. Cauſa illius rei, quod nulla olim, aut rariora eſſent diverſoria. De Lucanis, Italiæ populis, Ælianus lib. IV. var hiſt. cap. I. *Lex quædam ſancit, ſi occidente jam ſole venerit peregrinus, volueritque ſub tectum alicujus divertere, is vero hominem non receperit, ut mulctetur & pœnas luat hoſpitalitatis.* De Germanis Cæſar lib. VI. de

de B. G. cap. 23. *Hoſpites violare fas non putant: qui quaque de cauſa ad eos venerunt, ab injuria probibent ſanctosque habent: iis omnium domus patent, victusque communicatur.* Hujus φιλοξενίας inſigne teſtimonium profert Nicolaus Damaſcenus de mor. Gent. p. 8. Pomponius Mela. lib. III. cap. 3. *hoſpitibus tantum bonos* nuncupavit. Tacitus de M. G. cap. 21. *Convictibus & hoſpitiis non alia gens effuſius indulget: quemcunque mortalium arcere tecto nefas habetur. . . . notum ignotumque, quantum ad jus hoſpitii, nemo diſcernit.* Gothorum ſtudium erga peregrinos viatores vehementer commendat Joh. Magnus Hiſt. Goth. lib. IV. cap. 1. Slavorum mire extollit Helmoldus lib. I. cap. 83. & lib. II. cap. 12. aliorum Grotius celebravit lib. II. cap. 2. §. 16.

Eadem hoſpitalitas in Capitularibus Regum Francorum crebro inculcata eſt. Ita Carolus M. apud Baluz. tom. I. pag. 370. n. 27. *Præcipimus, ut in omni regno noſtro, neque dives, neque pauper peregrinis hoſpitia denegare audeant.* Pag. 400. n. 16. *Intra regna noſtra omnibus iterantibus nullus hoſpitium deneget, manſionem & focum tantum.* Pag. 935. n. 82. *Si quis homini aliquo pergenti in itinere manſionem vetaverit, ſexaginta ſolidos componat in*

blico. Ab eadem humanitate eſt, quod Choppinus III. Pariſ. 3. n. 11. memorat, cauponem extra ordinem multatum, quod miſellum viatorem ſæva hyeme thorace ſpoliaſſet. Hinc etiam robatores apud Francos, Anglos & Scotos duriſſimis pœnis affecti, quod robas, id eſt veſtes viatoribus diripiebant: præter has enim, in magna veterum paupertate & argenti inopia, raro aliquid erat quod adimeretur. Bene etiam obſervat Henricus Spelmannus, pauca olim in Anglia, uſque ad Edwardum III. in Hibernia vero, ad ſua uſque tempora, fuiſſe diverſoria, ſed viatores ingreſſos ignotorum domus, cibi & quietis cauſſa, gratis mane receſſiſſe. Ut ad Edictum noſtrum revertamur, Theodorico Regi c. 119. placuit, ut nautæ & caupones, ſi præſtent ſacramentum de conſcientia ſua ſuorumque, nihil cogantur exſolvere; ſed moribus noſtris tantum abeſt, ut illud extra uſum ſit, ut utiliter etiam adverſus exercitores curſus publici ex eo agatur, nec culpa probanda ſit. Duplum vero non facile adjudicatur, etſi Brunnemannus pro uſu ejus reſponderit, cent. III. deciſ. 14.

C A-

CAPUT VII.

De Edicto Prætoris adverſus publicanos.

Verba Edicti corrupti varie reſtituta, a Cujacio, Leunclavio, Pithæo & Frehero; nova conjectura. Publicum pro vectigali. Publicani viri ſplendidi ex ordine equeſtri: ſed eorum miniſtri & portitores ob rapacitatem & proditoriam curioſitatem odioſi ubivis. Matthæus & Lucas ex profanis ſcriptoribus illuſtrantur. Actio Prætoria adverſus publicanos cur ſit propoſita; quænam habeat ſingularia. l. 1. *§.* 3. *de publican. collata cum Lucæ* XIX. *vſ.* 8. *Actio extraordinaria, adverſus publicanorum novas acerbitates & nomina exactionum illicitarum, a Nerone introducta, & renovata ab Antonino. Paulus in l.* 9. *§.* 5. *de publican. ex Tacito & Capitolino explicatus. Vectigalia cur nervi Reipublicæ appellentur. Portoria ſunt onus rerum & mercium, ex inſtituto Cæſaris, maxime peregrinarum, quarum catalogus in l. ult. §.* 7. *D. de publican. Vectigal quare pendendum in itinere & tranſitu pontis. Quid pontaticum. Quantitas octava mercium pars; inde portitores octavarii dicti. Portorium quadrageſi-*

geſimæ. Cur vectigalia inter funeris ſumtus, ad l. 37. D. & l. ult. C. de religioſ. Leonini aliorumque corruptiones rejectæ.

Juvabit nunc ſtilum convertiſſe ad Edictum Prætoris, quo viatorum ſecuritati adverſus publicanos cavetur. Verba ejus in l. 1. *D. de publican.* ſunt iſta: *Quod publicanus, ejus publicani nomine, vi ademerit, quodve familia publicanorum: ſi id reſtitutum non erit, in duplum; aut, ſi poſt annum agetur, in ſimplum judicium dabo. Item ſi damnum injuria furtumve factum eſſe dicetur, judicium dabo. Si id, ad quos ea res pertinebit, non exhibebitur, in dominos ſine noxæ deditione judicium dabo.* Nemo non videt initio Edicti, in verbis *ejus publicani nomine* vitii aliquid hærere, nec convenit inter Eruditos, quomodo illud tollendum ſit. In Vulgata eſt *ſeu quis publicani nomine*; Cujacius in Parat. D. legit *ejus publici nomine*, auctoritate Baſilicorum; Leunclavius lib. II. Notat. cap. 85. mavult *juris publici nomine*; Pithœus *publicarii nomine*, ex Gloſſis Græco-Lat. δημόσιον, τελώνιον, *publicarium*; Ranchinus, *aut quis publicani nomine*; Freherus lib. II. veriſ. c. 19. ſubſtituit *æris publici nomine*, vel *æris publicani*

cani nomine; alii denique, ut Ruſſardus, quosdam libros habere ajunt, *ſeu publicani nomine*, quosdam *ejusve familia publicani*. Vulgatæ lectio non placet; quod ſi enim familiam publicani his verbis intelligis, ocioſe ſtatim ſequetur, *quodve familia*; ſi vero extraneum, ex facto alieno publicanus non tenetur. Majorem ſpeciem habet Cujaciana emendatio: nam Baſilica lib. 56. tit. 1. vertunt: ἐὰν τελώνης ἢ ἡ φαμιλία αὐτȣ̃ ὀνόματι τȣ̃ τέλȣς ἀφελῶνταί τι, *Si publicanus vel ejus familia vectigalis nomine quid ademerit*. Publici quoque nomine ἁπλῶς poſiti, certum eſt vectigal intelligi fiſco debitum, quod Græci exponunt τέλος: nam publicanos Ulpianus definit, *qui publico fruuntur*, in *l*. 1. *§*. 2. *D. de publican*. & alibi qui *publica vectigalia* habent conducta, *l*. 12. *§*. 3. *eod.* Javolenus publicum vocat, quod vectigalium cauſa locatum eſt, *l*. 34. *§*. 1. *D. ex quib. cauſ. maj.* Sic conductiones publicorum in *l*. 33. *D. pro ſoc.* Horat. lib. 1. ep. 1. vſ. 77. *Pars hominum geſtit coudучere publica*. Sueton. Veſpaſian. cap. 1. *Sabinus publicum quadrageſimæ in Aſia egit*, quæque plura id genus ſatis nota apud Lipſ. ad XIII. Ann. 51. Gronov. IV. Obſ. 23. Græv. ad III. Verr. 38. & ante omnes apud Briſſon. de V. S. leguntur. Veruntamen

tamen correctio iſta haud arridet; quomodo enim *ejus publici* dici poteſt, ubi publici nulla præceſſerit mentio? quærit Freherus. Longe magis *æris* probo; ſed, ut brevis ſim, *uſus publici nomine* conjicio legendum, hoc ſenſu: non omnem vim a publicano illatam hoc edicto coërceri, ſed eam, quam is pro uſu viæ aut fluminis publici, in uſum publicum, & ſpecie publici tuendi intulerit: publica enim dicuntur, quæ *publico uſui* deſtinata ſunt *l.* 2. §. 5. *D. ne quid in loc.* Potuit error inde enaſci, quod librarius ſyllabam poſtremam geminare neglexit, cum ſcriptum eſſet *publicanVSus.* Similia Rad. Fornerius lib. 1. rer. quot. cap. 19. & Fabrot. epiſt. ad Salmaſ. t. III. Theſ. jur. civ. pag. 1267. dedere.

Erant vero Romæ potentiſſimæ publicanorum ſocietates, non de plebe hominum, ſed ex ſplendido ordine equeſtri, quæ publicos reip. reditus, a Cenſoribus & Curatoribus viarum, quæſtus ſui cauſa, conducebant, & tam in Urbe, quam in provinciis maxima auctoritate valebant, uti Viri Cl. Sigon. lib. II. de jur. civ. Rom. cap. 4. & Burmann. de vectig. cap. 9. late oſtenderunt. Cicero pro Planc. cap. 9. hoc ordine, ipſius amantiſſimo, florem Equitum Romanorum, ornamentum civi-

tatis

tatis, & firmamentum Reip. contineri, ait, & pro lege Manil. cap. 7. viros illos ornatiſſimos, tanquam præſidia ceterorum ordinum & Reip. laudat. Seneca epiſt. 101. Senecionem Cornelium, equitem Romanum ſplendidum & officioſum, *ad publica* quoque acceſſiſſe, ſcribit, id eſt ad vectigalium redempturas. Appian. Bell. Civ. II. p. 435. *Equeſtris ordo potens, tam propriis divitiis, quam quæſtu ex vectigalibus publicis, quæ redimere a populo ſolitus.* Hi vero vectigalia integrarum provinciarum conducta, per partes ſublocabant, vel opera miniſtrorum & ſervorum ſuorum utebantur. Iſti, ut rem facerent, plerumque in provinciis ultra conſtitutum exigebant, quantum poſſent, ideoque de eorum rapacitate, avaritia & delatoria curioſitate non modo ſcriptores profani, ſed & ſacri queruntur. Matth. XVIII. vſ. 17. XXI. 32. Luc. III. vſ. 12. 13. XV. vſ. 1. & Baba Kamma cap. X. §. 1. vetat pecunias permutari ex arca publicanorum, quia erant ipſius rapinæ. Apud Græcos notum eſt illud Comici: πάντες τελῶναι, πάντες εἰσιν ἅρπαγες, unde deſumtum, quod Plutarchus in Lucullo, cum Harpyjis eos comparavit. Theocritus interrogatus quænam eſſent ſæviſſimæ feræ? In montibus, inquit, urſi & leo-

leones, in urbibus publicani, auctore Stobæo lib. II. De portitoribus Cicer. lib. I. de Off. cap. 42. *Improbantur hi quæſtus, qui in odia hominum incurrunt: uti portitorum, ut fœneratorum.* Augebatur odium ob curioſitatem, an merces illicitæ eſſent, vel improfeſſæ. Nonius in portitores: *Portitores ſunt telonarii, qui portum obſidentes omnia ſciſcitantur, ut ex eo vectigal accipiant.* Non mitius de M. Poſtumio & L. Pomponio publicanis ſentit Liv. lib. XXV. cap. 3. quod *fraude avaritiaque parem in civitate neminem habuerint.* Alia pulchra Radulphus Fornerius congeſſit lib. VI. Rer. quot. c. 12. ſed rem omnem obſignabit Ulpian. in *l.* 12. *D. de publican.* ita ſcribens: *Quantæ audaciæ, quantæ temeritatis ſint publicanorum factiones, nemo eſt, qui neſciat: idcirco Prætor, ad compeſcendam eorum audaciam, hoc Edictum propoſuit.*

Satis igitur cauſæ habuit Prætor, cur novam actionem ordinariam daret, ſi quid publicani vel familia eorum vi ademiſſent, aut plus exigendo damnum injuria furtumve feciſſent, intra annum in duplum, cui res ineſt, poſt annum in ſimplum *l.* 1. *pr. & §. pen. l.* 5. *§.* 1. *l.* 12. *§.* 1. 2. *D. de publican.* Gravior illa eſt, quam actio damni injuria, mitior quam vi bonorum rapto-

raptorum aut furti, de qua Ulpianum lib. 38. ad Edictum egiſſe capite præcedenti vidimus. Sed non ideo minus ſi furtum factum aut vis adhibita ſit, actionibus furti aut bonorum raptorum tenentur, *l.* 1. §. 3. 4. *l.* 9. §. 5. *D. eod.* unde titulus de publicanis in Edicto proxime juxtá materiam de furtis eſt collocatus. Harum imitatione, vel ſi mavis ad exemplum Exodi XXII. vſ. 1. Zacchæus publicanus, judicis perſonam in ſe ſumens, quadruplum pretium reſtituit. Luc. XIX. vſ. 8. Plures publicani tenentur ſinguli pro rata, ut tamen unius inopia alios oneret, ex reſcripto Severi & M. Antonini *l.* 6. *eod. l.* 46. §. *f. de jure fiſci.* Dupli pœna evitari poteſt reſtitutione ejus, quod ſupra modum exactum, ante ſententiam facta *l.* 1. *pr.* & §. 4. *l.* 5. *D. de publican.* id quod admiſſum videtur, ne homines a conducendis vectigalibus deterrerentur; cum alias nemo pœnitentia ſua nocens eſſe deſinat. Si familiam ſuam, ideſt cœtum ſervorum ſibi ſubjectorum, qui damnum, furtum aut vim fecit, non exhibeant, in ſolidum ſuo nomine, ſine noxæ deditione conveniuntur, quod proprium eſt hujus Edicti *l.* 1. §. 6. *eod.* nam quia poterant & debebant bonos ſervos ad hoc miniſterium eligere, culpa eorum

præſumitur, & quaſi ex delicto punitur. *l. 3. pr. eod.*

Hoc amplius ſumma publicanorum audacia, & vigor publicæ diſciplinæ poſtulavit, ut aliquando extra ordinem plecterentur *l. 9. §. 5. de publican.* Apte Tacitus lib. XIII. Annal. cap. 51. tempus introductæ hujus animadverſionis ſignat: cum enim publicani, Neronis tempore, ſuppreſſa lege, ſive formula conductionis, nova indies nomina exactionibus illicitis invenirent, atque iter facientibus longe plus, quam publice erat conſtitutum, extorquerent, is temperandas cenſuit eorum cupidines, ne per tot annos ſine querela toleratas novis acerbitatibus ad invidiam verterent. *Edixit ergo, ut leges cujusque publici occultæ ad id tempus proſcriberentur: omiſſas petitiones non ultra annum reſumerent: Romæ Prætor; per provincias, qui pro prætore aut conſule eſſent, jura adverſus publicanos extra ordinem redderent.* Hæc vero cum brevi ſervata, dein fruſtra haberentur, ideo M. Antoninus Philoſophus viarum curatoribus coërcitionis poteſtatem dedit, auctore Capitolino ej. vita cap. XI. *Dedit præterea Curatoribus regionum ac viarum poteſtatem, ut vel punirent, vel ad Præfectum Urbi puniendos remitterent*

eos,

eos, qui ultra vectigalia quicquam ab aliquo exegiſſent. Adde quod ex lege Julia de vi publica tenentur, qui nova vectigalia exercent *l. fin. D. ad leg. Jul. de vi publ.*

Vectigalis vox late patet, & decumas, ſcripturam, viceſimam hereditatum, quadrageſimam litium, quinquageſimam, centeſimam & ducenteſimam rerum venalium complectitur; nobis autem hoc loco proprio ſignificatu notat penſionem, quæ pro mercium vectura, aut tranſitu, in via publica, itinere vel pontibus ſolvitur. Jus imponendi vectigalia imperio civili ineſt, ſed gravem olet dominatum, ſi modus excedatur citra neceſſitatem *l.* 10. *D. de publican. l.* 2. *C. vectig. nov. inſt.* Juſtitia eorum pendet vel ab impenſis, quas Remp. in viarum, portuum & riparum munitionem inſumere oportet; vel a ſecuritate, quæ mercibus præſtatur; vel denique a ſolo tranſitu & facultate commercii in territorio alieno: quæ tria tribus hodie vocabulis diſtinguuntur. vid. Grot. lib. II. cap. 2. §. 14. & Pufend. lib. III. cap. 3. §. 7. quæque Cl. Barbeyracus ad utrumque annotavit. Neceſſitas porro vectigalium tanta eſt, ut iis amiſſis & pacis ornamenta, & ſubſidia belli requirantur, auctore Tullio pro lege Manil. cap.

 2.

2. Idem contra Rullum cap. 18. *nervos* appellat populi Romani; ſicut Ulpianus, in *l.* 1. §. 20 *D. de quæſt.* in tributis *reip. nervos* eſſe dixit: quemadmodum enim in nervis robur eſt membrorum, quibus inciſis ea fiunt inutilia, ita amiſſis vectigalibus amittitur civitas, & *diſſolutionem imperii ſequi, ſi fructus, quibus Reſp. ſuſtinetur, deminuantur*, ajunt Senatores, ſtultum Neronis impetum attinentes, apud Tacit. lib. XIII. annal. cap. 50. Pertinacem vero remiſiſſe vectigalia, quæ in portubus, ripis fluminum & in itinere exigebantur, teſtis eſt Herodianus lib. 2. cap. 4 de cujus fide tamen dubitari poſſet; niſi exactiones ſuperiorum tyrannorum immodicas ſublatas fuiſſe putes. vid. Cl. Burmann. de vectig. cap. 5.

3. Apud Romanos alias quandoque vectigalium ſpecies ex rebus turpibus vel ſordidis exactas nollem, ab ipſa vero æquitate depromtum eſt, quod res neceſſarii ac domeſtici uſus, vel agriculturæ, vel exercitus cauſa comparatæ, fuerunt immunes *l.* 4. §. 1. *l.* 9. §. *pen. D. de publican. l.* 5. *C. de vectig.* Contra quicquid negotiationis cauſa habetur; imprimis vero merces peregrinæ, quæ ad luxum & voluptatem importantur, vel exportantur ad peregrinos, obnoxiæ fuerunt. Julium

Cæ-

Cæſarem diſcriminis ejus auctorem laudat Sueton. ej. vit. cap. 43. *Peregrinarum mercium portoria inſtituit.* Catalogum illarum mercium, ſatis difficilem dedit Marcianus in *l. ult. §. 7. D. de publican.* in quo explicando Salmaſius, Voſſius & felicior Ill. Bynkershoek lib. IV. Obſ. cap. 5. laborarunt. Solvitur vectigal in itinere; hinc quæſtio Ulpiani de marito, qui pro uxore ſua *vectigal, quod in itinere præſtari ſolet*, ſolvit in *l.* 21. *pr. D. de donat. int. vir. & ux.* etiam in traſitu pontis, redemptores portorium exegiſſe, ex Labeone diſcimus in *l.* 60. *§.* 8. *D. locat.* Sic pro Rheni tranſitu exigebant Romani, Tacit. IV. Hiſt. cap. 65. Seneca de conſt. ſap. cap. 14. *cogitans & in pontibus quædam pro tranſitu dari.* Aimoinus *pontaticum* vocat lib. v. cap. 1. alii apud du Frene in Gloſſ. *pontagium* & *pontonagium* eadem notione dixerunt. Quantitas vectigalis, quod portorii nomine exigebatur, poſtremis temporibus fere erat octava mercium pars, *l.* 2. C. *de eunuch. l.* 7. *C. de vectig.* unde portitores *octavarii* dicti *l.* 8. *C. eod.* qui ope ſtationariorum & urbanorum militum vectigal exigebant *l.* 34. §. 1. *D. ex quib. cauſ. maj. l.* 5. *C. de vectig.* antea vero ordinarium quadrageſimæ portorium fuiſſe videtur,

 de

de quo Quintilian. declam. 359. *Præter inſtrumenta itineris omnes res quadrageſimam publicano debeant: publicano ſcrutari liceat; quod quis profeſſus non fuerit, perdat.* Symmachus lib. v. Epiſt. 63. *Quadrageſimæ portorium, ſive vectigal, non recte poſcitur a Senatoribus Candidatis.* Plura vide apud Cujac. lib. VI. Obſ. cap. 28. Reineſ. ad cl. IX. inſcr. 36. Spanhem. de Præſt. & uſu. diſſ. XIII. pag. 549. & cujus præcipua diligentia commendanda eſt, Cl. Burmann. de vectigal. cap. 5.

Illud vero obſcurius nonnullis viſum fuit, quod publicanus ne mortuis quidem pepercerit: Macer enim in *l.* 37. *D. de religioſ.* funeris impenſam eſſe dicit, quicquid corporis cauſa, antequam ſepeliatur, conſumptum eſt, ut ſi qua *vectigalia* ſunt, ſarcophagi & vectura. Ita Florentiæ legitur; ſed apud Haloandrum eſt *veſtiaria* quem Leunclav. lib. II. Notat. n. 36. & Elbertus Leoninus lib. III. Emend. cap. 10. ſecuti ſunt, tum quia Græci τὴν ἔνδυσιν vertunt; tum quia hujusmodi vectigal nulla lege inſtitutum reperiatur, nullo antiqui auctoris ſuffragio confirmetur, & favori cadaverum ſepeliendorum ſit contrarium, quæ non niſi permiſſu Pontificis, vel juſſu Principis, in alium, quam ubi defun-

defunctus obierit, locum transferre licuerit *l.* 8 *l.* 14. *D. l.* 1. *C. de relig.* Verum ex conſtitutione contraria, a Cujacio lib. XI. Obſ. cap. 21. reſtituta, liquido apparet, vectigalia in itinere, olim pariter ac hodie, præſtanda fuiſſe, dum corpus ex uno loco deferretur in alium; adeoque aſſurgendum eſſe auctoritati libri Medicei. *In nullo quopiam loco vectigal ab aliqua perſona pro corporibus ex uno in alium locum tranſlatis præſtetur, l. ult. C. de religioſ.* Idem quoque lib. V. Obſ. cap. ult. Florentinam lectionem ex Baſilikῶν lib. 59. firmavit, in quibus τὸ τέλος, ἢ ἡ σορὸς, καὶ ἡ στολὴ legitur. Adde Rad. Forner. lib. III. rer. quot. cap. 6. Lipſ. lib. I. Elect. cap. 6. & 9. Guther. de jur. man. lib. III. cap. 19. & Kirchman. de fun. lib. III. cap. 25.

CAPUT VIII.

De interdictis Prætorum viariis, et de via reficienda.

Quinque Prætorum interdicta ad vias publicas pertinentia; cui quædam vicina de fluminibus adjiciuntur. l. 42. D. de proc. à Græcorum errore liberata. Senſus Legis Decemviralis de via immunita, apud Ciceronem. Viæ militares communiter ſumtibus ærarii vel fiſci ſtupendis munitæ. Dio Caſſius adverſus Caſaubonum defenſus. Aliquando Magiſtratus vel privati de ſua pecunia eas ſterni curaverunt. Viæ vicinales conſtructæ per magiſtros pagorum, operis & nummis poſſeſſorum, quibus τέλος ὁδοστρωσίας, *& collatio viarum injungebatur. Quid ſit viam exigere. Onus hoc omnibus incumbebat, nec inter ſordida munera, ſed nobiliſſima relatum Levabant illud milites legionarii, & damnati in opus publicum viarium, & legata in tutelam viarum relicta. l. 30. D. de leg. 2. explicata. Jus Francorum, Langobardorum & Anglorum hac de re vetus & hodiernum.*

Per-

Pergamus nunc ad interdicta & prohibitoria & reſtitutoria, quæ Prætores, juris publici tuendi cauſa, promiſerunt omnibus, quorum intereſt, ut uſus viarum & fluminum publicorum pateat ſine impedimento. Et primum quidem interdictum prohibitorium eſt, quo tam publicis, quam privatis utilitatibus proſpicitur: *Ne quid fiat in via, itinere, aliove loco publico, quod actori nocere poſſit, & uti caveatur non fieri. l. 2. pr. & §. 18. D. ne quid in loc. publ.* Alterum prohibitorium cuivis e populo datur: *Ne quid fiat vel immittatur, in via publica itinereve publico, quo ea via idve iter deterius ſit, fiat, d. l. 2. §.* 20. Hoc interdictum tantum ad vias extra urbem pertinet; ſi quid vero in urbica via fiat, effodiendo, conſtruendo, & morticina projiciendo, ei rei Ædiles occurrunt, nec cuilibet neceſſe eſt ire ad interdictum *d. l.* 2. *§.* 24. junct. *l. un. D. de via publ. & ſi quid.* Tertium reſtitutorium eſt: *Ut quod in via publica factum immiſſum quis habet, quo via illa iterve deterius ſit, reſtituatur, d. l.* 2. *§.* 35. Datur hoc cuilibet contra poſſeſſorem hujuſmodi operis, eumve, qui dolo malo poſſidere deſiit, non contra eum, qui fecit vel immiſit *d. l.* 2. *§.* 37. 38. 42. Quar-

tum prohibitorium eſt: *Ut ne cui vis fiat, quo minus in via publica vel itinere ire agere liceat*, *d. l.* 2. *§.* 45. Hoc quoque populare eſt, ſed quaſi privatæ actionis dari poteſt procurator *l.* 42. *D. de procurat.* ubi Græci pro *via publica* legerunt *vi publica*, περὶ βίας δημοσίας, quibus refellendis vel *l.* 6. *D. ne quid in loc. publ.* & *l.* 14. *D. de injur.* ſufficiunt. Eodem nomine datur quoque actio injuriarum *l.* 13. *§. f. D. de injur.* & Paul. *lib.* v. *ſent. tit.* 6. *§.* 2. ait ſolicitudinem hujus rei ad viarum curatores pertinere. Quintum interdictum prohibitorium rurſus & omnibus, & in omnes datur: *Ne vis fiat ei, qui viam publicam iterve publicum reficere velit*, *l.* 1. *D. de via publ. & itin. publ.* Reficit autem & qui *aperit* viam, id eſt ad veterem altitudinem latitudinemque reſtituit, & qui *purgat*, id eſt ad libramentum proprium redigit, ſublato eo, quod ſuper eam eſſet. His adjungi debent interdicta prohibitoria & reſtitutoria, quibus Prætor navigantibus proſpicit, & ripam munientibus: *Ne quid in flumine publico ripave ejus fiat, quo ſtatio iterve navigio deterius ſit.* Item: *quod factum eſt, vel immiſſum, ut reſtituatur l.* 1. *pr.* & *§.* 19. *D. de flumin.* Rurſus *Ne vis fiat ei, qui navigat in flumine*, nec ei: *qui*

reficit & munit ripam fluminis agrive, qui circa ripam eſt, *l.* 1. *D. ut in flum.* & *l.* 1. *D. de ripa mum.* Uſus autem eſt Prætor in edictis hiſce plus ſemel voce *itineris* de navi, ut alii Veteres ſupra laudati pag. 255. quibus accedat Ovidius lib. 1. Faſt. vſ. 4. & VI. 484. *dirige navis iter.*

Cum itaque viæ publicæ civium & peregrinorum uſibus inſerviant, & cuilibet permittatur in publicum petere, quod ad omnes pertineat, idcirco æquum eſt, ut munitio & refectio viarum & itinerum publicorum de communi fiat, *quia uſum utilitatemque habent communem*, ait Ulpian. in *l.* 2. §. 22. *D. ne quid in loco.* Antiquiſſima lex de via munienda eſt XII. Tabularum, qua poſſeſſores viam pro modo & latitudine agrorum munire tenentur. Meminit ejus Cicero pro Cæcin. c. 19. *Lex jubet, ſi via ſit immunita, qua velit agere jumentum: Poteſt hoc ex verbis intelligi, licere, ſi via ſit in Brutiis immunita, agere, ſi velit, jumentum per M. Scauri Tuſculanum.* Verba autem Decemvirorum in tab. 8. hæc fuiſſe putat Jac. Gothofredus: SI VIA AMSEGETES IMMUNITA ESCIT, QUA VOLET, JUMENTUM AGITO. Amſegetes autem dicuntur, quorum ager viam tan-

tangit, auctore Feſto. οἱ πλησιάζοντες γείτονες in Eclog. Digeſt. Marcilius hanc legem ad jus viæ privatæ, qua ſervitus eſt, proprie referendam exiſtimat, ſed Jac. Gothofredus ei obſtare ait, quod Julianus Imperator in *l.* 2. *C. Th. de itin. mun.* eundem *morem priſcum* ad publicas referre videtur: *In muniendis viis juſtiſſimum æquitatis curſum reliquit auctoritas: ſinguli enim loca debent quæque ſortiri, ut ſibi conſulant, vel negligentia vel labore. Igitur eos loca*, juxta morem priſcum *delegata curare oportebit.* Optime Siculus Flaccus de condit. agror. pag. 9. vias publicas a vicinalibus diſtinguit, cujus ipſa verba, quia rem accurate exponunt, adſcribere non pigrabor. *Non una*, inquit, *omnium viarum eſt conditio: nam ſunt viæ publicæ regaleſque, quæ publice muniuntur, & auctorum nomina obtinent: nam & curatores accipiunt, & per redemptores muniuntur: in quarundam tutelam a poſſeſſoribus per tempora ſumma certa exigitur. Vicinales autem viæ de publicis, quæ divertuntur in agros, & ſæpe ad alteras publicas perveniunt, aliter muniuntur per pagos, id eſt per magiſtros pagorum, qui operas a poſſeſſoribus ad eas tuendas exigere ſoliti ſunt, aut, ut comperimus, unicuique poſſeſſori per ſingulos agros certa*

certa ſpatia aſſignantur, quæ ſuis impenſis tuentur.

Quid Decemvirorum tempore obtinuerit, non temere dixerim: Forſan autem a vero non abludemus, ſi ſingulas urbes & provincias creſcentis Imperii Romani ad viarum novarum & militarium munitiones, ſumtus & operas contuliſſe dicamus; neque enim æquum erat, ut ſoli agrorum viæ contiguorum domini onus illud ſuſtinerent, cum vectigal in fiſcum redigeretur. Utique Cenſores, quemadmodum alia opera publica, ſic etiam vias ſternendas marginandaſque ære publico locarunt; neque veriſimile eſt Appium Claudium viam cognominem, longitudine & præſtantia operis nobiliſſimam, de ſuo cenſu muniviſſe: nam ſterni eam curavit a porta Capena uſque ad urbem Capuam, lapide duriſſimo, eoque non obvio, ſed ἐκ χώρας ἄλλης μακρὰν ἔσης, ex longinqua regione advecto, grandiore & ad normam cæſo, adhæc tanta latitudine, ut adverſa inter ſe plauſtra libere commeare poſſent, auctore Procop. lib. 1. Bell. Goth. c. 14. Sub occupata republica Principes alii de fiſco ſuo, alii de ærario ſumtus illos fecerunt; nec defuerunt Magiſtratus, collegia, & cives privati, qui pietatis cauſa, SUA PECUNIA vias feciſſe

ciſſe aut refeciſſe in lapidibus literatis laudantur, apud Cl. Bergierium lib. 1. ſect. 15. & 24. Unus nobis ſufficiat Dio Caſſius lib. 53. *Auguſtus, quumvideret vias, extra urbem aliquandiu neglectas, itinera difficilia exhibere, reliquas Patribus quibuſdam propriis ſumtibus reficiendas mandavit, Flaminiam, quia ea ducturus erat exercitum, ipſe procuravit, eſtque ea ſtatim inſtaurata, ac ob id ſtatuæ Auguſto in fornicibus, tam in ponte Tiberino, quam Arimini ſunt poſitæ. Reliquæ viæ poſteriori tempore refectæ, ſive publicis (neque enim Senatores libenter ſumptus faciebant) ſive ipſius Auguſti ſumtibus hoc factum quis dicere velit.* Quod ait, Senatoribus quibuſdam curam viarum propriis impenſis mandatam, ſuſpectum habet Caſaubonus & Suetonio magis credit, ita ſcribenti lib. II. c. 30. *deſumta ſibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia ſternendas diſtribuit.* Hærent quoque alii, ſed nihil video quid nos moretur, ſi tempora diſtinguamus. Dio ait, patribus ditioribus A. V. 727. vias quaſdam veteres propriis ſumtibus *reficiendas*, poſtea vero, ob tarditatem eorum, aliis eas publica pecunia curandas datas eſſe. Suetonius vero viros triumphi honore illuſtres,

ſtres, vias novas ex hoſtili præda *ſternendas* accepiſſe ſcribit. Ad eos, qui ſuo ære viam juſſu Auguſti curarunt, pertinet Valerius Meſſala, cujus diem natalem & triumphum eodem illo anno 727. Tibullus celebrat lib. 1. eleg. 8. vſ. 57.

Nec taceant monumenta viæ, quem Tuſcula tellus,
Candida quem antiquo detinet Alba lare.
Namque opibus congeſta tuis hic glarea dura
Sternitur: hic apta jungitur arte ſilex.

Diverſa autem ratio fuit viarum vicinalium muniendarum, & tam harum, quam militarium reficiendarum: magiſtri enim pagorum hunc in finem operas, aut nummos, vel utrumque a poſſeſſoribus exigebant, aliquando etiam unicuique certa ſpatia adſignabant quæ ſuis impendiis tuerentur. Antiqui hoc *exigere viam* nuncupabant, interprete Aſconio, in III. Verrin. Græcis recentioribus ὁδοστρωσία lib. 54. Baſil. pag. 456. & γεφύρας ἀνάκλισις Leoni Imp. in Tact. c. 2. §. 71. Juriſconſultis vero noſtris *collatio viarum* muniendarum vel ſternendarum appellatur, in *l.* 27. §. 3. *D. de uſufr. l.* 13. §. 6. *D. de act. emti. l.* 2. §. 22. *D. ne quid in loc. publ. l.* 6. *C. de pign. & hyp.* Conſtantinus in *l.* 1. *C. de collat. fund.* ait: *Emphyteuticarii*

rii poſſeſſores, ſicut ceteri Provinciales, obſequium ſuum itineribus muniendis impendant: nulla enim ratione debent ad hoc, quod in commune profuturum eſt, ſejungi. Honorius quoque & Theodoſius in *l.* 2. *C. de immun. nem. conc. Per Bithyniam ceteraſque provincias poſſeſſores in reparatione publici aggeris, & ceteris hujusmodi muneribus, pro jugerum numero vel capitum, quæ poſſidere noſcuntur, dare cogantur.* Munus hoc non perſonæ, ſed patrimonii erat, *l.* 14. *§.* 2. *D. de mun.* quod poſſeſſionibus indicebatur, nemine excepto. Paul. *lib* v. *ſent. tit.* 6. *§.* 2. *l.* 4. *C. Th de itin. mun.* adeo ut nullum privilegium tribuerit exceptionem *l.* 11. *D. de vacat. & excuſ. l.* 2. *C. de immun. nem.* nec muneris publici vacatio *l.* 12. *D. de mun. & hon.* nec veterani excipiantur *l.* 4. *D. de veteran.* nec Eccleſiæ *l.* 7. *C. de ſacroſ. Eccl. Nov.* 131. *c.* 5. nec divinæ domus *l.* 4. *C. de privil. dom. Aug.* Ante Theodoſium quidem *deſcriptiones ad viarum & pontium conſtructionem*, ut Julianus Anteceſſor appellat conſtit. 118. *§.* 5. propter barbarorum invaſiones & viarum vaſtitates, inter munera ſordida fuerant, *l* 15. & 18. *C. Th. de extraord. ſive ſord.* is vero in *l.* 6. *C. Th. de itin. mun.* eas inter nobiliſſima opera numeravit,

vit: *Abſit, ut nos inſtructionem viæ publicæ, & pontium ſtratarumque operam, titulis magnorum Principum dedicatam, inter ſordida munera numeremus. Igitur ad inſtructiones reparationesque itinerum pontiumque nullum genus hominum, nulliusque dignitatis ac venerationis meritis ceſſare oportet.* &c. Nobilia quoque ſunt verba Valentiniani III. Nov. 21. quibus negat hoc onus contumelioſum eſſe, ſed contra rationem inventum nomen munerum ſordidorum, quo inſtauratio militarium viarum, per quas ad ſplendorem publicum pervenitur, quarum adminiculo ſtatus imperii floret, & ſine quibus nihil neceſſarii operis effici poteſt, prava appellatione cenſeatur. Plura vide apud Cujac. & Amay. ad *l.* 4. *C. de privil. dom. Aug.* Briſſon. lib. III. ſel. ant. cap. 11. Merill. lib. VI. Obſ. cap. 13. & Jac. Gothofred. tom. 5. C. Th. pag. 344.

Onus hoc levabant non modo milites legionarii, quorum proprius labor fuit vias militares tempore pacis munire, ne otio torpeſcerent, ut ſupra vidimus p. II. cap. 2. pag. 330. ſed etiam facinoroſi, qui propter crimina ad opus viarum publicum, ad tempus vel perpetuo erant damnati. Sueton. de Caligulæ ſævitia c.27. *Multos honeſti ordinis, deformatos prius ſtig-*

 matum

matum notis, ad metalla, aut ad viarum munitiones, aut ad beſtias damnavit. Trajanus vero munitiones viarum ad miniſteria refert, *quæ non longe a pœna ſint*, ad Plinium lib. x. epiſt. 41. *Solent enim ejusmodi, ante annos decem damnati, ad balineum, ad purgationes cloacarum, item munitiones viarum & vicorum dari.* Præterea cives quidam, egregii publici amantes, partem ſuorum bonorum ultro in opus hoc publicum impendebant donationibus, vel tabulis ſupremis legabant; cujus rei nobile exemplum eſt in *l.* 30. *D. de leg.* 2. ubi Celſus quendam in teſtamento ita ſcripſiſſe refert: *Reipublicæ Graviſcanorum lego in tutelam viæ reficiendæ, quæ eſt in colonia eorum, uſque ad viam Aureliam.* Quærebatur an hoc legatum valeret, quia ſumma adſcripta non eſt: ſed placuit tantam ſummam videri legatam, quanta ei rei ſufficeret, ſi facultates defuncti id patiantur. Hoc ratio jubebat & favor diverticuli reficiendi, quod in viam Aureliam incidebat, uti Cl. Cellarius Geograph. antiq. tom. I. pag. 937. ex tabula Peutingeriana oſtendit: tantum namque viarum publicarum ſtudium erat, ut legati ad alia nummi hunc in uſum verterentur. Ita cum Tiberius cenſeret, *ut Trebianis legatam in*

opus

opus novi theatri pecuniam ad munitionem viæ transferre concederétur, rata quidem manſit voluntas legatoris, Sueton. lib. III. cap. 31. verum ſi refectio viæ neceſſaria erat, ſalubriter id concedi potuiſſet, *arg. l. un. C. de expenſ. lud. publ.* cum enim L. Terentius, IIII vir I. D. monumentum fieri juſſerat, licet ſumma ratio ſit, quæ pro religione facit, tamen EA. PECUNIA. D. D. VIAE. STRATAE. SUNT. AB. ANNIA. AD. MURUM, apud Reineſ. cl. 2. n. 28.

Superioribus haud diſſentanea ſunt, quæ Carolus M. ſancivit Capit. lib. VI. c. 109. tom. I. Baluz. p. 941. *Poſſeſſiones*, inquit, *ad religioſa loca pertinentes, nullam deſcriptionem agnoſcant, niſi ad conſtitutionem viarum vel pontium, ſi tamen intra eadem loca habuerint poſſeſſiones. In aliis vero omnibus habeant integram immunitatem.* De eadem pontium emendatione ſollíciti fuerunt Pippinus, Ludovicus Pius, & Carolus Calvus apud eundem pag. 545. 612. 617. 668. & t. II. pag. 70. Addo Aymoin. lib. V. cap. 14. & Monachum Sangallenſem lib. I. de geſtis Caroli M. cap. 32. *Fuit conſuetudo in illis temporibus, ut ubicunque aliquod opus ex Imperiali præcepto faciendum eſſet, ſiquidem pontes, vel naves, aut trajecti, ſive pur-*

gatio, ſeu ſtramentum, vel impletio cœnoſorum itinerum, ea Comites per Vicarios & Officiales ſuos exequerentur, in minoribus duntaxat laboribus. A majoribus autem & maxime noviter exſtruendis nullus Ducum vel Comitum, nullus Epiſcoporum vel Abbatum excuſaretur aliquo modo. Cujus rei teſtes adhuc ſunt arcæ pontis Magoncianenſis, quem tota Europa communi quidem, ſed ordinatiſſimæ participationis opere perfecit. Similia Legibus Langobardorum cauta leguntur lib. III. tit. I. §. 21. 26. 32. Merciorum quoque Rex Ethelbaldus, apud Ingulfum pag. 853. neminem ab hoc onere immunem eſſe voluit: *pontium & arcium inſtructiones nulli poſſunt laxari.* Matthæ. Pariſ. A. 1244. ſcribit, in libertatibus Monaſteriorum Anglicanorum tria ſolere excipi; propter publicam regni utilitatem; *videlicet expeditionem, pontis & arcis repationes, vel refectiones, ut per ea reſiſterent hoſtium incurſibus.* Recentiora huc facientia vide apud Robert. lib. II. rer. jud. cap. 3. le Preſtre queſtions de droit cent. I. ch. 32. Mev. ad jus Lub. lib. IV. tit. I. art. I. Matth. Obſ. rer. Jud. 33. Lyncker. deciſ. 387. & Zahn. ichnogr. munic. c. 64.

CA-

CAPUT IX.

DE POENIS RAPTORUM, LATRONUM ET PIRATARUM.

Omnis raptor fur improbus eſt & atrox, ſed graſſatores & expilatores nocturni extra ordinem coërcentur gravius. l. 28. §. 10 D. de pœn. & l. 1. §. 1. D. de effract. illuſtrata. Peſſimum raptorum genus latrones, quorum duces quidam famoſi. Gentes integræ latrociniis infames. Stationarii latronibus inveſtigandis ab Auguſto conſtituti l. 1. §. 12. D. de off. Præf. urb. expoſita & vindicata. Quid Irenarchæ & Latrunculatores. Varia ſingularia in latrones eorumque receptatores. Cuilibet adverſus eos arma ferre, eoſque occidere licet. Crux, uſitatum ſupplicii genus, a Conſtantino ſublatum. Triboniani manus in l. 8. D. ad L. Corn. de falſ. 28. § pen. D. de pœn. aliiſque. Beſtiis latrones objecti. Nulla ſupplicii dilatio, ad l. 18. C. de pœn. Pœna piratarum, & eorum, qui naves expugnant. Naufragorum bona fiſco addicere injuſtum.

Ordo nos ducit ad pœnas raptorum & latronum, qui ferro armati, vel ſine armis pacem publicam & ſecuritatem viarum turbant, atque ideo *improbi* fures & *atrociores* appellantur *l.* 14. *§.* 12. *D. quod met caus l.* 1. *§.* 1. *D. de effract. l.* 2. *§.* 10. *D. de vi bon. rapt.* Adverſus hos Prætor propoſuit actionem miſtam, quadrupli intra annum, poſt annum ſimpli; *l.* 2. *§.* 22. *ſeq. D. de vi bon. rapt.* ex lege Julia de vi publica & privata prodita eſt gravior accuſatio criminalis *l.* 5. *§.* 2. *l.* 6. *D. ad L. Jul. de vi publ.* denique graſſatores & expilatores nocturni extra ordinem coërcentur. Calliſtratus *l.* 28. *§.* 10. *D. de pœn* ait: *Graſſatores, qui prædæ cauſa id faciunt, proximi latronibus habentur, & ſi cum ferro adgredi & ſpoliare inſtituerunt, capite puniantur; utique ſi ſæpius atque in itineribus hoc admiſerunt.* Graſſatores ſunt, qui non gradiuntur, ſed cum impetu graſſantur ad rapinam. Suetonius cum ſicariis eos conjungit lib. 1. cap. 72. & palam ſuccinctos ferro, quaſi tuendi ſui cauſa, raptosque per agros viatores ergaſtulis ſupprimentes, nobis depingit lib. 11. cap. 32. Petronius cap. 82. & Gell. lib. xx. cap. 1. *nocturnos* appellarunt. Juvenalis ſat. 111. vſ. 305.

Inter

Interdum ex ferro ſubitus graſſator agit rem,
Armato quoties tutæ cuſtode tenentur
Et Pomptina palus & Gallinaria pinus,
Sic inde huc omnes tanquam ad vivaria currunt.

Expilatores vero dicuntur caprimulgi & carinatores, qui redeuntes a cœna puellasve obvias noctu veſtimentis ſpoliant, ſtuprant atque nudant, furibus tanto deteriores, quod vix pilum relinquunt, *l.* 16. *§. 6. D. de pœn.* οἱ τοὺς ἀνθρώπους ἐκδύοντες ὡς τραχύτεροι τῶν κλεπτῶν ὑπάρχοντες, Baſilica habent in *l.* 1. *§.* 1. *D. de effract. & expil.* Hi ſi vilioris conditionis in opus publicum perpetuum vel temporarium dabantur, honeſtiores ordine ad tempus movebantur, vel fines patriæ excedere jubebantur *d. l.* 1. ubi Haloander edidit: *Expilatores, qui ſunt atrociores fures, hoc eſt* λωποδύται: Budæus legit συλαγωγοὶ, Alciatus τοιχώρυχοι: at Florentiæ nulla vox Græca reperitur, & melius Cujac. lib. XV. Obſ. c. 31. & XXVII. Obſ. c. 30. ex Ariſtophane & Oppiano eam illuſtravit. Juventus enim Attica, luxu corrupta, hujusmodi expilationibus & graſſationibus nocturnis pacem turbabat frequenter, ut ex Plauto patet Amph. I. 1. vſ. 2. Trin. II. 2. vſ. 34. & Sticho, IV. 2. vſ. 26.

Non tu ſcis, quam afflictentur homines
noctu hic in via?

Peſſimum vero hominum genus ſunt latrones, qui cædem cum rapina in viis publicis conjungunt, ideoque judicio etiam publico legis Corneliæ tenentur *l.* 1. *D.* *l.* 2. 3. 4. *C. ad l. Corn. de ſic.* Horum quidam erant famoſi, & duces ſuæ factionis, criminis cauſa ſociatæ, *l.* 28. §. 15. *D. de pæn. l.* 6. *D. de appellat.* ut Bardylis Illyrius, & Viriathus Luſitanus, Cic. II. de off. cap. 11. Barrabas, Matth. XXVII. vſ. 16. Corocatta Hiſpanus, Dio lib. 56. Tacſarinas Afer, Tacit. II. Ann. cap. 52. Ælianus & Amandus, Oroſ. lib. VII. cap. 25. Palſurius, Vopiſc. in Probo c. 16. & Barſatoras denique, de quo Jac. Gothofred. in diſſert. ad *l.* 13. *C. de fidej.* Sed integræ quoque gentes & nationes efferatæ latrocinari atque prædas agere in externos, nullo bello indicto, pro licito habuerunt; poſtquam memoria cognationis inter nos natura conſtitutæ, & inſtinctus communis ad ſocietatem, & regula juris naturalis, hominem homini inſidiari nefas eſſe, malis moribus ex parte quaſi eſſet obliterata. Indicat hoc ipſa vox *hoſtis*, quæ veteri Latio nil niſi externum notabat, Cic. I. Off. c. 12. Thucydides lib. I. c. 5. ὐκ ἔχοντος πω αἰσχύνην τούτου τοῦ ἔργου, φέροντας δέ καὶ

δό-

δόξης μᾶλλον. *Nondum infamiam habebat id vitæ genus, quin potius laudi ducebatur.* De Germanis Cæſar lib. VI. de Bell. Gall. 23. *Latrocinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cujuſvis civitatis fiunt.* De Iſauris Strabo, de Luſitanis Dio, de Aſturianis *l. un. C. Th. de Aſturian.* de aliis Grot. lib. II. de J. B. & P. c. 15. §. 5. l. III. c. 3. §. 2. & Pufend. lib. VIII. de J. Nat. & Gent. c. 6. & 10. ſunt adeundi. Omnibus jus videbatur, extra fines ſuos ubicunque deprehenſos, ſine diſcrimine occidere, & quibus vitam non auferrent, dediſſe jactabant: ſed mitigatis moribus, latrocinium ad ſolitudines magis & ſilvas relegatum eſt, vid. *l. 5. D. ad L. Pomp.* & quæ ad eam ſcripſit Freher. lib. I. veriſ. c. 22.

Latronibus inveſtigandis & comprehendendis varii olim diverſis nominibus præpoſiti fuerunt. Et primi quidem *ſtationarii* milites, quum multi latrones per Italiam poſt bella civilia graſſarentur, ab Auguſto inſtituti ſunt: *graſſatores, diſpoſitis per opportuna loca ſtationibus, inhibuit*, ait Sueton. lib. II. cap. 32. Tiberius deinde, tuendæ pacis a graſſaturis ac latrociniis, *ſtationes militum per Italiam ſolito frequentiores diſpoſuit*, auctore eodem lib. III. cap. 37. Diſpoſitæ etiam ſunt in provinciis: Tertullian.

Apologet. cap. 2. *Latronibus veſtigandis per univerſas provincias militaris ſtatio ſortitur:* & ita inter Æliam & Hierichum, in loco latrociniis infami, poſitam fuiſſe ſtationem, ob auxilia viatorum, ex Euſebio de loc. Hebr. Cujacius docuit lib. XIX. Obſ. cap. XI. Apulej. item lib. VII. Metam. totam latronum factionem Hemi *militarium vexillationem indagatu*, confectam eſſe ſcribit. Frequens horum militum in legibus eſt mentio, *l.* 1. *§.* 2. *l.* 4. *D. de fugit. l.* 8. *C. d. accuſ. l.* 1. *C. de curios. vel ſtation.* ſed eminet inter reliquas *l.* 1. *§.* 12. *de off. Præf. Urbi* ex qua elici poſſe videtur, eosdem Præfecto Urbi, ab Auguſto inſtituto, apparuiſſe: *Præfectus Urbi debet diſpoſitos milites ſtationarios habere, ad tuendam popularium quietem, & referendum ſibi, quid in Urbe agatur.* Nimirum Præfecti Urbi officium erat, tueri quietem civitatis, vigilem omnium curam agere, & animadvertere in facinoroſos, pacis publicæ turbatores, id quod ſine manu militari multiſque adjutoribus obtineri non potuit, *l.* 17. *pr. §.* 3. 4. *D. de off. Præf. urb.* Seneca Epiſt. 83. L. Piſonem, Urbis præfectum, *cuſtodem Urbis*; Juvenalis ſat. XIII. vſ. 157. Rutilium Numatianum Gallum *cuſtodem Gallicum Urbis* vocat; & Statius Papinius lib. I. ſilv. 4.

Quem

Quem penes intrepidæ mitis cuſtodia Romæ.
Pedo Mæcenatem, Urbis cuſtodiæ præpoſitum, *vigilem urbis Romanæ* appellat, in Epiced. Eleg. 1. & iterum ad obtrectatorem:

Num minus Urbis eras cuſtos & Cæſaris obſes?
Num tibi non tutas fecit in Urbe vias?
Nocte ſubobſcura quis te ſpoliavit amantem?
Quis tetigit ferro, durior ipſe, latus?

At ſcrupulum injicit Lipſius lib. III. Epiſt. quæſt. 18. ubi per milites ſtationarios apud Ulpianum intelligit illos, qui in theatro aut circo ludorum tempore agebant, ad reprimendas populi turbas: *popularium* vero quietem accipit pro conſeſſu theatrali, qui popularia, ut Equeſtria equitum, dicebantur. Juvat hanc explicationem Tertulliani locus de ſpectac. c. 3. ubi *diſcrimina popularium per proclivum*, tum quod Ulpianus ante dixerat, quietem popularium & diſciplinam ſpectaculorum ad Præfecti Urbis curam pertinere; Briſſonius quoque *popularia* ſpectacula publica interpretatur: nec totus abit Cujacius lib. VIII. Obſ. c. 29. quum populares hic & in *l.* 28. *§.* 3. *D. de pœn. l.* 4. *C. de off. Præf. urb.* ad factiones agitatorum quatuor, quæ in Urbe erant, retu-

retulit, Nerio ſuffragante, lib. 1. analect. cap. 5. Mihi autem magis placet, ut cum Caſaubono, ad Marcum Capitolini c. 17. Salmaſio ad Spartiani Nigrum cap. 3. & Jac. Gothofredo ad Tertullian Nat. lib. 1. c. 10. *& ad l. 7. C. Th de ann civ.* popularium nomine multitudinem populi urbanam, civeſque militibus oppoſitos intelligamus. Stationarios quoque milites & in Urbe, & intra centeſimum ab Urbe lapidem Præfecto apparuiſſe, ex Suetonio aliiſque liquet.

Stationariis præfecti erant *Irenarchæ*, forte ἀπὸ τοῦ ἄρχειν τοῦς εἰρήνης ita dicti. Horum officium erat, ad provinciarum & itinerum tutelam, noxios prehendi jubere, & prehenſos ad Præſides & Magiſtratus deducere; uti Polycarpum ab Herode irenarcha comprehenſum, Nicephorus ſcripſit. Creabantur periculo Decurionum, & ex diſpoſitione Præſidum *l. un C. de irenarch.* Græci eos ad *l. 6. D. de cuſtod. reor.* ita deſcribunt: Εἰρηνάρχοι οἱ τῆς τοῦ δήμου ἐνταξίας ἐπιστατοῦντες. Sunt qui eosdem præpoſitos *pacis* dici putarunt, in *l. 49. C. Th. de decur* & *l. 1. C. Th. de pign.* Sed *pagis* legendum eſſe, ex *l. 1. C. Th. de erog. mil. ann.* Cujac. ad *l. 9. C. de jure fiſci*, & Jac. Gothofred. ad *tit. C. Th. de Hirenarch.* monuerunt. Non abſimiles his fuiſſe

fuiſſe videntur *Latrunculatores*, ad perſequendos latrones a Principe miſſi, *l. 6. §. f. D. de judic.* quos Græci ληϛοδιώκτας vocant, Novell. 8. Meminit eorum Euſeb. lib. IV. cap. 15. & Auguſtin. epiſt. 159. 160. Præterea *defenſores* civitatum, ſimiles tribunis plebis, qui olim in Urbe, per omnes regiones, in quibus fera & periculi ſui neſcia latronum ferveret inſania, diſciplinæ & quotidianis actibus adeſſe jubentur *l. 6. C. de defenſ.* Decuriones denique latronibus inveſtigandis operam dediſſe ex *l. 13. C. de fidejuſſ.* diſcimus. Ne vero diu occulti laterent, crimen extraordinarium in eos, qui latrones recipiunt & celant, introductum eſt *l. 1. D. de recept.* cujus pœna fuit ſupplicium corporale, aut diſpendium facultatum *l. 1. C. de his qui latron.* proximi namque ſunt latronibus, a quibus latrones recipiuntur. *Hoc natura ſimile eſt, facere ſcelus & probare*, ait Quintil. decl. 255. Gelaſ. P. P. epiſt. 10. *Legibus certe veſtris criminum conſcios ſuſceptoresque latrocinantium par judiciorum pœna conſtringit.* Capitularia Karoli M. tom. 1. Baluzii pag. 254. n. 24. *Si quis latrones receperit in ſua poteſtate, & ſeptem noctibus ſecum detinuerit, niſi ad præſentandum, noſtrum bannum ſolvat*, &c.

Quo

Quo magis autem latronum furor ad perniciem publicam tendit, eo plura ſingularia, ad procurandam omnium ſalutem, in eos conſtituta ſunt. v. c. quamvis Pompejus Magnus edicto prohibuiſſet ullum telum eſſe in Urbe, Plin. lib. xxxiv. Hiſt. Nat. c. 14. & lex Julia in agro aut villa arma haberi vetaret, ea tamen, quæ quis *itineris* & *tutandæ ſalutis ſuæ cauſa* geſſerit, excipiuntur *l.* 1. *l.* 11. §. 2. *D. ad l. Jul. de vi publ.* Nam ſicut Valentinianus in *l.* 1. *C. quando liceat unicuique* cunctis Provincialibus liberam reſiſtendi facultatem recte tribuit: *ut quicunque militum vel privatorum ad agros nocturnus populator intraverit, aut itinera frequentata inſidiis aggreſſionis obſederit, permiſſa cuicunque licentia, digno illico ſupplicio ſubjugetur; ac mortem, quam minabatur, excipiat, & id quod intendebat incurrat: melius eſt enim occurrere in tempore, quam poſt exitum vindicare*; ita tela & arma, quibus obviare oportet, cuilibet concedenda erant, adverſus viarum obſeſſores & latrones publicos: nec enim hominis occidendi cauſa telum gerit, qui illud tuendæ ſalutis cauſa habet, Paul. *lib* v. *tit.* 23. §. 7. neque placuit eum puniri, qui latronem, cædem ſibi inferentem, occiderit, *l.* 4. *D. ad L. Aquil. l.* 2. *l.* 4. *C ad*

L. Corn.

L. Corn. de ſic. Certe Apoſtolorum aliqui, Galilæi & Eſſeni, viri continentiſſimæ diſciplinæ, iter fecerunt armati gladio, ob infeſtas latronibus vias; Luc. XXII. vſ. 36. Joſeph. lib. II. Bell. Jud. c. 12. & Cicero pro Milon. c. 4. *Gladios habere certe non liceret, ſi uti illis nullo pacto liceret.* Ovid. lib. II. Triſt. vſ. 271.

Et latro, & cautus præcingitur enſe viator,
Ille ſed inſidias, hic ſibi portat opem.

Pœna famoſorum latronum erat ſumma; quandoque beſtiis in ſpectaculis objecti, ut de Iſauris Ammian. lib. XIX. fin. *In amphitheatrali ſpectaculo feris prædatricibus objecti ſunt, præter morem*, de aliis Tertullianus ſcribit de ſpectac. c. 21. Aliquando flammis conſumti, Auguſtin. lib. III. de lib. arb. c. 9. *Crudeliſſimi latronis membra cum tali* ignis *ſupplicio confici adſpicimus, approbamus ordinem legum.* Uſitatum vero genus erat crux, ſupplicium etiam vilibus perſonis infame. Hoc vel exemplo illorum conſtat, qui cum B. Servatore noſtro in crucem ſublati ſunt; quos Matthæus & Marcus λῃστὰς, Lucas κακούργους nominarunt. Nota quoque ſunt aliorum teſtimonia. Julius Firmicus lib. VI. Math. c. 31. *Homicidam, latronem efficiet; iſtic fac moribus comprehenſus,*

pati-

patibulo ſuffixus, in crucem & crudeliter erigitur. Seneca epiſt. 7. *Latrocinium fecit aliquis, quid ergo meruit? ut ſuſpendatur*. Petron. cap. III. *Imperator provinciæ latrones juſſit crucibus affigi*. Locum ſignat Quintil. decl. 274. *Quoties noxios crucifigimus, celeberrimæ eliguntur viæ; ubi plurimi intueri, plurimi commoveri hoc metu poſſint*. Cauſa eſt, ut unius pœna ſit metus multorum: nam & Polybius, Plinio referente lib. VIII. c. 16. leones, ob hominum appetitus, crucifixos vidit; quia ceteri metu pœnæ ſimilis abſterrerentur eadem noxa. Verum quia Conſtantinus hoc ſupplicii genus ſuſtulit, auctore Nicephoro lib. VII. Hiſt. Eccl. c. 46. & Theodoſius crucem pro ſigno venerandæ religionis Chriſtianæ haberi reſcripſit *l. ult. C. Th. de pagan.* ideo vox illa, beneficio Triboniani & ſociorum, abeſt a Pandectis, furcæ nomine ſubſtituto, in *l.* 3. *§.* 5. *D. ad L. Corn. de Sic. l.* 8. *D. ad L. Corn. de fal. l.* 9 *§.* 1. *l.* 28. *pr. & pen. l.* 38. *§.* 2. *de pœn.* cum quibus ſi conferas Paulum *lib.* V. *tit.* 17. *§.* 3. & *tit.* 22. *§.* 1. & otioſam particulam *vel* in *d. l.* 3. & voces *ſummo ſupplicio* non ſatis apte in *d. l.* 8. pro cruce ſurrogatas conſideres, de emblemate Triboniani non dubitabis. Idque Cujacius, Lipſius, Contius,

tius, Ræyardus, Faber, Briſſonius, Fornerius, & qui non alii? dudum viderunt.

Illud quoque ad ſingularia adverſus latrones referendum eſt, quod non ſolum quadrageſimæ, ſed & ipſis Paſchæ diebus quæſtioni ſubjici poſſunt, cum facillime & in hoc ſummi numinis ſperetur venia, per quod multorum ſalus procuratur *l.* 10. *C. de feriis.* Pœna item non differtur in decimum diem, ut aliorum damnatorum, ex Senatusconſulto Tiberii tempore facto, Sueton. Tib. cap. 75. Senec. de tranq. vit. cap. 14. ſed ſtatim in eos animadverti præcipitur, ne Principis clementiam ſupplicationis vel alio quovis obtentu eis experiri liceat *l.* 18. *C. de pœn.* Neque regula quod reo capitis damnato quivis ex populo, pro eo etiam invito, appellare poteſt *l.* 6 *D. l.* 29. *C. de appellat.* in latronibus inſignibus locum habet, quos damnatos ſtatim puniri publice intereſt *l.* 16. *D. eod.* Præſidi porro latronem manifeſtum prius punire, deinde ad Principem ſcribere permiſſum, non pœnæ feſtinatione, ſed præveniendi periculi cauſa *l* 6. *§.* 9. *D. de injuſto rupt.* Denique eos, qui a latronibus nominati, corruptis accuſatoribus, diem ſuum obierint, ut confeſſos de crimine, non relinquere defenſionem heredibus, *rationis*

eſſe, Impp. reſcripſerunt, in *l.* 2. *D. de bon. eor.* Nihil ſpeciale vero in latronibus hic agnoſcit Cujac. lib. VI. Obſ. c. 24. legitque *rationis non eſt*, criſi violenta, ideoque non immerito reprehenſus a Roberto lib. I. recept. c. 37.

Latronibus ſimiles ſunt piratæ, & tanto pejores, quo magis ad ſummam remp. navium exercitio pertinet *l.* 1. §. 20. *D. de exerc. act.* harum enim curſibus ſuppeditantur omnes undique ad vitam copiæ, multisque rebus fruimur, ſub alieno ſole natis, ut ait Cicero lib. II. de Nat. Deor. cap. 60. In piratas ergo, ut publicos hoſtes, omnis homo miles eſt, maxime in mari, ubi judicia ſunt nulla. Hinc Cæſar defendi poteſt, quod privatus adhuc, aut ſaltem legatus populi Romani, piratas, a quibus captus erat, cruci ſuffixit, cum Proconſul in eos non animadverteret; Vellej. Paterc. lib. II. cap. 42. Juſtiſſima quoque ſeveritate Prætor, præter criminalem executionem & pœnam corporalem, lege conſtitutam, ſpecialem furti actionem propoſuit in eum, qui ex naufragio, rate vel navi expugnata aliquid cepit, amovit, abſtulit vel corrupit dolo malo, intra annum in quadruplum, non ei tantum, cujus intereſt, ſed etiam fiſco *l.* 1. *ſeqq. D. de incend. ruin.* Ratio eſt, quia

quia reip. ſalus hoc modo evertitur cum detrimento privatorum: atque ita Athenis, qui vi abſtulerat, & laeſo & ærario tenebatur in duplum, auctore Demoſthene, in Midiana. Claudius adhæc, rei nauticæ, ut Sueton. docet in ej. vit. cap. 19. ſtudioſiſſimus, Senatusconſulto omnium rerum nomine eos teneri voluit, qui ex naufragio vel unum clavum abſtulerint *l.* 3. §. 8. *D. eod.* Solebant enim ad utrumque latus eſſe gubernacula, uti Grotius in imaginibus Arateis oſtendit; eaque vinculis navi annectebantur, quæ Lucas Act. XXVII. vſ. 40. ζευκτηρίας, Latini *juncturas* vocarunt. Quinimo ſicut Athenis, qui remum aliudve inſtrumentum navale ſuffuratus eſſet, capite, aut perpetuo exilio, aut publicatione bonorum luebat, uti Marcellinus in Hermogenem refert; ita Hadrianus de his, quos diripuiſſe probatum eſt, ut *de latronibus*, gravem ſententiam dici juſſit *l.* 7. *D. eod.* Antoninus denique unicuique naufragium ſuum impune colligere permiſit *l.* 12. *D. eod.* Quod enim jus habet fiſcus in aliena calamitate, ut in re tam luctuoſa compendium ſectetur? ait Conſtantinus *l.* 1. *C. de naufr.* etſi quibusdam populis nunc placeat aulicorum Domitiani ſententia, quos pungit Juvenalis Sat. IV. vſ. 53.

Si quid Palfurio, ſi credimus Armillato,
Quicquid conſpicuum pulchrumque eſt æquore toto
Res fiſci eſt, ubicunque natat.

CAPUT X.

DE CÆDE VIATORUM EXPIANDA, ET DE DAMNO SPOLIATIS RESARCIENDO.

Lex Moſis de populo luſtrando, in cujus finibus latrocinium commiſſum, Deut. XXI. *vſ.* I. *una cum aliis perperam a Judæis explicata. Similis lex Draconis: aliæ leges Athenienſium adverſus latrones: eorum* ἀνδροληψία & φιλοξενία *erga quoſcunque. l.* 4. *D. de colleg. & corp. male accepta. Erranti viam non monſtraſſe in diris. Eunomia legis Ægyptiacæ, aliis quoque gentibus probatæ, quæ punit eos, qui opem non tulerunt occiſo. Leges veterum Italorum, Cymenſium, Perſarum, Inſubrium & Anglorum, ut vicani damnum ſarciant, raptore non prehenſo. Magis teneri Magiſtratus, ſive advenarum curæ ſint præfecti, ſive negligentes fuerint in latronibus inhibendis. Varia ejus rei exempla antiqua & recentia. Quando hodie territorio-rum*

rum domini damna reſarciant viatoribus ſpoliatis, & quare.

Superioribus vicinæ ſunt leges, ad cædem viatorum expiandam, & damna ſpoliatis reſarcienda pertinentes, quas uno velut faſce complectemur. Primas ſuo merito damus legi Dei, populo Iſraelitico datæ, Deut. XXI. vſ. 1. ſeqq. Quod ſi enim homicidium in agro eſſet commiſſum, cujus auctor, de civitate in civitatem gliſcens, ignorabatur, Seniores, ſive Judices, proximæ civitatis, reatum ſanguinis expiare jubentur, poſtquam, ad demonſtrandam ſui ſuorumque innocentiam, ore & lotione manuum, coram ſacerdotibus ad hunc actum vocatis, teſtati eſſent, ſe inſciis cædem eſſe factam: nam quia populi peccatum in Rectores redundat, qui non ſatis cavent, ne quid criminis committatur, opus erat ſolenni ritu, quo ſe ſuosque cives a ſceleris culpa purgarent, iſtaque piaculari victima quaſi ſignificarent ita ſe occiſuros homicidam, ſi detegatur, omnemque ſe moturos lapidem, ut is prehendatur. De lotione manuum, innocentiæ ſymbolo, apud gentes, vid. Grot. ad Matth. XXVII. vſ. 24. & Juriſprud. meam ſymbol. Ex. II. c. 8. Lex non diſtinguit inter

Gentilem & Iſraëlitam, ſed illum pariter ac hunc diligere jubet, atque ab opprimendo eo abſtinere Exod. XXII. vſ. 21. Levit. XIX. vſ. 34. Num. XV. vſ. 16. at Judæorum magiſtri perperam hæc ad peregrinum juſtitiæ tantum & peregrinum inquilinum reſtrinxerunt, abunde ſatis ſe officiorum partes impleviſſe credentes, ſi iis præceptis paruiſſent, quibus civitas eorum continebatur; reliquos vero beſtiarum numero habebant, pulchro prætextu ſcilicet, quod lex Moſis imperet ſpecialiter benefacere popularibus, Deuter. XXII. vſ. 1. hinc μισανθρωπία, ab amicis Antiochi apud Photium, & *adverſus omnes alios hoſtile odium* iis objicitur apud Tacit. lib. V. Hiſt. c. 5. Quinimo licet maledictus dicatur, qui facit, ut coecus erret in via, vel qui pervertit jus peregrini, Deut. XXVII. vſ. 18. 19. tamen Juvenalis ne viæ quidem monſtrandæ beneficium, minime moleſtum, eos exhibere voluiſſe exteris non Judæis, criminatur ſat. XIV. vſ. 103.

Non monſtrare vias eadem niſi ſacra colenti.

Atticæ leges belle conveniebant cum Hebræis; quia Draco, ſi cædes facta, cujus auctor ignotus, conſtituit καθάραι τὸν δῆμον αὐθήμερον, *luſtrare populum ea ipſa die*, qua quisque occiſus fuerit, apud Demoſthe-

ſthenem, ἐν τῷ πρός Μακάρτατον, de qua vid. Petit. ad LL. Att. lib. VII. tit. I. pag. 520. Adeo enim execrabile, & diis inviſum, uti ex Ibici interfecti hiſtoria apud Solinum conſtat, videbatur eſſe latrocinium, ut vel cognati ejus, qui occiſus eſſet, vel Demarchus populum luſtrare debuerit, ipſe vero fugitivus ſacris malluviis, libationibus, crateribus, igne & tecto arcebatur. Propinqui, cadaver occiſi efferentes, haſtam ad tumulum defigebant, ſeque vindictam cædis cupere teſtabantur. Qui vero latronem, vim in via intentantem, illico interfecerat, purus cenſebatur, auctore Demoſthene in Ariſtocrat. & Libanio decl. 33. neque ulla prædæ agendæ permiſſa erat ſocietas, uti quidam ex Solonis lege, in *l.* 4. *D. de colleg. & corp.* colligunt, ad quam Ampl. Bynkershoek videatur lib. I. Obſ. cap. 16. Alia lex permittebat proximis & neceſſariis occiſi tres viros externæ urbis prehendere, in qua homicida receptus latebat, nec deditus, nec punitus; & hæc res ἀνδροληψία dicebatur, de qua vid. Meurs. Them. Att. l. I. cap. 19. & Grot. lib. III. de J. B. & P. c. 2. §. 3. Alia lex erat ab ipſa humanitate & utilitate dictata, ut peregrino advenienti & abeunti ſecuritas præſtaretur, apud Xenophontem Memorab. lib. II.

 cu-

cujus verba erant iſta: Τȣ̃ς ξένους μὴ ἀδικεῖϛαι. Theophilus idcirco §. 1. *Inſt. de jure nat.* opponit Lacedæmoniorum & Athenienſium mores; illi enim peregrinos non admittebant, hi vero ab illa ξενηλασίᾳ tam alieni fuerunt, ut etiam coluerint Aram Miſericordiæ, & bellum ſæpe pro exteris ſumſerint. Eodem tendit vetus ſenarius in Excerptis Grotianis pag. 938.

Ξένȣς ξένιζε, ἢ σὺ γὰρ ξένος γ᾽ ἔσῃ.

Hoſpiti benefac, tu quoque hoſpes forte eris,

Rurſus alia lex erat, hic non omittenda, qua is, qui erranti viam monſtrare detrectaſſet, ſacris arcebatur. Cicero III. de off. c. 13. *Erranti viam monſtrare, Athenis publicis execrationibus ſancitum eſt.* Quamvis enim laxa ſint humanitatis officia, quæ egenti tantum jus imperfectum, ob circumſtantias infinitas, tribuunt; deteſtandæ tamen malignitatis honeſtis viris viſum fuit, ea negare, aut ægre diſpenſare, quæ aliis ſunt utilia, & tibi non moleſta, ideoque jus perfectum fere effecerunt. Homo quippe in adjutorium mutuum generatus eſt, & latiſſime patet omnibus inter omnes ſocietas, in qua rerum omnium, quas ad communem uſum natura genuit, eſt ſervanda communitas.

Α᾽γνοεῖς ἐν ταῖς ἀραῖς ὅτι ἐϛὶν, εἴ τις μὴ φράσαι ὀρθῶς

ὁδὸν

ὁδόν. *Neſcis in diris hoc eſſe, ſi quis non recte monſtrarit viam?* ait Diphilus, in Paraſito. Tulit hanc legem Buzyges, qui arare docuit Athenienſes, & ſecundum Vaticanam Græcorum proverbiorum appendicem cent. 1. prov. 21. diris devovit eos, qui peregrinos hoſpitio & tecto, id eſt, aqua & igne non exciperent, aut qui erranti viam non monſtrarent: ἢ μὴ ὑποφαίνουσιν ὁδὸν πλανωμένοις. Romanorum Philoſophus Seneca lib. IV. de benef. cap. 29. etiam ignotis errantibus viam monſtrandam eſſe, ait, quia non homini id præſtamus, ſed humanitati; & diu ante ipſum Ennius, quicquid ſine detrimento poteſt præſtari, id cuicunque *comiter*, id eſt hilare ac libenter, tribui præcepit, laudatus eapropter a Cicerone lib. 1. de off. 16.

Homo, qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit:
Nihilominus ipſi lucet, cum illi accenderit.

Duriores autem prima fronte videntur eſſe aliæ gentium quarundam leges, quæ cædem ab aliis factam, ab aliis lui, vel damnum, in via publica datum, a proximioribus oppidanis, municipibus, aut vicanis reſarciri jubent, cum ex facto alterius præter heredem nemo teneatur; ac ne is quidem, qui ſit ejusdem civitatis,

 vici

vici vel provinciæ *l. un. C. ut null. ex vic. Nov.* 52. *&* 134. Verum, ſi attentius conſideres, fundamentum utriusque eſt, quod crimen ad paucos, ejus ſuſpicio tamen & invidia ad omnes vicinos pertinebat, quos meminiſſe æquum erat, quod non nobis ſolum nati ſumus, ſed ortus noſtri partem patria vindicat, partem amici, partem totum genus humanum cognatum. Par parem quidem cogere nequit niſi ad id, quod ex jure ſtricte ſic dicto debetur; Superior vero cogere poteſt etiam ad alia, quæ virtus quælibet præcipit; quia in jure ſuperioris, qua ſuperior eſt, hoc comprehenditur, auctore Grotio lib. II. cap. 25. §. 3. Fluxiſſe autem leges illæ videntur ab Ægyptiis, quos Diodorus Siculus lib. I. cap. 77. ſcribit, capitali ſupplicio obnoxium habuiſſe, qui in via hominem interfici aut quamlibet vim ſuſtinere vidiſſet, & cum poſſet non vindicaſſet. Si quis re vera opem ferre non poterat, indicare tamen latrones & actione ſcelus perſequi tenebatur: quo neglecto plagæ certo numero inflictæ, & triduo cibis interdictum. Ex hac lege Moſis zelus quoque a nonnullis defenditur Exodi II. vſ. 12. Similiter Plato puniendum cenſet, qui vim alteri illatam non arcet, lib. IX. de LL. pag. 881. & Cice-

Cicero lib. 1. de off. c. 7. duo injuſtitiæ genera facit, unum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, ſi poſſint cum ſuo commodo & ſine periculo, non propulſant injuriam: *qui non defendit, nec obſtitit, ſi poteſt, injuriæ, tam eſt in vitio, quam ſi parentes, aut amicos, aut patriam deſerat*, id eſt æque peccat in juſtitiam, licet minus. Ambroſius lib. 1. Off. cap. 36. *Qui non repellit injuriam a ſocio, ſi poteſt, tam eſt in vitio, quam ille, qui facit.*

Regula ergo ex facto alieno nemo tenetur, ex regulis ſocietatis civilis, exceptionem patitur valde naturalem, niſi in altero illo fuerit potentia & obligatio ad factum illud concurrendi; hanc vero jus civile accuratius ad certas perſonas determinare ſolet. Sic Ariſtoteles mirab. auſc. c. 80. ſcribit, in Heraclea, Græcos & indigenas iter facientes ab incolis obſervari, ne quid iis forte mali contingat, cum alioquin futurum ſciant, ut quorum in finibus aliquid delicti in viatores admiſſum fuerit, criminis pœnas luant, & damnum illatum reſarciant. Non diſſimile Cymenſium inſtitutum Rad. Fornerius lib. v. rer. quot. c. 28. ex Heraclide Pontico, περὶ πολιτειῶν obſervat, ut ad eorum reſtitutionem, quæ furto fuiſſent ablata, omnes

vici-

vicini conferrent, indeque factum, raro ut aliquid amitteretur; cum eadem dili-gentia res alienas ac proprias cuſtodirent ſinguli. Sic & Abas Rex Perſiæ, ad la-trones extirpandos decreto ſancivit, ut incolæ oppidi proximi reſarcirent, ſi quis in via publica ſpoliatus eſſet, apud Petrum de Valle Itin. p. 2. epiſt. 1. In Libuis, Gallis & Inſubribus etiam ſuo tempore legem municipalem fuiſſe, ut ſi quidquam damni cuiquam viatori datum ſit, tenean-tur proximi pagani id reſarcire, vel no-centem ſiſtere, refert Alciat. lib. VI. Par-erg. c. 29. recteque contra pravam Pau-li de Caſtro judaizantis interpretationem docet, legis rationem, ut itinera tuta ſint, non tantum in civibus, ſed magis in pe-regrinis obtinere, quum & his jus naſca-tur ex lege civili & pro ſubjectis tempo-rariis habeantur. v. Grot. lib. II. c. II. §. 5. Bartolus quoque in *l.* 4. *D. de nox. act.* ſcribit, uſurpatum in ſua paroecia morem, ut incolæ ipſi plecterentur, qui ſceleris alicujus auctorem non compre-hendiſſent. Apud Anglos denique *eſcapii* pœna olim tenebantur cives urbis, ex qua homicida evaſiſſet, licet nondum is deprehenſus eſſet, & carceri mancipatus, uti pluribus diſcere licet ex Auctore Fle-tæ lib. I. c. 20. §. 75. & Covvello lib. IV. Inſtit. tit. 18. §. 14. Recte

Recte Cujacius lib. XIX. Obſ. c. XI. monet, plus imputandum eſſe Magiſtratibus & dominis, qui vico imperant, quam vicanis: jus enim habent, tam ſinguli, quam reſpublica exactam quandam diligentiam ab iis exigendi, non modo ſi hunc in finem primario ſint inſtituti, ne peregrino cuiquam fiat injuria, ut de advenarum præfectis apud Indos Strabo lib. XV. p. 708. & Diod. Siculus lib. II. c. 42. teſtantur; ſed etiam ſi lex ordinariis magiſtratibus expreſſe, aut per ſufficientem conſequentiam indicavit, curarent, quo malis hominibus provincia purgaretur *l.* 3. *D. de off. præſ. l.* 2. *C. de off. Rect. prov.* Hac propter Grotius lib. II. de J. B. & P. c. 17. §. 20. ſcribit, ex neglectu teneri Reges ac Magiſtratus, qui ad inhibenda latrocinia & piraticam non adhibent ea, quæ poſſunt & debent remedia, eoque nomine damnatos olim ab Amphyctionibus Scyrios, legimus apud Plutarch. in Cimon. pag. 483. Similiter Cumanum, procuratorem Syriæ, imputaſſe propinquorum vicorum *incolis*, vel (ſi Cujacii δεσπότας placet, pro δεσμώτας) proximorum vicorum *dominis*, quod latrones non comprehenderant, auctor eſt Joſephus lib. II. de bell. Jud. cap. 12. Idem ex Sabaudia in Angliam traductum ab Henrico III. ſcribit

bit Matth. Pariſienſ. A. 1253. *Si quis obiter ſpoliaretur, vel quomodolibet a latrone damnificaretur, ipſi, quibus incumbebat eminentius patriæ cuſtodia, cæſo ſatisfacerent competenter, & amiſſa reſtituerent.* Idem lege Regis Scotiæ 98. cautum apud Buchanan. lib. IX. rer. Scot. In Perſia Prætores tenentur refundere quicquid in viis publicis ſuæ jurisdictioni & telonio ſubjectis, ablatum eſt, Tavernierio teſte, Itin. lib. I. p. 4.

Non minus hodie Comites & dominos territorii, qui vectigal exigunt, damna viatoribus per latrones data ſarcire teneri, ajunt Gail. lib. II. Obſ. 64. Mynſing. c. 5. Obſ. 70. aliique apud Lauterbach. ad tit. de publican. fin. laudati: ſed vix eſt, ut ex nudi vectigalis ſolutione id demonſtrari poſſit; hoc enim pro ſolo tranſitu, & in compenſationem ſumtuum, ad vias reficiendas neceſſariorum penditur, ut Titius recte animadvertit Obſ. 998. Quamobrem damna reſarcit dominus duobus caſibus, ſi accepto guidagio conductum ſpecialem promiſit, vel ſi lata ejus culpa in latronibus non repreſſis probetur Rec. Imp. 1559. §. 34. 35. Hodie guidagium vulgare & parvum pro rerum, quæ exportantur, ſecuritate tanquam regale & jure territorii exigitur; ſed olim, durante

rante jure manuario, conductus illi pactitii magis erant frequentes, unde toties in chartis medii ævi occurrunt *deductores, duces conductorii*, διασώσαι & ἀποσώσαι. v. Frene Gloſſ. v. *conductus* & *guidagium*. Extat de hac quæſtione Bartoli conſilium 5. & Baldi locus in tit. 1. Feud. lib. 1. quibus jungatur Carpz. pr. crim. qu. 91. n. 58. & Schilt. Exerc. XLII. §. 50. Alii nominis editionem & mercium profeſſionem factam poſtulant, arg. *l. un. C. de lit. & itin. cuſtod.* Alii, ut viator ſpoliatus ſit in via publica, non vero ad avia deflexerit, arg. *l. 2. C. de curſ. publ.* & *l. 2. C. Th. deurioſ.* Ego addo, viam regiam quidem eſſe tutiſſimam, & Pythagoræ ſymbolicum illud: *Extra viam publicam ne ingrediaris*, ſi nil obſtet, hic obſervandum eſſe; attamen læſi raro de damno reſtituto gaudebunt; quis enim adverſus potentes, etſi culpa non vacent, munitus eſt ſatis? & quis, ſodes, litigare velit cum Principe, quem majeſtas & ferrum tuetur?

C A-

CAPUT XI.

DE VARIIS LEGIBUS VIARIIS.

Scriptores practici de jure viarum. Regulæ de vehiculis ſibi obviis. Romæ via decedendum honoratioribus. De foveis urſorum & luporum capiendorum cauſa in via factis. l. 28. ad. L. Aquil. cum Exodi XXI. *vſ.* 33. *collata. Per ferias viam publicam munire licuit. Cato ex Virgilio illuſtratus. Religioſi diebus feſtis iter non ſuſcepere. Lex Dagoberti. Si via publica caſu amiſſa, vicinus privatis vel Reip. viam præſtat, ad l.* 14. §. 1. *D. quemadm. ſervit. Cur Principes conſtituerint, ne vehicula oneraria Urbem ingrederentur, aut equi in civitatibus inſederentur. Qui fimo vel cœno aliquem in via perfundit extra ordinem coërcetur, ut & piſcatores, qui ſpecie phari facibus ſuis noctu fallunt navigantes l.* 1. *§.* 1. *D. de extraord. crim. l.* 10. *D. de inc. ruin. explicatæ. De plateis non artandis, ad l.* 12. *C. de ædiſ. priv. & l.* 14. *C. de op. publ.*

Immenſi eſſet operis omnia colligere, ad viarum ſecuritatem & commodum ſpectantia, igitur coronidis loco

loco tantum leges memorabiles breviter e-narrabimus, quæ animo nunc occurrunt. Nolim vero exſpectes, ut ad practicas quæ-ſtiones me demittam, tum quod illæ ab inſti-tuto præſente & a genio hujus opuſculi ſunt alienæ; tum quia Fritſchius, in duabus diſ-ſertationibus, de jure regali Viarum publi-carum & Pontium, in illis plus æquo & tam diligenter fuit occupatus, ut mihi labor ille inanis futurus eſſe videatur. Neque de tranſitu exercitus, aut de ve-hiculis ſibi obviis nunc quidem poſt Cl. Feltmannum, agere vacat, qui in binis diſceptationibus hujus argumenti, quan-tum ſatis eſt, ea de re dixit, ad illa *l.* xi. *C. de ſervit.* verba: *Uti via publica nemo prohibetur.* Grotius quoque jus tranſeun-di terra & amnibus late explicat lib. II. de J. B. & P. cap. 2. §. 13. & quod ad aurigas ſibi obvios attinet, res breviter eo redit, eum cedere aut retroire debe-re, qui colliſioni culpa ſua anſam præ-buit; vel, hac ceſſante, qui minore cum incommodo id facere poteſt; in pari ve-ro cauſa par eſſe utriuſque officium, niſi honos altus aut privilegium alteri tribuat prærogativam. Ita Conſuli vel Prætori, per denſiſſimos populoſiſſimæ Urbis nu-meros tranſeunti, non modo deceden-dum erat ſemita vel via, ſed & vehiculo

equoque deſiliendum, auctore Seneca Epiſt. 64. & Arnob. lib. VII. adv. gent. ex quo more Lipſius lib. I. Elect. cap. 23. ritum navalem illuſtrat, quo navigantes urbibus, caſtellis, arcibus, vel navibus, reverentiæ vel ſubjectionis gratia, vela ſubmittunt. Plane in Urbe Seneca lib. I. de clem. cap. 6. ait, turbam crebro eliſam, *quoties aliquid obſtitit, quod curſum ejus, velut torrentis rapidi, moraretur.* Horat. lib. I. ſat. 6. vſ. 42.

- - - At hic, ſi plauſtra ducenta
Concurrantque foro tria funera, magna ſonabit.

Juvenal. ſat. III. vſ. 239.

Si vocat officium, turba cedente, vehetur
Dives, & ingenti curret ſuper ora liburno.
Mox . . . *nobis properantibus obſtat*
Unda prior: magno populus premit agmine lumbos
Qui ſequitur; ferit hic cubito, ferit aſſere duro
Alter: at hic lignum capiti incutit, ille metretam.

Alia lex vialis eſt Pauli *l.* 28. *D. ad L. Aquil.* de foveis urſorum cervorumque capiendorum cauſa factis: nam qui in *itineribus* eas fecit, lege Aquilia obligatur, ſi aliquid eo decidit, vel deterius factum

eſt: qui vero in *aliis locis*, ubi fieri ſolent, nihil tenetur, præſertim ſi denunciatum eſt, aut prævideri potuit. In ſimili re Moſes Exodi XXI. vſ. 33. *Quum retexerit quis puteum, aut quum foderit quis puteum, deinde non operuerit illum; itaque ceciderit illuc bos aut aſinus: dominus ille putei rependito.* Late hanc legem divinam explicat Baba Kamma cap. 5. §. 5. cujus ſumma eo redit, ex ore putei rem judicandam eſſe, num illud loco publico, an privato obvertatur. Foſſas autem urſis & lupis capiendis primus Romanis oſtendit Fovius quidam, qui poſtea Fabius dictus eſt, Feſtus in *Fovei.* Meminerunt antiquiſſimi hujus venandi generis Horatius, Phædrus, Manilius, Statius, Claudianus & Silius lib. VI. vſ. 329.

Haud ſecus ac, ſtabulis procurans otia, paſtor
In foveam parco tectam velamine frondis
Ducit nocte lupos poſitæ balatibus agnæ.

Vid. ibi Dausquejus & Cl. Collega noſter Drakenborchius in notis. Solon Athenis præmium conſtituit ei, qui lupum maſculum interfeciſſet, drachmarum quinque, ea tamen lege, ut ſepeliretur, quia Apollini ſtabulis triſte illud animal erat ſacrum, auctore Plutarcho, Æliano, Suida aliisque apud Meurſ. Them. Att. lib. II. cap.

 17.

17. De aliorum populorum præmiis vid. Mornac. ad *l.* 42. *D. de Ædil. ed.*

Ad ſingularia porro viarum referri poteſt, quod Cato, Romani generis diſertiſſimus, ait de re ruſt. cap. 2. *Per ferias potuiſſe foſſas veteres tergeri, viam publicam muniri, vepres recidi* &c. hoc vero ſine dubio de feriis ſine feſto, ut nundinis, vel de diebus interciſis, qui deorum hominumque erant communes, vix autem de feriis indictis conceptisque accipi debet: affirmabant enim ſacerdotes has pollui, ſi opus aliquod fieret, & ideo per præconem denunciabatur, ne quid ageretur, & præcepti negligentes multarentur, ut Feſtus in *Præcias* & Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 16. docuere. Sed qui diſciplinas Pontificum interius edocti, ea diebus feſtis, ob immenſum eorum numerum, ſine piaculo fieri poſſe dicebant, quæ vel prætermiſſa nocerent, vel quæ ſupra terram, ſine inſtitutione novi operis, fierent; unde Maro, totius ſacrorum ritus peritiſſimus, cecinit lib. 1. Georg. vſ. 268.

Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus
Fas & jura ſinunt. Rivos deducere nulla
Relligio vetuit, ſegeti prætendere ſepem. &c.

Quotquot vero, ſine delectu dierum feſtorum,

rum, ſuperſtitionibus ſe implicabant, neque iter neceſſarium ſuſcipere in illis audebant; adeo ut peregrina quoque ſabbatha obſervarent, tanquam minus apta rebus gerendis, teſte Ovidio, Tibullo, aliisque ſupra laudatis part. 1. pag. 18. ubi apud Judæos ultra octo ſtadia die Sabbathi proficiſci nefas fuiſſe diximus. Pie Dagobertus Rex Francorum ſancivit, ut *in itinere poſitus cum carro vel cum nave, pauſet die dominico, uſque in ſecundam feriam*, alias in duodecim ſolidos condemnetur, tom. 1. Capit. Baluz. pag. 113.

Rurſus ſingulare nobis memorat Javolenus in *l.* 14. *§.* 1. *D. quemadm. ſerv. amitt. Cum via publica vel fluminis impetu, vel ruina amiſſa eſt, vicinus proximus viam præſtare debet.* Choppinus lib. 11. de privil. ruſt. cap. 5. recte hoc refert ad certum anni tempus, quo fructus colligi percipique neceſſe eſt; ſed nil vetat quo minus idem fore dicamus, ſi Reſpublica, jure imperii, vel, ut alii vocant, dominii ſupereminentis, agri partem ſibi juſto pretio vendi poſtulet, ad novam viam ſtruendam: etſi enim deſiderium ejus, qui invitum diſtrahere poſtulat, juſtam cauſam non contineat, *l. 9. D. rer amot. l.* XI. *C. de contr. empt.* & vulgatum ſit de Cæſare & Auguſto, quod ille neminem

 expel-

expellere ex agris, hic vero proximas foro ſuo domos, poſſeſſoribus extorquere, non fuerit auſus, Sueton. lib. I. cap. 38. & II. cap. 56. fallit tamen id, ubi aperte de publica utilitate, neceſſitate vel de religione agitur *l.* 12. *de religioſ.* tunc enim plurium ſalus ſuprema lex eſt, & tota civitas quaſi unam perſonam atque commune patrimonium refert; æquitas denique ſuggerit, ut id patiare, quod mihi quidem prodeſſe poteſt, tibi vero non eſt nociturum, Paul. in *l.* 2. *§.* 5. *D. de aq. pluv.* Seneca lib. VII. de benef. cap. 4. *Jure civili omnia regis ſunt, & tamen illa, quorum ad regem pertinet univerſa poſſeſſio, in ſingulos dominos deſcripta ſunt, & unaquæque res habet poſſeſſorem ſuum. Ad reges poteſtas omnium pertinet, ad ſingulos proprietas.* Idem ſcribit Philo περὶ φυλεργίας & Ambroſius epiſt. 14. *Comitibus & tribunis dicentibus Imperatorem jure ſuo uti, eo quod in poteſtate ejus eſſent omnia.* vid. Grot. lib. II. de J. B. & P. cap. 14. *§.* 7. Rad. Forner. lib. V. rer. quot. cap. 26. & Covarruv. lib. III. var. reſolut. 14. n. 8.

Utile porro & neceſſarium fuit edictum, quo Claudius monuit *viatores, ne per Italiæ oppida, niſi aut pedibus, aut ſella, aut lectica tranſirent,* auctore Sueton.

ton. lib. v. cap. 25. Hadrianus idem repetiit, apud Spartianum ej. vit. cap. 22. *Vehicula cum ingentibus ſarcinis Urbem ingredi prohibuit. Sederi equos in civitatibus non ſivit.* Ratio fuit partim metus, ne in Urbe rumperentur fornices cloacarum: qua ratione redemtor earum, de marmoribus ingentibus Scauri, damni infecti caveri poſtulavit, cum in palatium tranſveherentur, Plin. lib. XXXVII. cap. 2. partim ne ſtrata platearum pulcherrima læderentur, quibus multitudo curruum neceſſariorum in Urbe jam ſatis erat moleſta, Horat lib. II. epiſt. 2 vſ. 72.

Feſtinat calidus mulis gerulisque redemtor,
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum.

& lib. I. epiſt. 17. vſ. I. ad Scævam:

- - - *Si te pulvis ſtrepitusque rotarum,*
Si lædet caupona; Ferentinum abire jubebo.

partim denique ob pericula, quæ ex nimio plauſtrorum onere, in clivis illis facile oriebantur, uti Caſaubonus ad d. l. Spartiani ex Juvenale obſervavit, ſat. III. vſ. 254.

- - - *modo longa coruſcat*
Sarraco veniente abies, atque altera pinum
Plauſtra vehunt: nutant altæ, populoque minantur.

Nam ſi procubuit, qui ſaxa Liguſtica portat,
Axis, & everſum fudit ſuper agmina montem,
Quid ſupereſt de corporibus? quis membra, quis oſſa
Invenit? obtritum vulgi perit omne cadaver.

Idem municipibus rurſus vetuit Marcus, perpetuus Hadriani in legibus ferendis imitator, apud Capitolinum ej. vita cap. 23. *Sederi in civitatibus vetuit equis, ſive vehiculis.* Poſtremum equo vehi licuit, non vehiculo. Vopiſcus de Aureliano, cum Antiochiam ingrederetur cap. 5. *quia invidioſum tunc erat vehiculis in civitate uti, equus ei Imperatoris applicitus, cui per feſtinatiooem inſedit.*

Ad hanc velut ſaturam legum vialium quoque pertinet, quod Paulus ait, graviter & extra ordinem in eos animadverti, qui fimo corrupto aliquem in via perfuderint, vel cœno lutove *oblinuerint*, antique pro *obleverint*, *l.* 1. *§.* 1. *D. de extr. crim.* ut Varro lib. III. de R. R. c. 7. *Aves decipiuntur, cum ſe obleverint viſco.* Magis vero coërcendi ſi, ad extinguendos oculos, calx mixto aceto miſſa in faciem effuſaque fuerit; quam incredibilem ſceleris excogitationem deteſtatur Auguſtinus adv. circumcell. epiſt. 68. Illud

lud quoque religioſa Præſidis conſtantia efficiendum memorat Ulpianus in *l.* 10. *D. de incend. ruin.* ne piſcatores nocte, oſtenſo lumine, fallant navigantes, quaſi in portum aliquem delaturi, eoque modo in periculum naves, & qui in eis ſunt deducant, ſibique execrandam prædam parent: in auſuros pœnæ corporales & pecuniariæ ſunt ſtatutæ. Enimvero ex pharis, turribus & ſummis montium verticibus nautis iter ad portum noctu monſtrabatur, igne multo vel lumine accenſo. Phari nomen habent a turri, quam Ptolemæus Philadelphus in Pharo inſula magnificentiſſimam, in gratiam navigantium albo lapillo exſtruxit, de qua Cæſar, Strabo, Plinius aliique. Similes quoque in Piræeo apud Thucydidem, nec non in Italiæ & Romani imperii portubus apud Suetonium & Plinium laudantur; omnium finis, ut flamma ad portum contendentibus luceret, & ut Statius cecinit:

Lumina noctivagæ tollat Pharos æmula Lunæ.

Sic ergo patet, quam facile fuerit piſcatoribus nautas decipere; noctu enim piſcantes, velocibus ſcaphis λαμπομένας δαΐδας, *lucidas faces* ferebant, ut ex Oppiani lib. ult. Cyneg. vſ. 140. Cujacius & Scipio Gentilis notarunt.

Poſtremum ſit, quod Papinianus & Ulpianus monent, ſi viæ publicæ exemtus ſit commeatus, vel ea, cum parietes ventrem faciunt, aliove modo coartetur, magiſtratus intervenire, *l. un D. de via publ. & ſi quid l.* 2. *§*. 25. *D. ne quid in loc. publ.* quæque Paulus ſcribit de actione viæ receptæ & de compellendis his, qui viam publicam exaraverint, *l.* 3. *D. de via publ. & itin.* Arcadius item & Honorius ædificia, quibus anguſtentur ſpatia platearum, dirui ac proſterni præcipiunt in *l.* 14. *C. de oper. publ.* & mæniana, niſi ſpatium inter ſe per decem pedes liberi aëris, in media viæ publicæ, quæ intercedit, latitudine habeant, modis omnibus deſtrui jubent, in *l.* 11. *C. de ædif. priv.* Zeno denique nulli, qui Conſtantinopoli domum ædificaret juxta compitum, angiportum vel plateam, duodecim pedibus latiorem, permiſit auferre partem plateæ, ad Remp. pertinentis, eamque proprio ſuperaddere ædificio, in *l.* 12. *§*. 3. *C. eod.* ad quam Cujacius videatur lib. XIX. Obſ. cap. 21. &, qui ſimiles Regum Galliæ conſtitutiones laudat, Jac. Gothofred. ad 39. *C. Th. de op. publ. t.* V. *p.* 312..

F I N I S.

IN-

I. D. R.
Inventario N. 22971
ISTITUTO DI DIRITTO ROMANO - UNIVERSITÀ DI ROMA

INDEX.

A.

Acervi Mercuriales. 170
Ædiculæ & parva templa peregrinantium. 222
Ædiles Curules vias refici & purgari jubebant 342 vetabant noxia haberi animalia, ubi iter fit. 443
Ædilium Edictum viarium 416 verba ejus an ſint genuina 417 in provinciis valuit 440 Ejus cauſa primaria 428. Origo ex Jure Hebræo & Græco 437. Æquitas 460. Pœna varia. 455
Ægyptii profani cultus auctores 50. venerati canes. 103
Agger pro via militari. 359
Altitudo ædium Romæ. 479
Amoſus illuſtratus. 222
Amſegetes muniunt vias. 523
Angariæ. 397
Angeli viarum duces. 216
Animalia fera cur à Romanis alta 432 433 ſtupendus illorum numerus 434 manſuefacta traxerunt bigas 450. illorum actiones an dominis ſint imputandæ. 461
Aper minor. 420
Apes Lunæ ſacræ 80
Apis Ægyptiorum. 52
Apollo præcipuus Deorum vialium. 115. unde Didymæus Averruncus, Agyeus dictus 116. an ſolis viis urbanis præfuerit. 118
Appia via ceterarum regina 336. laudatur 338. 525
Apulejus vindicatus. 11
Aqua luſtralis in viis. 19
Aquila dux itineris 107. inſigne Principatus Romani 109. ejus religio & cultus. 110
Aquiliæ Legis caput ſecundum. 485
Aræ Deorum vialium. 23
Arabum Duces viales. 96
Architecti Pandectarum defenſi. 426
Armorum uſus quando permiſſus. 542
Aſtra pro Ducibus viatorum. 69
Aſtoreth vel Aſtarte Syrorum & Phœnicum Dea vialis. 56
Ἀγυνόμοι Græcorum. 345
Athenienſes religioſiſſimi 98. Deus illorum ignotus. 300
Auſpicia itinerum ab avibus. 105
Auguſtus tutor viarum maximus 220. 388. cohortes ejus contra latrones. 351
Aureus ſolidus ex quo tempore. 424

B.

Bacchus Deus vialis 123. idem qui ſol & Apollo. 124
Beſtiæ non ſunt puniendæ. 467
Belus Babyloniorum idolum. 64
Belenus Noricorum 75. Gallorum. 86
Bivia Dea 250
Britannorum Mercurius 93
Bruta deorum vialium ſymbola. 104

C.

Cabiri navigantibus utiles 261. illorum cultus & templa 265 ſtellæ 266. vota illis ſoluta. 268
Cæſar viarum curator 387 de B. G. illuſtratus. 84
Canes Dianæ comites 143. ad ſtatuas Larum. 225 ad limina

na ditiorum 430 cuſtodes Capitolii 444. feroces vincti ad ædium limina 445. nocturni ſoluti 448
Carolus M. ſuſtulit deos viales. 308
Caveæ portatiles ad vehendas feras 435
Cauponum iniquitas & perfidia 496. inſignia ante fores. 498
Cenſores viis perfecti. 334
Cenſuræ decrementa. 339
Chaldæorum dii viales 64 artes. 66
Childerici monumentum. 79
Cibus dei. 228
Circulatores. 451
Cicatricum ratio. 489
Clavigeri dii 126. 187
Cœnacularii. 481
Columbæ boni ominis. 105
Columnæ Deorum vialium 39 earum origo, uſus & cultus 40. cur obeliſcatæ. 122
Columnæ milliares. 362
Coloniarum ſacra. 302
Compitalia. 229
Conſulum cura viaria 369
Corvi a diis miſſi. 107
Crucis ſupplicium ſublatum. 543
Culinæ in ſepulchris. 228
Curatores viarum quando inſtituti 377 illorum dignitas, apparitores & coërcendi poteſtas 378
— operum publicorum 381 lapidibus inſcripti. 382
Curionis Lex viaria. 368
Curſus publicus ab Auguſto inſtitutus 396. in Provinciis Præſidibus mandatus. 406
Cygni navium Duces. 106
Cyrus viarum curator. 321

D.

Damnum unde dictum. 457
Dea cœleſtis. 62
Deæ minutæ. 252
Decimæ. 195
Deorum multitudo 3. nomina 6. ſtatuæ & aræ 23. claſſes. 100
Diana numinum vialium præcipua 131. erat luna 115. ſoror Apollinis 128. præerat venationi 132. illius luci 31. nomina varia 134. adjutrix navigationis. 147
Dii averrunci 116 minorum gentium 234. bivii, trivii, quadrivii. 252
Dii marini alii quam terreſtres 256. ſenes & cærulei 272. an differant à litoralibus 273 tutelares 224. & locales generaliter invocati. 301
Dii omnes pro conſeſſu Deorum. 297 ſeq.
Dii viales in duas claſſes diviſi. 48
Dies, quibus iter non faciebant veteres 17. 565
Diverſoria olim rara. 496
Duploma. 398
Duumviri, viocuri extra urbem. 375

E.

Edicta Prætoris viaria. 472
Enodia Diana. 133
Epulum funebre Laribus poſitum. 227
Erranti via monſtranda 552
Eſaias expoſitus 62. 407
Exta in mare projecta. 286
Expilatores. 535

F.

Fluvii adorati 19. Diis ſacrati. 274
Fluctus inter Divos 280

For-

Fortuna redux 244. in Dearum numerum relata 247 cur bona dicta 249. quid fuerit. 248
Foveæ capiendorum luporum. 563
Franciſci I. Edictum. 493

G.

Gad & Meni 60. 130
Gallorum Dii viales.
Genii tres ſignificatus. 213
Germanorum Dii viales 84. 91
Glaucus. 269
Glarea. 335
Graſſatores. 534
Guidagium. 558

H.

Hebræorum Dii viales.
Hecate Diana 136. cur Trivia 138. triplex illius facies 140 ſacrificium. 145
Hercules unde dictus 180 Deus vialis 182. idem qui Sol. 184. Sanctus 188. Saxanus 189. adoratus in litore 192. plures 181. Gaditanus 94 Macuſanus 193 Deuſonienſis 82. Prodicus. 201
Herculis templum 29. figura 193. ara præcipua 194. ſtatuæ 200. decimæ 197. ſacrificia. 199
Hermæ 93. ante ædes poſiti 164
Herodis columna. 133
Hiſpanorum Dii viales. 93
Horatius explicatus. 221
Horithya. 278
Hœdus Diis marinis oblatus. 286
Honoratis via cedendum. 562
Hoſpitii Jus apud Hebræos, Indos, Cretenſes, Græcos, Germanos, Francos & Anglos. 504

I.

Janus Sol & deus vialis. 126
Januæ inſcriptum Cave canem. 447
JCtis unum numen. 194
Inſignia cauponum antiqua. 498
Indorum dii viales 95. Agoranomi. 323
Interdicta Prætoris viaria. 521
Johannes Baptiſta ſtrator, metator. 407
Irmenſula. 90
Irenarchæ. 538
Is dea. 251
Iſis Dea vialis 95. navigantium numen 149. Germanis an cognita. 78.
Iter & curſus de navibus. 255. 338
Iteris pro itineris. 373
Itinera capeſcenda invocato Deo. 312
Judæorum μετωνθρωπία. 550
Juppiter peregrinantium Deus unde 100. Sol. 114. theſaurorum inventor 203. hoſpitalis. 504

L.

Lapides viales in biviis 33. uncti 35. coronati 36. rudes 37. pro Diis habiti. 44
Lapis minor, e quo in equos ſcanſio 366. milliaris. 362
Latrones prehendebant ſtationarii 537. & latrunculatores 541. integræ gentes latrociniis infames, 536 ſeq.
Latronum famoſorum pœnæ graviſſimæ. 543. earum ſingularia. 545
Lares viales 205. unde dicti

207 varii generis 208. Urbis Romæ 209. Auguſti 220. quid ſint. 225
Larum feſta concepta 229. ſacrificia 230. permutatio. 304
Latrunculatores. 541
Leugæ Gallorum. 304
Lex Athenienſium de via monſtranda erranti. 552
Lex Ægyptiaca memorabilis. 553 ſeq.
Legis Aquiliæ caput ſecundum. 485
Leges gentium de damno à vicinis ſarciendo 555. variæ viariæ. 570
Lex Solonis. 438
Leges illuſtratæ.
§. 10. J. de R. D. 24
L. 1. D. de R. D. 24
L. 6. §. 3. D. eod. 305
L. 17. §. 9. D. de act. emt. 240
L. 6. 19. D. de auro, argento. 210
L. 2. §. 21. D. Ne quid. in loc. publ. 316. 356
L. un. D. de via publ. 344
L. 2. D. de cloac. 380
L. 184. D. de V. S. 393
L. 18. §. 4. D. de mun. & honor. 397
L. 137. de V. Obl. 398
L. 7. §. 1. de off. Proconſ. 408
L. 4. §. 5. D. eod. L 5. eod. 412
L. 40. 41. 42. D. de Ædil. Edict. 417. ſeq.
L. ult. D. de extraord. crim. 451
L. 1. §. 11. Si quadr. paup. fec. 462
L. 1. §. 17. D. de nov. op nunc. 480
L. 5. §. 4. D. de his, qui effud. 486
L. 27. §. 4. ad L. Aquil. ibid.
L. 5. §. 6. D. de his, qui effud. 492
L. 3. §. 1. D. Naut. caup. ſtabul. 496
L. 1. §. 1. eod. & L. un §. 6. furt. adverſ. naut. 497
L. 3. §. 4. cum. L. 7. § ult. naut. caup. 501
L. 25. §. 6. locati. 103
L. 1. §. 3 de public. 513
L. 9. §. 5. eod. 514
L. 37. D. de relig. & ſumt. fun. 518
L. 7. §. f. ad L. Jul Majeſt. 110
L. 43. §. 4. de furt. 162
L. 63. §. 1. de A. R. D. 203
L. 1. § 1. de extraord. crim. 168
L. 10. de incend. ruin. 569
L. 14. §. 1. quemad. ſervit. 565
L. 28. ad L. Aquil. 562
L. 4. de colleg. & corp. 551
L. 1. §. 12. de off Præf. urb. 538
L. 1. §. 1. de effract. 535
L. 28. §. 10. de poen. 534
L. 42. de procurat. 522
L. 30. de leg. 2. 530
L. 18. C. de pœnis. 545
L. 12. C. de ædif. privat. 570
L. 14. C. de oper. publ. ibid.
L. ult. C. de relig. 519
L. 4. C. de privil dom. Aug. 385
L. un. C. de theſaur. 203
L. 10. C. Th. de pagan. 28
L. 3. C. Th. de theſaur. 203
L. 12. C. Th. de pagan. 307
L. 4. C. Th. de curſ. publ. 329
L. 1 C. Th. de ponder. 426
L. XII. Tab. 356. 522
Leonis Novellæ 163. 203
Pauli ſententiæ 380. 438. 472
Caji fragmenta. 236
Ulpiani tit. 92
Lucas illuſtratus 289. 300. 510
Luna Dea 77. varia ſpecie culta

ta 72. mas & fœmina habita. 129
Luci prope vias 30 a Diis iuhabitati. 31
Lucorum cultus quamdiu durarit 307. prohibitus Edictis & Canonibus. 308
Lucretius illuſtratus. 25
Lunus mas & fœmina. 129
Lupi occiſi præmium. 563
Luſtratio populi ob cædem. 549

M.

Macrobii locus corruptus. 200
Magi ex Oriente. 66
Magiſtratuum negligentia in curandis viis punienda. 557
Malachias illuſtratus. 406
Mater Stata. 252
Mathematici a peregrinantibus conſulti. 15
Matthæi locus expoſitus. 66
Manſiones. 396
Mercurii nomen unde 175. cultus ubivis. 91
Mercurius viacus 153. non Vius 154. pro Sole habitus 155. mercatorum Deus 157. petaſatus quare 159. στροφαῖος 165 cum Hercule conjunctus. 201
Mithra Perſarum. 71
Milliarium lapidum numerus ubi ceperit. 390
Milliarium aureum. 389
Μίλιον Conſtantinopolitanum. 394
Militum miniſteria. 411
Mæniana 483. cur in edicto de dejectis omiſſa. 483
Moſcovitarum Dii viales. 96
Moſes illuſtratus 38. 40. 42. 52. 199. 215. 468. 550
Multitudo hominum Romæ 476
Municipia & coloniæ imitabantur pompam ludorum Romanorum 440 ſua retinebant ſacra. 302
Mutationes. 397

N.

Navigantium ungues & capilli mari oblati. 290
Navis expugnatæ pœna durior. 547
Navium nomina 289. ornamenta. 104
Naufragorum tabellæ 292 bona Fiſco non addicenda. 547
Nehalennia Dea vialis. 81
Neptunus unde appellatus 257. Redux 260. vota illi facta a nautis 259 & taurus niger oblatus. 284
Neptunalia. 258
Noctiluca Diana. 128
Nox diem ducit. 77
Numen gentilibus unum. 294

O.

Oceanus & Thetis Deorum antiquiſſimi. 257
Octavarii. 517
Omina ſiniſtra. 16
Oſcula peregre euntium 20 terræ data. 21
Oſiris Ægyptiorum. 50

P.

Panopea. 269
Peregrinantium preces 6 vota. 10
Perſarum Dii viales.
Phari. 41. 569
Phœnicum Dii viales. 56
Piſcatorum faces. 569
Piratarum pœnæ. 546
Plateæ Romæ anguſtæ. 477
Plautus illuſtratus 120. 223
Piloriorum origo. 396
Pontaticum. 517

Pon-

Pontes nobiliores. 360
Portæ Deorum vialium ſedes. 24
Portitores. 512
Portunus. 270
Protecta. 481
Proverbium ἱερεὺς κοινὸς unde ortum 160. Proverbia Salomonis illuſtrata. 173
Præſidis cura viarum. 405
Priapus 240. Deus litorum & portuum. 243
Prætor ſecuritati viarum proſpexit 472. an ſub illius nomine veniat Ædilis. 473
Prætoris edictum de dejectis 475 adverſus nautas, caupones & ſtabularios 494 adverſus publicanos 508. emendatur. 510
Prætoris interdicta ad vias publicas pertinentia. 521
Principes an damna reſtituant ſpoliatis. 568
Proconſulis ingreſſus ſolennis. 411
Publicani ex ordine Equeſtri 510 eorum miniſtri odioſi. 511
Publicum pro vectigali. 509

Q.

Quercus Jovi ſacra. 82
Quæſtorum collegio ſtratura viarum mandata. 351
Quadrivii dii. 252
Quatuorviri viarum. 372

R.

Raptorum pœnæ. 534
Reduces Diis agebant gratias 12 & vota ſolvebant 13 Neptuno 259 Cabiris. 268
Redemtores operum publicorum. 383
Reges Spartani viocuri. 323
Regina cœli. 59
Religio peregrinantium. 6
RhenusGermanorumDeus 275
Roma cultrix cunctorum numinum. 99
Robatores. 506

S.

Sabbatho iter facere non licuit 18
Sanctus Viarius. 312
Saxanus Hercules. 189
Securitatas viarum præcipua Magiſtratuum cura. 315
Semiramis prima viarum curatrix. 318
Serpentes viæ duces. 111
Servi oſtiarii in catenis. 446
Semo Sancus. 188
Sempronia Lex. 354
Si Deus, ſi Dea. 299
Silvanus viatorum numen 234 Deus campeſtris. 237
Sigillaria viatorum. 218
Simulacra Deorum ſanioribus inviſa 295 à Poetis irriſa. 296
Sol & Luna quare pro Diis 46 64
Sol Perſarum dux 71 Germanorum Deus univerſalis 74 ad ſolem omnes Dii relati. 125. illius diverſa nomina 63
Solidus. 424
Solonis lex de cane. 438
Statuæ Deorum vialium 23 Sanctorum hodie in viis. 310
Stapedes nulli Veterum. 366
Statores. 408
Stella, quam viderunt Magi. 67
Strata viarum. 335
Stratores 367. 407
Superſtitio itineraria 15 16 recentioris ævi. 312
Synedrium Hebræorum curavit vias. 321

Syro-

Syrorum Dii viales. 56
Symbola Deorum. 131

T.

Tacitus explicatus 83. 88
Tamfana. 83
Tauri mari & fluminibus immolati. 285
Tergeminus. 140
Telearchi viarum curatores. 322
Termini coronati & uncti. 34
Templa Diis vialibus ſacra 27. 32
Teutates itinerum dux 84 unde dictus. 86
Tempeſtates divinæ 103 inter divos 281 cur aræ illis poſitæ. 283
Theologia veterum triplex, fabularis, civilis & naturalis. 114
Theraphim conſulebant de itinere. 65
Thetidi juvenca oblata. 284
Tibilenus diabolus. 75
Tobias explicatus 216. 217
Triboniani emblemata 423. 543
Trivia. 134
Tuiſto Germanorum Dux. 88
Turcarum Dii viales. 96
Tutela navis 288 differt ab ejus inſigni 289 viarum, præfat.

V.

Vectigalis juſtitia, neceſſitas 515 in itinere & tranſitu pontium 517 pro mortuis transferendis ſolvendum. 518
Venatio leonum. 435
Vehicula oneraria urbem non ingreſſa 566 ſibi obvia. 561
Veneris ſtella a nautis obſervata. 148
Venti inter Divos. 277
Verres & ſues in haris Urbanis. 431
Via unde dicatur & quotuplex ſit 327 332 de navibus uſurpatur. 255
Viæ relatæ ad regalia 317 a Veſpaſiano; Trajano aliisque Imperatoribus aut factæ aut refectæ 399 titulis Romanorum Principum dedicatæ. 385
— ſtratæ à militibus 330 ſumtibus ærarii 525 privatorum 526 & poſſeſſorum 527 facinoroſis in pœnam 529 gentium Leges de muniendis viis. 531
Viæ ad amuſſim directæ 356 earum latitudo & firmitas 358 duplici modo munitæ per Italiam 357 diſtinctæ per columnas milliares 362 in provinciis munitæ à Præſidibus 402 verſus Gallias quatuor viæ regiæ conſtructæ 403 in Britannia. 405
Viam exigere 527 purgare 522 monſtrare 552 lapidibus ſternere quis invenit 319 publicam per ferias munire permiſſum. 564
Viarum menſuræ celebriores 364 ornatus, proſpectus, amoenitas 355 numerus 331.
Vicinus viam præſtat Reipublicæ vel privatis. 565
Vigintiviratus janua ad honores. 374
Vitulus aureus Hebræorum. 54
Vivaria aprorum & aliarum belluarum. 432
Vicomagiſtri. 351
Victimæ oblatæ Diis marinis. 285
Vinum in fluctus Diis fuſum. 287

Vius deus. 154
Vota peregrinantium 10 ex viſu. 298
Vulgi ſtupor circa deos. 44
Urſæ nautarum amicæ. 282

X.

Xerxis cura pontium. 320

Z.

Zelandorum dea. 81

FINIS.

TRAJECTI AD RHENUM,
Typis PETRI MUNTENDAM.

1344/2
600
Cb